This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1817
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

E. Act. erud. V. 46. N. 3.

AC
13
M6
v. 3

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
AD INCREMENTUM
REI LITTERARIÆ
EDITA.

TOMUS III.

LIPSIÆ,
Sumpt. HÆREDUM LANCKISIANORUM
M DCC XVI.

Compl. sets
Hiersemann
3-5-29
17800

OBSERVATIO LIV.

M. CHRISTOPHORI AUG. HEUMANNI,

Semin. Iſenac. Inſpectoris,

de

Fabula Societatis Abbreviatorum Romanae.

*

* * *

Clariſſime Pezolde,

QUem *PRIMUM mihi miſiſti* Miſcellaneorum Lipſienſium *TOMUM, cum in eo vidi doctiſſimo* Georgio Erneſto Walchio, *Cl. Dn. J. G.* Walchii *fratre æmulo, defen-*

ſum eſſe Abbreviatorum ſociet
tem literariam, quam a Cl. Dn. M. Fr
Hannib. STEMPELIO primum in medi
productam in libello meo de Anonym
impugnandam, ſtatim conſilium cepi ad Te m
tendi diſſertatiunculam, quam ipſo illo te
pore, quo memoratum libellum emiſeram, ſc
pſi. Hanc igitur mitto, ut, ſi placet, Miſce
laneis Tuis eam inferas. Cæterum Cl. Ste
pelium rogo, ne ſibi injuriam a me fieri put
Ipſius enim error levis eſt, qualibus vel Sc
ligeri & Grotii obnoxii ſunt: interim tam
non eſt diſſimulandus, ne ſerpat longius & v
res acquirat eundo.

*

* * *

SOcietatem Abbreviatorum Romanam eſſe fabulam recens excogitatam, ut alias dixi, pluribus jam comprobabo. Primum enim nemo unquam ante Cl. Stempelium hujus litterariæ Societatis fecit mentionem. Unde igitur hauſit Dn. Stempelius? Ex ſolo Ferrario, ſed male intel-

tellecto. Nullum quippe ſententiæ fundamentum habet præter hæc Ferrarii ab ſe citata verba: *Papa initio regni Abbreviatorum ordinem ſuſtulit, inter quos & Platina.* Ex hiſce verbis Cl. Vir Societatem litterariam improvide fabricavit, cujus rei ipſe teſtis eſt pag. ult. ſuæ diſſertationis, ubi ſic concludit: *Hi ſunt, qui in litterato ordine Abbreviatorum a Ferrario laudantur.* Vides, eum unius Ferrarii niti teſtimonio. At Ferrarius non innuit illis ſuis verbis ſocietatem litterariam, nec usquam dicit, eruditos hosce viros ſuam ſocietatem dictam voluiſſe ABBREVIATORUM, ſed de *Collegio Scribarum ſive Secretariorum in curia Pontificis* loquitur, qui *ABBREVIATORES* appellantur.

Ipſe autem Ferrarius ex Platina ſumſiſſe videtur narrationem ſuam. Is enim in vita Pauli II. papæ (f. 350, a) ita ſcribit: *Abbreviatores omnes oderat, quos Pius* (II. papa) *in ordinem redegerat: tanquam inutiles & indoctos (ut ipſe dicebat,) exauctoravit. Ego horum de numero eram.* Pari modo Ferrarius de ſolo Platina, de cæterorum nullo dicit, quod fuerit in ordine Abbreviatorum. Cl. Stempelius autem neſciens, qui Romæ dicuntur Abbreviatores, repe-

rire hic ſibi viſus eſt novam doctiſque adhuc incognitam Societatem litterariam.

Dicis, ſatis notum eſſe Collegium illud Abbreviatorum Pontificis, adeoque Dn. Stempelium hic offendere non potuiſſe, & me operam perdidiſſe, cum pluribus verbis de illo Abbreviatorum ſive Secretariorum Pontificis Collegio egerim. Sed, quid ſi probem, Cl. Stempelium id ignoraſſe, ut inde conſtet, me non inanem ſuſcepiſſe operam, cum, qui vocentur Abbreviatores Apoſtolici, copioſius oſtendi? Certe, ſi Vir Clariſſimus ejus rei habuiſſet notitiam, in ſua Diſſertatione homonymiam vocis *Abbreviator* explicans id non præteriiſſet. At vero tantum abeſt, ut vel verbo meminerit, ut ignorantiam etiam ejus rei luculenter prodat p. 3. ſcribens: *Cur Abbreviatores dici voluerint, non ita conſtat.*

Nimirum Ferrarius, de re Italis omnibus nota diſſerens, Abbreviatoris ſignificatum exponere ſupervacuum judicavit, eaque re errandi cauſam præbuit Cl. Stempelio. Cum igitur demonſtratum jam ſit, Stempelium ignoraſſe notionem *Abbreviatorum* in Italia receptam, eundemque Societatis litterariæ hoc nomine inſignitæ mi-

minimum quidem habere fundamentum præter recitata Ferrarii verba, quid dubitemus, Dn. Stempelii errorem agnoſcere,& Societatem Abbreviatorum ex Societatibus litterarum excolendarum ſtudio inſtitutis exterminare?

Accedit, quod Dn. Stempelius, poſt Platinam diſſerens, de Pomponio Læto, Callimacho, Ioviano Pontano, Sabellico & Sannazario, de nullo affert ullum teſtimonium, quod vel fuerit Abbreviator ſaltim apoſtolicus, vel appellatus ſit *abbreviator*, inque litteraria Abbreviatorum Societate vixerit. Quod ipſum veterum ſilentium ſatis magnum eſt falſi indicium. De Pomponio Læto quidem & Callimacho Platina tradit, quod in crimen conjurationis a pontifice fuerint vocati. De neutro autem dicit, quod fuerit Abbreviator: Immo potius docet, eos Romæ publicè docendæ juventuti operam dediſſe. Nec de *ſemetipſo* tradit Platina, quod ſuſpectus *fuerit* conjurationis cum cæteris Abbreviatoribus a Papa exauctoratis initæ, ſed *meminit* acerbæ cujusdam epiſtolæ ab ſe ad Papam ſcriptæ, propter quam a Papa ſibi intentatum eſſe queritur crimen læſæ majeſtatis. (f. 350, b. 351, a.) Idem meminit,

nit, (f. 357, a.) viginti fere eadem de cauſa tormentis fuiſſe ſubjectos: de quorum nullo dicit, quod Abbreviator fuerit.

At, inquis, ex mutatione nominum apparet, eos ſocietatem eruditam inter ſe inſtituiſſe. Sed ad hoc facilis eſt reſponſio. Primum enim Platina, qui unus ex omnibus, quantum conſtat, Abbreviator fuit, nomen ſuum non immutavit, ſed nomen a patria adſcitum, more illius ævi abunde noto, perpetuo retinuit. Pomponius Lætus primus ſcribitur nomen ſuum mutaſſe & ſibi & diſcipulis ſuis, ſuperſtitioſo vetuſtatis amore. Platina enim (f. 358, a.) refert, *Pomponium illum a Papa rogatum eſſe, cur nomina adoleſcentibus* (id eſt, diſcipulis ſuis) *immutaris? Amore* (inquit Platina,) *vetuſtatis antiquorum præclara nomina repetebat, quaſi quædam calcaria, quæ noſtram juventutem æmulatione ad virtutem incitarent.* Quid? ſi igitur reliqui, quos Cl. Stempelius meminit mutaſſe nomina vetera novis, fuerint de Schola Pomponii Læti? Quid? ſi illis adhuc *adoleſcentibus* a præceptore illo ſuo nomen fuiſſet immutatum? Certe Sabellicum Læto ſe dediſſe in diſciplinam, & ab hoc illius nomen fuiſſe immutatum, teſtis eſt Paulus Jovius, a

Bloun-

Bluntio in Cenſ. celebr. Aut. & Stempelio citatus.

Recitabo alia quædam Iovii verba, quæ Cl. Stempelium videntur in errore confirmaſſe. Ait Iovius, Sabellicum Romam veniſſe *nobilioris doctrinæ cupiditate, & a Pomponio in Collegium ſodalium cooptatum eſſe.* Nimirum per *COLLEGIUM SODALIUM* non intelliguntur viri eruditi, qui ſocietatem litterariam inivꝛrint inter ſe, ſed diſcipuli, ſed *adoleſcentes*, quorum gregem Pomponio appellare libuit auguſtiore nomine *Collegium ſodalium.* Nam Iovius illud *Collegium* verbis proxime ſequentibus vocat *ſcholam.* Fallor? an hinc originem habet hodiernus mos Profeſſorum in Academiis, quibus nimis humile videtur, conventus diſcentium vocare *ſcholas*, quare *Collegia* appellant jam a longo inde tempore. Sed redeo ad Sabellicum.

Vti igitur hic ideo nomen mutavit ſuum, quod eſſet in diſciplina Læti, qui nova nomina ſuis diſcipulis ſolebat imponere; ita & reliqui Dn. Stempelio laudati nomina ſua videntur immutaſſe, vel, quod eſſent diſcipuli Pomponii Læti, qui docendo tum in Vrbe clariſſimus erat, vel, quod eſſent admiratores ejus imitatoreſque. Nam

& *PETRUS VALERIANUS*, quem tamen Cl. Stempelius in ſuorum Abbreviatorum ordinem non retulit, adhortante Sabellico ſuum immutavit nomen, *PIERIUS*que vocari maluit, teſte Teiſſierio, quem citat *Blountius in Elogiis Valeriani illius p. 558.*

Denique non multum juvabit cauſam noſtri Stempelii, ſi eum ita excuſare velis: licet non fuerit ſocietas quædam eruditorum, quæ Abbreviatorum nomen adſciverit, potuiſſe tamen fieri, ut Abbreviatores illi ſive Secretarii apoſtolici inter ſe eruditam ſocietatem condiderint, eodem modo, ut hodie Doctores Magiſtrive tales ſocietates inire poſſunt. Nam primo demonſtrandum erat, Abbreviatores illius temporis Pontificios id feciſſe, quod nullo conſtat teſtimonio, & fingi temere non debet. Deinde, ſi hodie Magiſtri Doctoresve in ſocietatem eruditam coëunt, quis, quæſo, ejusmodi ſocietatem ſimpliciter vocat Societatem Doctorum vel Magiſtrorum?

Cæterum non nego, Abbreviatores Papæ eſſe plerumque viros doctos; Scribendæ enim illis ſunt Latinæ Epiſtolæ. Et, ſi recte recordor, eo munere functi ſunt

Bem-

Bembus quoque ac *Sadoletus*, at quanti viri! Ipſe Platina de ſui ævi Abbreviatoribus fatetur, quod illud *Collegium refertum fuevit bonis ac doctis viris, poëtis & Oratoribus plerisque*. (f. 350, a.) Sed ex illis omnibus, quos Paulus II. pontifex injurioſe tractavit, ſolum Platinam fuiſſe Abbreviatorem, ipſiusmet Platinæ conſtat teſtimonio. Scribit enim inter alia hæc: (f. 359.) *Si ſpoliare homines emtione ſua, incognita cauſa*, (emerat enim Platina munus Abbreviatoris, eo tempore venale, uti fatetur f. 350, b.) *beneficium eſt, certe erga me beneficus & liberalis dici poteſt Paulus. Erga ME*, inquit, non, *erga nos*, adeoque ſatis perſpicue reliquos conjurationis una ſecum inſimulatos ex Abbreviatorum ordine excludit.

Verum ſatis, imo etiam plus ſatis dixiſſe mihi videor ad Cl. Stempelii errorem revincendum, & ſocietatem Abbreviatorum litterariam in regionem τῶν ἐκ ὄντων relegandam. Ne tamen ullus ſcrupulus reſideat in animis noſtris, ſupereſt, ut reſpondeam ad id, quod dicis, ex idoneis ſcriptoribus conſtare, id temporis Romæ floruiſſe ſocietatem hujusmodi ad culturam litterarum inſtitutam. Quis igitur ea de re teſtatur?

Equidem video, *Conringium in Antiqu. Acad. Suppl.* referre, primo omnium in Italia Romæ vocem *ACADEMIÆ* in uſum reductam videri Paulo II. Pontifice, ita tamen, ut non ſignificaret ſcholam ipſam, ſed Collegium illo tempore Romæ commorantium, & priſcæ doctrinæ collapſæ reſtitutionem aliquam inſtituentium; idque is probat ex Platina, in Vita hujus pontificis memorante, eum hæreticos eos pronuntiaſſe, qui nomen *Academiæ* vel ſerio vel joco deinceps commemorarent.

Conringium ſequitur *Morhoſius Polyhiſt. litt. libr. I. cap. 14. p. 141. edit.* primæ. Sed nec Morhoſius ſine examine ſequi debebat Conringium, nec Conringius Platinæ verba fugitivo luſtrare oculo. Audiamus igitur Platinam ipſum, ut de omni hac re rectius cognoſcamus, erroremque Conringii emendemus. Ex Platina enim probari poteſt, doctos id temporis viros, haud dubie ſpinarum Scholaſticarum pertæſos, in ſtudium Philoſophiæ Platonicæ acriter incubuiſſe, atque ob id ipſum ſe vocaſſe *ACADEMICOS*, eodem ſenſu, quo olim Platonici dicti *Academici* ſunt. Nam f. 259, a: *Paulus Papa*, inquit, *nobis objicit, quod teneremus opinionem Platonis.* Hunc

(addit Platina de ſeipſo paulo poſt, Papæ reſpondens,) *mihi delegi, qui & de ultimo hominis fine, & de divina natura melius, quam cæteri, philoſophatur.* Non ita multo poſt ita pergit: *Fit inter dicendum de Academia mentio. Inclamat tum M. Barbus, nos non Academicos eſſe, ſed foedatores Academiæ. - - Veteres Academicos ſequebamur, novos contemnentes, qui in rebus ipſis nihil certi ponebant.*

Ex his ſatis conſtat, eos non inſtituiſſe Academiam hodierno ſenſu apud Italos pervulgato, quo ſignificat *ſocietatem litterariam quamvis*, ſed eos fuiſſe *INSTAURATORES PHILOSOPHIÆ PLATONICÆ.* Pergit Platina: *Paulus tamen* (Papa) *hæreticos eos pronunciavit, qui nomen Academiæ vel ſerio vel joco deinceps commemorarent. Iuncta eſt hæc ignominia PLATONI: ipſe ſe tueatur.* Platinam vero Platonicæ Philoſophiæ ſtudioſum fuiſſe, etiam ex eius libris Philoſophicis patet. Nam lib. I. *de vero & falſo bono* non dubitat Platonem vocare *Philoſophorum principem.* Contra Ariſtotelem reprehendit ibidem, quod materiam primam tanquam chimæram quandam propoſuerit. Eodem tempore Romæ vixit Beſſarion Cardinalis, cui Panegyri-

Equidem video, *Conringium in Antiqu. Acad. Suppl.* referre, primo omnium in Italia Romæ vocem *ACADEMIÆ* in uſum reductam videri Paulo II. Pontifice, ita tamen, ut non ſignificaret ſcholam ipſam, ſed Collegium illo tempore Romæ commorantium, & priſcæ doctrinæ collapſæ reſtitutionem aliquam inſtituentium; idque is probat ex Platina, in Vita hujus pontificis memorante, eum hæreticos eos pronuntiaſſe, qui nomen *Academiæ* vel ſerio vel joco deinceps commemorarent.

Conringium ſequitur *Morhofius Polyhiſt. litt. libr. I. cap. 14. p. 141. edit.* primæ. Sed nec Morhofius ſine examine ſequi debebat Conringium, nec Conringius Platinæ verba fugitivo luſtrare oculo. Audiamus igitur Platinam ipſum, ut de omni hac re rectius cognoſcamus, erroremque Conringii emendemus. Ex Platina enim probari poteſt, doctos id temporis viros, haud dubie ſpinarum Scholaſticarum pertæſos, in ſtudium Philoſophiæ Platonicæ acriter incubuiſſe, atque ob id ipſum ſe vocaſſe *ACADEMICOS*, eodem ſenſu, quo olim Platonici dicti *Academici* ſunt. Nam f. 259, a: *Paulus Papa*, inquit, *nobis objicit, quod teneremus opinionem Platonis.* Hunc

 (ad-

II. Ipſa appellatio *Ordinis* Dn. Stempelium ſatis refutat. Societatem enim arbitrariam vocare *ordinem* non ſolemus, ſed hoc nomen tribuimus collegiis publicis e. g. *ordo equeſtris, ordo Theologorum, ordo Senatorius*. Ac ſane certus fuit *ordo* & dignitas Abbreviatorum. Platina enim in Vita Pii II. f. 337. b, ſcribit, eum fuiſſe *litterarum apoſtolicarum Abbreviatorem Duodecemvirum, qui magiſtratus* (inquit) *in tanto conventu cenſorius habebatur*: Idem in Vita Pauli II. f. 350, a, ſcribit, Pium II. Abbreviatores in *Ordinem* redegiſſe, i. e. ex iis feciſſe certum ordinem, qualis eſt e. g. ordo Senatorius. Ibidem paulo poſt inquit: *Erat illud COLLEGIUM* &c. Confirmat me hac in ſententia Celeb. *SCHMIDIUS* Abbas, cum in *Lexico eccleſiaſtico minori* p. 7. docet, in Cancellaria Romana LXXII. eſſe Abbreviatores, quorum *duodecim* ſint Prælati, &c.

III. Doctiſſimus *WALCHIUS* in ſua de Societate Abbreviatorum diſſertatione* p. 161. refert, meam de iſta Societate ſententiam ab ipſis Italis (in Giornale de Letterati d' Italia Tom. XIII. p. 420. ſq.) & appro-

* Vid. Miſcell. Lipſ. horum Tom. I. Obſ. XV.

probatam & illuſtratam eſſe. Quo magis miror, Dn. Walchium Italis, de re domeſtica teſtimonium edentibus, non plus fidei habuiſſe, quam Cl. Stempelio, qui duntaxat obſcuriore Ferrarii loco nixus eſt. Sed hæc hactenus.

OBSERVATIO LV.

Hiſtorico-Philoſophico-Critica JACOBI WILHELM. FEUERLINI, Philoſ. Profeſſ. Altdorfini, De Cebete.

§. I.

Utilitas Criticas in Hiſt. Philoſ.

UTiliſſimum æque ac jucundiſſimum eſſe laborem, ſcrutari vitas atque dogmata optimorum quorumque Philoſophorum, atque in promtu habere, quæ fugere, quæ imitari poſſis, nemo facile eruditorum hac ætate negaverit, atque dubitanti ſa-

.isfacere poteſt elegans Introdu-
io Præliminaris in Hiſtoriam Philo-
ophicam auctore *D. EPHRAIM*
GERHARDO, Jenæ 1711. in 4to ſe-
cundum edita. Critica autem, quæ
in ſtudio hiſtoriæ Philoſophicæ haud
exigua occurrunt copia, uti laboris &
tædii plena, ita inutilia plerique pu-
tabunt. Mihi quidem non poteſt
non placere Cebes, cui ἡ ἀληθὴς ἐπι-
ϛήμη vera ſcientia eſt τῶν συμφερόντων
rerum utilium in Tabula p. 212. edi-
tionis Berkelianæ; diſplicent igitur
complures controverſiæ, præter ne-
ceſſitatem & utilitatem a Criticis mo-
tæ: ſunt tamen operæ Criticorum,
quibus carere vix ac ne vix quidem
poſſumus. Nominabo nunc eas,
quæ de veris ſcriptorum Philoſophi-
corum autoribus, & de genuinis ſa-
pientum foetibus agitantur, quæſtio-
nes. Has, qui pro Junone nubem
amplecti recuſat, non poteſt non ma-
gni facere. Interpretatio enim bene
ſatis inſtitui nequit, niſi verus conſti-
terit autor, e cujus indole ſententia-
rum dignoſcitur indoles: e ſuppoſi-
titiis autem ſcriptis veras ſapientum

do-

doctrinas earundemque nexum nunquam diſcemus. Adhæc ea videtur Philoſophi, qui veritatis inveniendæ conſuetudinem ſibi conciliavit, indoles, quæ Cebetis a Socrate moribundo deſcripta in *Platonis Phædone p. m.* 24. ἀεὶ ὁ κέβης λόγυς τινὰς ἀνερευνᾷ, καὶ ὐ πάνυ εὐθέως ἐθέλει πείθεσθαι ὅ,τι ἂν τις εἴποι: non poteſt, neque in minima circumſtantia fidem adhibere, niſi rem fuerit accuratius perſcrutatus. Veniam igitur merebitur hæc opella Critica *de Cebete*, qua de Autore notiſſimi & elegantiſſimi Dialogi, qui πίναξ inſcribitur, diſpiciemus. Tetigerunt hoc argumentum *VELSIUS, WOLFIUS, CASELIUS, SALMASIUS, CASAUBONUS, SNECANUS*, aliique editores Tabulæ Cebetis, itemque celeberrimus *FABRITIUS*, in Bibliotheca Græca, *MENAGIUS* in notis ad Laertium: Cum vero, quantum mihi quidem conſtat, nemo diverſas hac de re eruditorum ſententias prolixe ſatis atque peculiari opera excuſſerit, id mihi nunc ſumam negotii, atque inſtituam poſt meſſem ſpicilegium.

§. II.

§. II.

Tabulæ ſive Dialogi, qui veram falſamque eruditionem, veramque & falſam ſapientiæ viam deſcribit, autorem nomen *CEBETIS* tuliſſe, fere extra controverſiam eſſe videtur. Partim enim Inſcriptiones antiquorum Manuſcriptorum hujus libri exemplarium unanimi conſenſu id ipſum probant, partim etiam citationes Πίναχ© apud antiquiores ſcriptores hoc ipſum demonſtrant; ita *TERTULLIANUS* libro *de Præſcriptione adverſus Hæreticos* c. 39. Pinacem Cebetis nominat; Verba ab *AEG. MENAGIO in notis ad Laert. lib. II. Segm.* 125. exhibita ita ſe habent: *Meus quidem propinquus ex eodem Poeta* (Virgilio) *inter cetera ſtili otia Pinacem Cebetis explicuit*; *LUCIANUS* lib. de Mercede conductis ſub fin. *Jam libet mihi Cebetis illius exemplo & imaginem quandam hujus vitæ* (Philoſophorum ab opulentis Romanis mercede conductorum) *tibi depingere &c.* quam etiam ſequentibus verbis Cebetem bene imitatus exhibet. Simili mo-

Autor Tabulæ Cebes.

modo in Rhetorum Præceptore Rhetoricam depingit, atque hac ipſa fictione Cebetem ſe imitaturum eſſe, non vana promiſſione præmonuit Lucianus. Ut nihil jam dicam de *CHALCIDII* loco, de quo §. IVtus aget. Illico autem inferre, Cebetem Socratis auditorem & amicum intelligi debere minime licet: Cum enim nemo fere celebriorum antiqui Orbis Philoſophorum ita proprium atque peculiare habuerit nomen, quin pluribus competierit: cum 21. Ariſtoteles *Jonſius* numeraverit Diſſert. I. de Hiſtoria Peripatetica, hisque 11. alios addiderit de ſcript. H. Phil. libr. I. c. XII. ejusdemque libri Cap. II. 28. celebres Pythagoras, 20. circiter Hipppocrates, totidem Socrates, 16. Platones, 50. Dionyſios, 30. Heraclides reperiri affirmaverit, quid obſtat, quo minus plures etiam Cebetes fuiſſe ſuſpicemur? Et quod magis eſt, *Menagius* l. c. ex Athenæi libro IV. docet, alium fuiſſe *Cebetem Cyzicenum*, atque ex Donati vita Virgiliana amaſium quendam Virgilii hoc ipſo Cebe-

non ſtatim ſequitur, E. Cebes Socraticus.

betis nomine inſignitum fuiſſe. Neque conficies rem, ſi mihi objeceris Inſcriptiones Pinacis, Cebetem autorem *Thebanum* nominantes, quæ patria fuit Cebetis Socratici, teſte Laertio: namque Inſcriptionibus, quas recentiores librarios vel Criticos ex errore vel fraude nonnunquam fecisſe conſtat, non eadem fides eſt habenda, quæ citationibus: In allegationibus autem e. g. Tertulliani & Luciani nulla plane fit patriæ mentio; deinde, quemadmodum duo fuerunt *Euclides Megarenſes*, alter Dialectica, alter Geometria celebris, ſic forte duo etiam fuerunt Cebetes Thebani. Videtur enim unius cujusdam viri celebris nomen in eadem Civitate vel regione pluribus poſtea impoſitum fuiſſe, forte ut nomen omen haberet. Non igitur *omni* exceptione major eſt hujus argumenti vis.

§. III.

An Autor Tabulæ alius quam Cebes Socraticus?

Contraria plane amplectenda eſſet ſententia, ſi certa in Tabula noſtra indicia demonſtrarent, autorem ejusdem Cebete Socratico eſſe longe

Argum. aff. I. a Platonis citatione

inferiorem, quæ eſt *Hier. Wolfii* ſententia in ſua Cebetis editione. Examinabimus autem eandem. Nititur inter alia hoc etiam fundamento, quod Plato, junior Cebete Socratico in Pinace allegatur: conferatur *Sam. Petiti* Miſcell. L. IV. c. IV. Verba Pinacis Cap. XXII. ſecundum diviſ. Biſchoff. vel pag. 213. edit. Berkel. hæc ſunt: Γράμματα καὶ τὰ τῶν ἄλλων μαθημάτων, ἃ καὶ Πλάτων φησὶν ὡσανεὶ χαλινοῦ τινος δύναμιν ἔχειν τοῖς νέοις. Videtur hic Caſellio atque Snecano reſpici locus Platonis lib. VII. de Legibus, quem *M. Auguſt.* Biſchoff exhibet in ſuis ad Cebetem notis p. 179. Sed ut verum fatear, ſine ſufficienti fundamento junior Cebete Socratico dicitur Plato. De Cebetis anno natali altum eſt apud antiquos ſilentium; auditorem vero Socratis fuiſſe, hujus morti adfuiſſe, & quidem vegetum adhuc, (quod e teſtimonio Socratis §. I. propoſito conjicere licebit) atque Socratem ſupervixiſſe dubio caret, per ea, quæ *Xenophon* in *Memorab.* & *Plato* in Phædone de Cebete adducunt. Platonem initio Olymp.

Refutatur.

ß. natum, vigeſimo ætatis anno, h. ſub finem Olymp. 92. Socratis diſciplinæ ſe tradidiſſe, octo annos ad finem Olymp. 94. in eadem perманſiſſe, e *Laertio* diſcimus. Hoc ipſo autem octennio Platonem aliquos Dialogorum ſuorum conſcripſiſſe, credendum eſt, quandoquidem Socrates *Lyſidem* Platonis audiviſſe atque de eodem dixiſſe fertur: *quam multa de me mentitur adoleſcens*, *Laert. III. 35.* Cumque Socrates Olymp. 95. a. 1. mortuus fuerit, (vid. *Charpentier* diſſert. de tempore mortis Socr. ad finem vitæ Socratis) atque Cebetem ſuperſtitem reliquerit, facillime contingere potuit, ut Cebes omnia condiſcipuli ſui Platonis opera viderit legeritque. Denique ſi vel maxime nihil plane ſcriptorum Platonicorum vidiſſet Cebes, ex ore tamen Platonis laudata verba in Pinacem transferre potuit. Junior igitur Cebete, cujus ætatem determinare neſcimus, dici nequit, cui eodem uſus erat Præceptore Socrate Plato. Si vero inconveniens putes, ſenem, quem loquentem indu-

ducit Cebes, verba citare Platonis ſe junioris, atque exinde denuo inferre velis, autorem Dialogi juniorem eſſe Cebete Socratico; vel concedam, humanum quid paſſum eſſe Cebetem, vel, quæ præcipua videtur reſponſio, maximam Platonis celebritatem urgebo, quam ingenii ſui excellentia adhuc juvenis, ipſius Socratis encomio, conſecutus eſt, quaque ſenibus etiam ita ſe commendare potuit, ut verba ipſa Platonis vel lecta vel audita in ore habere non erubuerint, conf. quæ infra dicentur ſub initium §. IX. Licebit etiam conjicere, Cebetem Thebanum, cum Socrates moreretur, vegeta ætate XL. circiter annorum gaviſum, numeroſam ſenectutem (quam plures Socratici continentia ſua obtinuerunt) attigiſſe, atque paucis ante obitum annis Pinacem conſcripſiſſe: videtur enim ſub Sene, præcipuo Dialogi interlocutore, ipſe intelligi Cebes; quibus poſitis atque facile concedendis non videbitur incongruum ſenem legere, citantem verba Platonis, qui & ipſe tunc temporis ſenex

erat

rat, atque cum moreretur Socrates, parum abeſſe poterat a quadrageſimo ætatis anno, vid. *STANL. Hiſt. Philoſ. p. 285. edit. Lipſ.* Si ſine Codicum autoritate, atque prægnanti ratione, Criticum agere licet, poſſumus ſuſpicari, verba Platonis Gloſſematis inſtar ab erudito quodam margini olim adſcripta, poſt librarii cujusdam culpa in ſeriem Orationis male illata fuiſſe, quod ſæpius contigiſſe *JO. CLERICUS* bene obſervavit, *Art. Crit. P. III. Sect. I. cap. VII.* Sed ab hac conjectura, leviſſima hoc in loco, lubentiſſime abſtineo, quamvis *CASAUBONUS* eandem ſuam fecerit in nota p. 154. edit. Berkel.

§. IV.

Argum. aff. II. a Dialect. Voluptar. Critic. Peripatetic. mentione.

Novum argumentum pro ſententia Wolfiana ſuppeditat locus, quem Cap. XI. p. 182. ed. Berkel. ſqq. legimus, ubi a ſene inter amatores falſæ eruditionis, [ψευδοπαιδείας] referuntur ποιηταὶ, Ῥήτορες, Διαλεκτικοὶ, Μουσικοὶ, Ἀριθμητικοὶ, Γεωμέτραι, Ἀστρολόγοι, Ἡδονικοὶ, Περιπατητικοὶ, Κριτικοί. Dialecticorum autem iſtud nomen Socratici quidem Cebetis tempore

nondum in contemtu, vel abuſu dehoneſtatum fuiſſe, *JO. ALB. FABRICIUS* aſſerit, *Biblioth. Græc. libr. II. cap. XXIII.* ad *JAC. THOMASII diſſert. XXXIV. de VII. Artibus liber. p. 380. ſeq.* provocans. Ἡδυνικοί, *Voluptarii*, quo nomine Ariſtippei atque Epicurei intelligantur, Peripatetici ſive Ariſtotelis aſſeclæ, atque Critici, quorum nationem Ariſtoteles demum vocaverit, multo videntur Socraticis temporibus inferiores, quam ut a Socratico ſapiente nominari potuisſent; vid. Wolfius, Fabricius, Petit ll. c.c. Faciliima eſt ad hoc argumentum reſponſio Petiti atque Fabricii, nomina, quæ ſcrupulum faciunt, a Gloſſatore recentiore ad marginem poſita, licet pleraque exemplaria unius forte librarii incuria, in textum ipſum transſumſerint, Cebeti tamen autori Pinacis aſſignari minime poſſe. Probant id ipſum e Codice Cebetis, quo uſus erat *Chalcidius*, Philoſophus Platonicus, Vir accuratiſſimus, ſi *BARTHII* credimus verbis, a *MORHOF. Polyh. II. 1. 7. 19.* prola-

Reſp. I. Verba illa interpolata.

tis. Hic enim in Comment. ad Timæum Platonis ſcientias nominans, quibus puerilis ætas imbui conſueverit, & de quibus Cebes pronuntiaverit, omiſſis Poëſi, Rhetorica, Dialectica, Critica, Voluptariis atque Peripateticis, mentionem tantum facit Geometriæ, Muſicæ, Arithmeticæ & Aſtrologiæ, quæ ſunt fere illæ ſcientiæ, quas Socrates quo ſubtilius atque ſublimius tractentur, eo inutiliores cenſuit apud *Xenophontem* in Ἀπομνημ. lib. IV. p. m. 512. ſeqq. Confirmat hanc reſponſionem egregie *Salmaſius ad Paraphr. Tab. Cebet. Arabicam p.* 79. teſtatus, omnes, quæ ante ipſum prodierunt, hujus Tabulæ Græcas editiones *unius duntaxat exemplaris* lectionem exhibere: nihil igitur creditu facilius, quam unius librarii incuria exemplaria fere omnia, etiam quoad translationem hanc Gloſſematis, depravata eſſe. Pluribus hanc interpolationem detegere promiſit *M. AUGUST.* Biſchoff in tractatu Critico, quem molitus eſt, cum Ce-

betem ederet, teſte nota ejusdem ad p. 83.

§. V.

Resp. 1. Si tamen largiri vellemus, ipſum hujus Tabulæ autorem Dialecticorum, Voluptariorum, Peripateticorum, Criticorum nomina adhibuiſſe; Si concederem, *Chalcidio* animum non fuiſſe, integrum proferre Cebetis locum, omnesque nominare, quas Cebes nominaverit diſciplinas, cum non niſi de quatuor diſciplinis præparatoriis diſſerendi occaſionem habuerit; Si denique unanimis ſuperſtitum Cebetis Codicum conſenſus genuina hæc eſſe verba ſufficienter demonſtraret, (prout recentiſſima *HADRIANI RELANDI* editio Traj. 1711. 4. eadem exhibet, neque collati a *MARCO MEIBOMIO* Codices manu exarati ullam habent variantem lectionem, præterquam quod loco vocis περιπατητικοὶ legerit περιπατικοί) Nihilominus negari poteſt conſequentia: Ergo autor Tabulæ hos nominans, atque falſæ ſapientiæ amatoribus annumerans, Cebete Socratico recenti-

or

or multo haberi debet. Quod attinet ad DIALECTICOS, non negabo, Platoni Dialecticos bene audire, atque ſapientem Platonicum eſſe Dialecticum, id quod variis in locis docet; concedam, Megaricos illos Philoſophos, qui ab Euclide Socratis diſcipulo deſcenderunt, diu poſt Socratis, imo & Cebetis Socratici tempora, Ἐριστικοὺς atque Διαλεκτικοὺς per contemtum fuiſſe dictos, confer. Laert. lib. II. Segm. 106. (quamvis per conjecturas §. III. propoſitas improbabile non ſit, Cebeti innotuiſſe Euclidem ejusque aſſeclas, quos Dialecticos dixerunt,) neque tamen deerit reſponſio. Primo enim ex precio, quod apud Platonem obtinuit Dialectica, firmiter ſatis concludi non poteſt, Cebeti etiam Socratico eandem diſciplinam non poſſe non placuiſſe: multo potius quemadmodum Socrates, ab omnibus ſubtilioribus & ſublimioribus ſcientiis alieniſſimus, eas tantum coluit diſciplinas, quæ ad virtutem & felicitatem humanam referuntur, vid. XENOPHON Memor. lib. I. CICER. Acad.

Dialectici nominari potuerunt a Cebete Socratico,

Acad. quæſt. lib. I. c. 4. & Tuſc. quæſt. libr. V. c. 4. atque *GELLII, Noct. Att. lib. XIV. cap. 3. LAERT. lib. II. Segm.* 21. ita credibile admodum eſt, Cebetem, qui nullam condidit peculiarem ſectam, ſed Socrati, quem impenſe amavit, vid. Xenoph. *Memor.* lib. III. p. m. 493. conſtanter fuit addictus, quoad Dialectices aliarumque iſtiusmodi ſcientiarum ſtudium multo ſenſiſſe aliter, quam quidem Plato, cujus a Socrate hac in parte factam ſeceſſionem ſatis notam eſſe arbitror. Nihil incongrui dicam, ſi ſtatuam, Sophiſtas, quorum ſapientia omnis in garriendo & captioſis diſputationibus conſiſtebat, quosque Socrates juſto proſequebatur odio, Dialecticorum nomine a Socraticis fuiſſe appellatos, poſtea vero, cum Euclides, Socratis diſcipulus, hujusque aſſeclæ Megarici ad Sophiſtarum ineptias relaberentur, his ipſis nomen Dialecticorum, quod Socratici Sophiſtis per contemtum dederant, fuiſſe impoſitum, idque dignum viſum Laertio, quod l. c. indicaret. Ad hæc annotan-

tandum, ſecundum Cebetem l. c. ψευδοπαιδείας ἐραστὰς non eſſe Dialecticos, ſed nominari tantum, ita ut in dubio relinquat: an re vera tales ſint & dici mereantur, nec ne? Denique cum *Jo. Clerico* in *Silvis Philolog.* Aeſchini adjectis, *Cap. VIII.* §. *V.* obſervamus, Dialecticam & reliquas, quas Cebes l. c. nominat Scientias, non omnino inutiles ab eodem rejici, cum *Cap. XXII. p. m. 213. ſeqq.* adoleſcentibus freni inſtar, atque ad veram eruditionem aliquantum utiles eſſe profeſſus fuerit, ſed eos carpi homines, qui Dialecticæ, Aſtrologiæ, reliquisque nominatis ſcientiis unice vel ſaltem præcipue ſuam impendunt operam, harum gnari omnem ſe adeptos eſſe eruditionem arbitrantur, has propter ſe expetendas putant, de reliquo autem Philoſophiæ moralis atque Virtutis maxime omnium ſunt expertes.

§. VI.

Pergo ad Ἡδονικὰς *VOLUPTUARIOS*, quorum mentio apud Cebetem occurrens vel juniorem Cebetem Socratico antiquiorem arguere, vel inſi- *Etiam Voluptarii,*

ter-

terpolationis indicium eſſe videtur, inprimis ſi Epicuri de grege porcos, vel Epicuri genuinos diſcipulos, ſub hoc nomine ſignificari putes. Sed nullam video neceſſitatem Epicureos hoc loco intelligendi, cum ſciamus *Ariſtippum*, & hujus aſſeclas Cyrenaicos voluptatibus fuiſſe deditos, easdemque pro fine hominis habuiſſe, teſte *Laertio lib. II. Segm. 87.* & hanc ipſam ob cauſam *HEDONICOS* fuiſſe dictos e *Galen. Hiſt. Phil.* recenſeat *Stanl. p. 243.* cum *Xenophon* Ἀπομν. *Lib. II.* ab initio referat ſermones, quibus Socrates Ariſtippum ceu Voluptarium perſtrinxerit, atque hinc dubium nullum ſit, quin Cebes Socraticus data occaſione Cyrenaicorum non minus vitam, quam
etiam Critici, dogmata ad ψευδοσοφίαν retulerit. Porro urgent *CRITICORUM* nominationem, quam Ariſtotele antiquiorem eſſe negant, confer. *Ge. Hornii Hiſt. Phil. lib. III. Cap. XIX.* hincque argumentantur a Cebete Socratico oriri non potuisſe. Negamus vero Criticorum originem poſt Ariſtot. demum tempora eſſe quaerendam,

dam, ſiquidem *Æſchines Dial. III. de morte Cap. VII.* Criticorum mentionem habet, atque ſub iisdem interpretes Poetarum, qui pueris prælegebantur, intelligit, vid. V. Cl. *Clerici Annot. ad h. l.* Ceterum Criticos, id eſt, emendandis veterum ſcriptis occupatos viros, ſi non quoad ipſum hoc nomen, quoad rem tamen multum ante Ariſtotelis tempora extitisſe, vel ex *Hornii l. c.* conſtare poteſt, *conſ. Cler. Ars Crit. P. III. S. I. c. II.* §. 13.

§. VII.

Majorem ſcrupulum relinquunt *PERIPATETICI*, qui cum idem videantur esſe, quod Ariſtotelici, Cebetis Socratici ætate longe putantur inferiores, atque ab eodem non potuisſe nominari, ſi quidem ſecundum *Stanlejum Hiſt. Phil. de Ariſt. c. VI.* & citatos ibidem ſcriptores veteres, Ariſtoteles non niſi ſub initium Olymp. CXI. Peripateticam condidit ſectam, id eſt, XVI. Olymp. vel 64. annis poſt mortem Socratis, atque ſecundum ſupputationem *Jonſii*, qui de Chronologia Hiſto-

Etiam Peripatetici.

riæ

riæ Philoſophicæ admodum eſt ſollicitus, Ariſtoteles mortuus eſt Olymp. CXIV. a. 3. cum Peripato in Lyceo præfuiſſet annos XIII. vid. *Jonſ. de Script. Hiſt. Phil. lib. I. cap. XI.* quibus poſitis Cebeti ætas plus quam centum annorum aſſignanda eſſet, ſi Ariſtotelicos ipſi cognitos fuiſſe ſtatuere velimus. Reſponſionis loco negari poſſet, Ariſtotelicos tanto temporis intervallo Cebete noſtro juniores eſſe, ut huic innoteſcere non potuerint. Videntur pleraque, quæ in Hiſtoria Philoſ. occurrunt, Chronologica admodum eſſe incerta, quia plerique harum circumſtantiarum autores non fuerunt σύγχρονοι Philoſophorum, quorum vitas deſcribunt, atque hinc omnium minutiarum non ſatis eſſe potuerunt gnari, quia diverſi autores nimium quantum in talibus diſſentiunt, & denique in nulla re alia & autorum & librariorum παροράματα frequentiora eſſe admodum eſt credibile. Cum igitur tanta ſit Chronologiæ incertitudo, nulla urget neceſſitas, ut vocem *Peripateticorum* eCe-

Vel diffidendum Chronologia.

e Cebetis Tabula expungendam, vel autorem ejusdem alium & quidem juniorem Socratico illo exiſtimemus; multo potius ex hac ipſa Peripateticorum mentione probabiliter concludemus, Ariſtotelem cum aſſeclis ſuis ante Cebetis obitum famam in orbe erudito conſecutum fuiſſe. Neque huic aſſertioni ullum refragatur eorum capitum, quæ extra dubium eſſe cenſentur. e. g. Platonem poſt obitum Socratis peregrinationibus vacaſſe; Ariſtotelem Platonis inſtitutione uſum, poſt cum Alexandro M. converſatum aliquandiu eſſe, antequam ſuam inſtituiſſet ſectam. Ponamus Platonem mox poſt obitum Socratis, abſolutis itineribus, quibus ſex aſſignabimus annos, condidiſſe ſectam ſuam, Ariſtotelem vero in doctrina Platonis & penes Alexandrum M. XX. perſeveraſſe annos, donec ipſe Sectæ Peripateticorum originem dederit, ponamus uti ſupra §. III. Cebetem XL. circiter annos natum, cum Socrates moreretur ad octogeſimum usque ætatis annum ſuperfuiſſe, tunc nihil

abſurdi ſtatuemus, aſſerturi, Cebeti cum Septuagenarius jam eſſet, Peripateticos primum innotuiſſe, atque cum mox ante obitum Pinacem conſcripſiſſet, eosdem in eadem commemoraſſe, & quidem ceu Pſeudo-Philoſophos, quibus genuinus Socraticus non poterat non annumerare Ariſtotelicos, ſubtilibus ſpeculationibus nimium deditos. Quod ſi vero putes *Apollodori*, Chronologi antiqui, ad quem Laertius aliique ſubantiqui Scriptores provocare ſolent, & ex cujus Chronicis ſupra indicata ſupputatio deſumta eſt, autoritatem exceptione omni majorem eſſe, melioris reſponſionis loco regeremus, præter & ante Ariſtotelicos alios dari Philoſophos, quibus Peripateticorum nomen fuit impoſitum. Non provocabo nunc ad *Antiſthenem*, autorem Sectæ Cynicæ, & Socratis auditorem, (qui ante Ariſtotelem vixit, ut Jonſius computat de *Script. Hiſt. Phil. lib. I. Cap. VIII.*) quem Peripateticum fuiſſe dictum *Suidas* autor eſt: non enim contemnenda eſt Jonſii conjectura, Svidam con-

Vel præteret ante Ariſtotelicos Peripatetici ſtatuendi.

confudiſſe duos Anthiſtenes, unum *Cynicum*, alterum *Peripateticum*, & male hos unum eundemque feciſſe. Prætereo etiam *Phraſidemum* Peripateticum Stilponis, quem Socraticis vel accuratius Megaricis annumerat Laertius, diſcipulum, vid. *Laert. lib. II. Segm. 114.* videtur enim Ariſtotelicus fuisſe hic Phraſidemus, partim quod inter Dialogos Stilponis unum, *ARISTOTELES* inſcriptum, fuiſſe legimus apud Laert. l. c. Segm. 120. partim quod aliis indiciis Ariſtoteli hujusque aſſeclis σύγχρονον fuiſſe conſtat: Commemorari etiam poſſunt *Menedemi Auditores*, quos *Eretriacos* vocant, atque ceu Peripateticos deſcribit Laertius l. II. Segm. 130. referens, *nulla ipſis fuiſſe ſubſellia per gyrum diſpoſita, ſed quemque ipſorum audiviſſe Menedemum*, ὃν ἂν ἕκαςος ἄλυχε περιπαλῶν ἢ καθήμενος, *ut ipſi contigit ambulare aut ſedere.* Excipi poſſet, Menedemi ætatem tanto intervallo a Socraticorum temporibus esſe remotam, ut eadem facilitate, qua Eretriaci, Ariſtotelici quoque Cebeti Socratico innoteſcere

potuiſſe videantur. Diſpiciendum igitur de Peripateticis antiquioribus: Si Platonicos hoc nomine intelligere poſsemus, ſublatus eſſet ſcrupulus omnis. Videtur autem id ipſum cum ſpecie aliqua ſtatui poſſe, e verbis *Franc. Patricii*, quæ objectionis inſtar proponit Diſcuſſ. Perip. Tom. I. lib. X. *Laertius & Ammonius Hermiæ, ajunt a Platone id nomen ortum. Sic enim ille in fine Clitomachi*, ἡμεῖς δὲ τοὺς Ἀκαδημικοὺς τοὺς ἀπὸ Πλάτωνος διεληλυθότες, ἔλθωμεν ἐπὶ τοὺς ἀπὸ Πλάτωνος περιπατητικούς, ὧν ἦρξεν Ἀριστοτέλης. *Nos vero Academicos, qui a Platone, cum recenſuerimus, veniamus ad Peripateticos, qui a Platone, quorum Princeps fuit Ariſtoteles. Ammonius vero prolegumenis Categoriarum ita ſcripſit*: οἱ δὲ περιπατητικοὶ, διὰ ταύτην αἰτίαν οὕτως ἐλέγοντο Πλάτων γὰρ γυμνασίας ἕνεκεν περιπατῶν, ἐποιεῖτο τὰς πρὸς τοὺς ἑταίρους συνουσίας, ὃν ὁ Ἀριστοτέλης διαδεξάμενος ἔσχε τὴν ἐκ τῆς ἐνεργείας, ἤτοι τὴν τοῦ συμβεβηκότος ἐπωνυμίαν: *Peripatetici vero, talem ob cauſam ita dicebantur. Plato enim exercitii cauſa deambulans, faciebat cum ſociis converſa-*

ſa-

ſationes, *cui Ariſtoteles ſuccedens, habuit ex actione, ſeu accidente, cognomen. Horum ſententiæ favet illa opinio, quæ pervulgata eſt, Platonem cum eſſet nimium vegeto corpore, ejus extenuandi gratia, Academiam, locum inſalubrem ad habitandum, atque etiam ad docendum elegiſſe, ibique ne nimis aeris peſtilentia illi noceret, deambulationes exercuiſſe.* Non igitur improbabile eſt, Cebetem Platonicos nomine Peripateticorum indicatos ad Pſeudo-Philoſophos retuliſſe. Sed cadit hæc etiam reſponſio. Licet enim concedamus, *Platonem primum fuiſſe deambulatorem*, nomen tamen Peripateticorum non Platonicis, ſed Ariſtotelicis demum fuiſſe impoſitum, vel ex ipſis a Patricio citatis Laertii & Ammonii locis conſtare poteſt; Minimum ſine ullo veterum teſtimonio aſſerendum eſſet, ipſos quoque Platonicos nomine Peripateticorum antiquitus fuiſſe indigitatos. Succurram vero huic reſponſioni nova, cui minorem oppoſiti formidinem ineſſe puto. Diſcimus ex editione *Epicteti & Cebetis Relandina*,

Vel legendum περιπατικοὶ i. e. Doctores publici.

Codicem quendam MSCtum, a Meibomio inſpectum, loco vocis Παρεπταλητικοὶ legere Περιπατικοὶ. Hanc ſi aſſumamus lectionem, nihil erit, quod Socratico Cebeti minus convenire, atque in Gloſſemate in textum male transſumtum ſuſpicari poſſis. Quid vero ſint Περιπατητικοὶ patebit, ſi Peripati dedero explicationem è *JO. FRID. GRONOVII* Exercitat. Acad. de *Muſeo Alexandrino*, quam *JAC. GRONOVIUS*, filius, Theſauro ſuo Antiquitatum Græcarum Volum. VIII. inſeruit: Περίπατος *locus eſt, qui vicem auditorii habet, in quo inter deambulandum diſputabant docebantque diſcipulos homines philoſophi aut Philologi. Vindicatum hoc quidem & quaſi addictum* Περιπάτῳ, *ſive ambulacro Lycei Gymnaſii ab Ariſtotele Athenis & in Ariſtoteleorum familia* καθ' ἐξοχὴν *id vocabulum hæſit, ſed tamen multis quoque aliis, & quidem ante hunc Nicomachi filium, placuit hic mos non tam diſcipulos, quam ſectatores habendi, & inter ambulandum diſſerere. Hinc factum eſt, ut vox* Περίπατος *diceretur Græcis*

pro eo ipſo, quod eſt ἀκρόασις ὁμιλία, *di-ſputatio, lectio, Schola, pro eo, quod in* Περιπάτῳ *faciebant. Apud Ariſto-phanem (qui ante Ariſtotelem vixit tempore belli Peloponneſiaci longe an-te Philippum) in* Βατράχοις *a. IV. ſc. 1. ubi Aeſchylus & Euripides litigant, ait ſe Euripides cum Tragoediam ni-mis tumentem & inflatam ab Aeſchy-lo accepiſſet, attenuaſſe* ἐπυλλίοις καὶ περιπάτοις; *verbis minutis & diſputatio-nibus conciſis, vel characteris dicendi tenuis, quali ſcil. in docendo utimur, cum Æſchylus decompoſitis frequenter uteretur. Ibidem Bacchus ad Euripi-dem: Omitte iſta amice* οὐ σοὶ γάρ ἐστι περίπατος κάλλιστος περί γε τούτου *neque enim tibi pulchra diſputatio eſt de hac re. Scholiaſtes antiquus interpreta-tur* Διατριβὴν *recte; nam & Latinis vox diatriba pro eo dicitur Gell. libr. I. c. 26. & libr. XVII. c. 20.* Quem-admodum igitur ab Ariſtophane adeoque Cebetis Socratici ætate, (interfuit enim Socrates dramati Ariſtophanis Nubibus, quo ipſe tra-ducebatur Aelian. lib. I. c. 13. Plut. de Ed. liber. Περιπάτου nomine di-

ſputatio, lectio, Schola; ita Περιπατητικῶ nomine *Doctorem publicum*, qui in Peripatis diſputare & docere ſolet, intelligendum puto, ita, ut ex menteCebetis inter Pſeudo-Philoſophos etiam ſint, qui vocantur Περιπατητικοὶ, Doctores publici. Ne vero gratis & ſine ulteriori ratione lectionem Meibomianam uſitatæ prætuliſſe videar, paucis indicabo, cur mihi hæc arrideat lectio. Quanta fuerit incuria Veterum librariorum, quæſtui deditorum, e Jo. Clerici laudata ſæpius Arte Critica luculenter conſtat. Faciliſſime igitur credendum, hos ipſos loco vocis περιπατικοί, cujus ceu Polyſyllabæ ſingulas non ſatis attenderunt ſyllabas, legiſſe vocem περιπατητικοὶ, illam multo frequentiorem, imo frequentiſſimam, & cui cum hac non tantum affinitas, ſed maxima intercedit convenientia, niſi quod unica ſyllaba brevior eſt. Deinde cum hic in trivio quaſi ſimus conſtituti, & vel ſtatuendum, vocem Περιπατητικοὶ male interpolatam, vel negandum, Tabulam eſſe Cebetis Socratici, vel lectio Meibomiana uſi-

uſitatæ (quæ uni tantum debetur exemplari, uti ſub fin. §. IV. annotavimus) præferenda, tertiam hanc viam præ reliquis facile eligendam eſſe exiſtimo. Socratico Cebeti hunc tribuendũ eſſe Dialogum, poſteaquã deſtruxero ſententias contrarias, rationibus nonnullis adſtruam. Quis vero, ceteris paribus, facilius integras voces interpolatas, quam errore librariorum ſyllabam unicam inſertam, ſibi perſuadeat? Fortasſis librarius falſo putans in voce Περιπατητικοὶ esſe abbreviaturam, corruptionem fecit, ponendo in ejusdem locum Παραπατητικοί, prout ſimilem mendi originem e collatione textus Hebr. in verſione LXX. Interpr. ad Num. XXIV. 17. detexit *LAMBERT. BOS*, *cap. III. Prolegom. ad ſuam LXX. Interpret. editionem*, ubi e voce ἄνθος, quam librarius pro abbreviaturá vocis ἄνθρωπος falſo habuit, falſam illam lectionem veniſſe conjicit: ἀναστήσεται ἄνθρωπος ἐξ Ἰσραὴλ. Nullum igitur, quod momenti alicujús eſſet, ſupereſſe puto dubium, quin Dialecticorum, Voluptariorum, Peripateticorum, Criticorum nomina ab ipſo

ipſo Cebete Socratico, autore Pinacis, profecta putemus, in primis cum omnia, quæ huc usque comparuerunt exemplaria ejusdem hæc verba exhibeant.

§. VIII.

Arg. Aſſ. III. a veſtigiis Platoniſmi,

Inquiremus nunc in ſententias Virorum clariſſimorum *BERKELII in notis ad Cebetem*, *CLERICI* ſilv. Philol. C. VIII. *WOLFII* in notis ad Cebetem, *AUGUST. MASCARDI* in Diſſert. Moral. ad Cebetem Part. III. Diſſert. I. p. 472. ſecundum verſionem Germ. Francof. 1671. in 12 editam, quorum illi Platonicum, iſte Stoicum, hic utrumque fuiſſe autorem Pinacis putarunt, unde novo eoque tertio argumento colligi poſſet, *Cebetem Autorem Tabulæ juniorem eſſe Cebete illo Socratico.* Ut Platonicum habeamus, fortaſſis perſuadeat Platonis allegatio, de qua ſupra egimus; deinde, quod ipſius picturæ, quæ in Dialogo noſtro explicatur, auctor & dedicator, Pythagoricus dicatur; Pythagoricis vero Platonem & Platonicos faventes, Socraticos minus faventes fuiſſe conſtat;

ter-

tia profert: *Nam cui viro ex ſe ipſo apta ſunt omnia, quæ ad bene vivendum ferunt, nec ſuſpenſa aliorum, aut bono caſu aut contrario pendere ex alterius eventis & errare coguntur, huic optime vivendi ratio comparata eſt. Hic eſt ille moderatus, hic fortis, hic ſapiens: hic & naſcentibus & cadentibus cum reliquis commodis tum maxime liberis parebit & obediet præcepto illi veteri: neque enim lætabitur unquam nec moerebit nimis: quod ſemper in ſe ipſo omnem ſpem reponat ſui.* Quibus bene addit Caſelius, neque e Socratis neque ex Platonis mente Deum e numero cauſarum felicitatis noſtræ excludi. Sufficiant hæc Platonismi in Tabula indicia, pro Stoiciſmo ejusdem militare videtur, quod p. 172. &173. inter ea, quæ vulgo bona cenſentur, divitiæ, gloria, nobilitas, liberi, imperia, regna referantur; p. 219. expresſis negatur verbis, quæ homines a Fortuna accipiunt, vitam, ſanitatem, divitias, gloriam, liberos, victoriam, eſſe bona, hujusque aſſerti rationes in ſeqq. proferuntur, quam vero ſententiam in-

& Stoiciſmi

παιδείαν falſi nominis eruditiorrem deſcribit, hujus amatores dicit eſſe Poetas, Oratores, Dialecticos, Muſicos, Arithmeticos, Geometras, Aſtrologos, Voluptarios, Peripateticos, Criticos, ingredi autem ſeptum hoc Incontinentiam atque Opiniones cum vitiis reliquis, Wolfius profert verba Platonis Epiſt. ad Ariſtodorum: *Conſtantiam, fidem, integritatem, veram Philoſophiam eſſe judico. Ceteras autem & alio ſpectantes ſcientias & artes elegantiam quandam & venuſtatem ſi dixero, recte me dicere arbitrabor.* Præterea κάθαρσις, quam neceſſariam putat autor, & de qua ſæpius agit, nimirum p. 180. 186. 194. commonefacit nos καθάρσεως Pythagorico-Platonicæ, quam peculiari diſſertatione expoſuit Vener. *Dn. D. BUDDEUS* in Analectis Hiſt. Philoſ. Porro quando p. 199. Tabulæ legimus, ſapientem *a Beatitudine coronatum non in aliis ſpem felicitatis habere repoſitam, ſed in ſemet ipſo;* Caſelius ad hunc locum commentatus verba Platonis a Cicerone in latinum ſermonem tranſlata Tuſc. Quæſt. lib. V. c. 12. ſequen-

tia

tia profert: *Nam cui viro ex ſe ipſo apta ſunt omnia, quæ ad bene vivendum ferunt, nec ſuſpenſa aliorum, aut bono caſu aut contrario pendere ex alterius eventis & errare coguntur, huic optime vivendi ratio comparata eſt. Hic eſt ille moderatus, hic fortis, hic ſapiens: hic & naſcentibus & cadentibus cum reliquis commodis tum maxime liberis parebit & obediet præcepto illi veteri: neque enim lætabitur unquam nec moerebit nimis: quod ſemper in ſe ipſo omnem ſpem reponat ſui.* Quibus bene addit Caſelius, neque e Socratis neque ex Platonis mente Deum e numero cauſarum felicitatis noſtræ excludi. Sufficiant hæc Platonismi in Tabula indicia, pro Stoicismo ejusdem militare videtur, quod p. 172. & 173. inter ea, quæ vulgo bona cenſentur, divitiæ, gloria, nobilitas, liberi, imperia, regna referantur; p. 219. expresſis negatur verbis, quæ homines a Fortuna accipiunt, vitam, ſanitatem, divitias, gloriam, liberos, victoriam, eſſe bona, hujusque aſſerti rationes in ſeqq. proferuntur, quam vero ſententiam in-

& Stoiciſmi

tetigi, pro Platoniſmo Cebetis noſtri tale fieri poteſt. Picturam, de qua Dialogus agit, dedicavit Pythagoricus aliquis, id quod Pinax mox ab initio docet. Autorem Dialogi magni feciſſe hunc Pythagoricum exinde conſtat, quod picturam ejusdem hoc ipſo Dialogo uberius explicare, eundemque laudare non dedignatus eſt. Apud Platonem & hujus aſſeclas in magno fuiſſe precio Pythagoricos ſatis conſtat, *vid. Stanl. p. 286. ſequent. & p. 291.* Socratem vero & genuinos ipſius diſcipulos a Pythagora admodum fuiſſe alienos, Socratis atque Xenophontis Epiſtolæ docent: illius hæc verba annoto e Stanl. p. 192. *Neque enim clam aliis, ac foribus obſeratis, quod de Pythagora tradunt, Philoſophiæ operam do.* Hujus autem contra Platonem ſequentia e Stanlejo p. 222. excerpam verba: *Illi vero egregii viri, Ægypti & prodigioſæ Pythagoræ ſapientiæ amore capti ſunt, quorum ſupervacaneum ſtudium inconſtantis erga Socratem animi eos arguit;* Si vero Socraticas Epiſtolas ſuppoſitititas putemus cum deſideratiſſimo GOTTFR. OLE-

OLEARIO *Diſſ. de Scriptis Socratis contra L. Allatium* §. X. XI. atque hinc earundem autoritati parum tribuamus, confirmabit noſtrum aſſertum *Xenoph. Memor. de Socr. lib. I.* mox ab initio. In numerum Pythagoricorum referre Cebetem vel ex eo capite non licet, quod contra hujus ſectæ conſuetudinem vid. *Diſſ. mea de Logica ſymbolica* §. III. & VII. doctrinas ſuas publico ſcripto divulgavit. E quibus præmiſſis concludi poſſe videtur, Autorem Dialogi Socraticis annumerari non poſſe, Platonicum vero jure meritoque haberi. Reſpondebo breviter: Ante omnia igitur obſervandum puto, Virum illum, qui Picturam ejusdemque explicationem acceptam fert Cebes noſter (vere, an hæc quoque finxerit, incertum puto, eſt enim μῦθος) non in univerſum & omni modo perhiberi Pythagoricum, deſcribitur enim λόγῳ καὶ ἔργῳ Πυθαγόρειον ΤΙΝΑ καὶ Παρμενίδειον ἐζηλωκὼς βίον i. e. vitæ rationem cum Pythagorea & Parmenidea aliquantum convenientem, & verbis commendaſſe, & re

ipſa imitatum eſſe. Non dicit ſcientiis atque diſciplinis Theoreticis, Phyſica, Aſtronomia &c. fuiſſe Pythagoricum, neque etiam quoad vitæ inſtituta Pythagoræ exactum omni ex parte imitatorem nuncupat Πυθαγόρειόν τινα βίον ἐζηλωκότα, neque ſolius Pythagoræ, ſed Parmenidis etiam aliquem imitatorem depingit. Socrates vero, & Socratici non omnem vitam Pythagoricorum & de virtutibus doctrinas, ſed ſubtiles, inutiles, ſpeculativas, arcanas diſciplinas atque occultationem ſapientiæ improbarunt, uti ex allegatis antea locis conſtat: ita vero a Pythagoricis fuiſſe alienos, ut nihil omnino, ne quidem pictura vel fabula aliqua excepta, laude dignum ab ipſis proficiſci potuiſſe putaverint, eo minus mihi perſuadere poſſum, quo magis hoc ipſum a moribus Socraticis abhorret. Converto me nunc ad tertium dubium, quod e manifeſta quorundam Tabulæ locorum cum verbis & ſententiis Platonis convenientia infert, Autorem ejusdem non Socraticæ, ſed Platonicæ ſectæ fuiſſe ad-

neque convenientia dogmatum, cum dogmatibus Platonis.

addictum. Negamus autem vim hujus conſequentiæ ea in primis de cauſa, quia innumera fere ſunt dogmata, in quibus multum inter ſe diſſidentes Philoſophorum ſectæ conveniunt e. g. Immortalitatem mentis humanæ Socratici, Platonici, Pythagorici aliique ſtatuerunt: e dogmatum igitur convenientia certæ cuidam ſectæ autorem aliquem adſcribere non poſſumus, niſi eadem ſectæ propria & characteriſtica eſſe certo conſtet. In ſpecie quod attinet ad Platonem, notiſſimum eſt, fuiſſe diſcipulum Socratis, plures hujus doctrinas retinuiſſe, atque in Dialogis ſuis magis ſententiarum Socratis interpretem, quam propriarum atque novarum doctorem videri voluiſſe: quamvis enim (quod refert *Laertius* lib. III. Segm. 35.) *Socrates audito Platonis Lyſide dixiſſe feratur: Proh dii immortales, quam multa de me mentitur adoleſcens: quandoquidem non pauca ſcripſit vir ille, quæ Socrates non dixerat:* ex his tamen ipſis verbis colligimus, multa quoque eſſe in ſcriptis Platonis, quæ

Socratis mentem accuratius expriमant. Praeterea novimus in Theoreticis alios, in Practicis ſolum Socratem fuiſſe ſecutum, vid. *Laert. III.* 8 & 56. Tamdiu igitur citata Platonis verba, quae ad activam pertinent Philoſophiam, Socratica atque ex mente Socratis prolata judicamus, donec probetur contrarium: Adeoque non minus probabile eſt, ex ipſo fonte, Socratis nimirum ore, in Cebetis noſtri Tabulam derivata fuiſſe nominata dogmata, quam e Platonis ſcriptis. Silentio nunc praetereo rationes, ob quas Platonicis annumerari non poſſe Cebetem noſtrum ſequens §. docebit. Magnam quidem lucem foenerarentur reſponſiones noſtrae, multumque nanciſcerentur ponderis, ſi talia, qualia §. VIII. e Pinace excerpſit, in monumentis Socraticis indubiis deprehenderemus: ſed cum horum pauca ſuperſint, id quidem ſperari vix poteſt. Καθάρσεως tamen, quae in *Cebete p. m. 194.* cum purgatione medica cauſas morborum ejiciente comparatur, veſtigia reperio in Xe-

no-

nophont. Memor. de dictis & factis Socr. libr. 1. p. m. 452. ubi Socrates Critobulo amore laſcivo capto conſulit, ut integrum annum peregrinetur, vix enim intra id ſpatium ab hoc morſu *convaliturum eſſe*. Huc refero, quæ habet Charpentier dans la vie de Socrate p. m. 87. ſc. Plutarcho nominari doctrinam Socratis Medicinam ad purgandas animas corruptas, Euſebium vero dare eidem nomen φιλοσόφα καθαρτικῦ. Plura fortaſſis ejusmodi veſtigia conquiri poſſent, ſed cum opella hæc ultra propoſitum jam excreverit, his diutius non immorabor. Satis, ut puto, refutatæ ſunt rationes, quæ Platonicis Cebetem noſtrum annumerare videntur. Quod ſi igitur in ſequentibus probavero, Cebetem Socraticum eſſe Tabulæ noſtræ genuinum autorem, dubium nullum ſupererit, quin hæc fuerint ipſius quoque Socratis dogmata. Converto me nunc ad Stoiciſmum Cebetis noſtri, pro quo ſpecioſo admodum argumento militare videtur ſententia de Sanitate, divitiis, gloria &c. e bo-

negantur Veſtigia Stoiciſmi in Tabula.

norum numero eliminandis, quæ characteriſtica & haud ultima eſt inter eas, quibus a Peripateticis diſcernuntur Stoici: legi merentur, quæ hanc in rem e Cicerone & Gellio habet egregia *SAM. WERENFELS* in Libro *de Logomachiis Eruditorum* *Cap. II. §. 6.* Reſponſio mea concedit nominatum dogma, ſaltem loquendi modum, *ex parte* characteriſticum eſſe, atque Stoicos a Peripateticis diſcernere; nego autem id ipſum *in univerſum* ita eſſe characteriſticum, ut per illud ab omnibus aliis Philoſophorum ſectis Stoica ſecta differat. Annotavit *ALB. CHRISTIAN ROTTH* in notis ad Cic. Officia p. 12. & p. 956. e Cicerone & Lipſii manuductione *Stoicos ſua dogmata* κατ' ἐξοχὴν *appellaſſe Socratica i. e. ad mentem Socratis maxime accedentia, & quamvis omnes Sectæ ad autoritatem Socratis provocaverint, Stoicos tamen id in primis feciſſe.* Certe Cicero in præf. ad Paradoxa, *Mihi*, inquit, *iſta* παράδοξα, *quæ appellant, maxime videntur eſſe Socratica, longeque veriſſima*; mox in l.

Pa-

Paradoxo *pecunias, opes, imperia, in bonis rebus aut expetendis eſſe*, & ex ſua & ex Stoicorum mente negat. Multo autem certius atque luculentius ex Aeſchinis Dialogis, altero de Divitiis, altero de Morte, probari poteſt, hæc ipſa de quibus loquor, dogmata non Stoicorum demum inventa, ſed Socratica fuiſſe. Cadit igitur ſpecioſum illud pro Stoiciſmo Cebetis noſtri argumentum.

§. X.

Totus hucusque fui in refutandis argumentis, ob quæ *Autor Tabulæ noſtræ alius, & quidem junior quam Cebes Socraticus, videri poſſet.* Superest ut meam proponam ſententiam, qua autorem Dialogi noſtri neque Cebetem aliquem Platonicum, neque Stoicum, quos noſtra Hiſtoriæ Philoſoph. documenta ne nomine quidem norunt, ſed Cebetem Socraticum eſſe. Non fuiſſe Platonicum, neque etiam Stoicum probo ab exemplis Pſeudo-Philoſophorum, quæ p. m. 182. ſeqq. leguntur, e. g. Dialecticos eo refert Cebes noſter (nam §. VII. ſub finem probavi, hoc

Probatur Autorem Tabulæ nec fuiſſe Platonicum nec Stoicum.

hoc una cum vicinis nominibus reliquis non eſſe pro interpolato habendum,) Platoni vero Dialecticum & Sapientem fere Synonyma eſſe, e quam plurimis ejusdem locis, quæ Index ſuppeditat, cognoſcimus. Stoicos idem ſenſiſſe, atque eorundem ſapientem ſolum vel ſemper fuiſſe Dialecticum, teſtatur Laertius in Zenone lib. VII. Segm. 83. In eandem claſſem collocat Pinax Muſicos, Arithmeticos, Geometras, Aſtrologos, itemque Poetas & Oratores: Priores ſcientias a Pythagora hauſiſſe, atque in magno pretio habuiſſe Platonem conſtat; poſteriores Stoicis admodum arriſiſſe, Plutarchus docet lib. de tranquill. animi p. m. 122. his verbis: *Stoici ſapientem illum ſuum, quem ipſi ſibi fingunt, non modo prudentem eſſe & juſtum & fortem conſtituunt, ſed & ORATOREM & Imperatorem & POETAM & regem denique vocant, atque iidem illi omnia hæc ſibi nomina adſciſcere non erubeſcunt.* Quis igitur ſibi perſuadeat, Autorem Tabulæ, qui hæc ipſa Platonicis atque Stoicis tan-

ti æſtimata, atque ex parte ſapienti ſuo vindicata nomina Pſeudo-Philoſophis attribuit, Platonicis vel Stoicis annumerari poſſe? Speciatim non fuiſſe Platonicum ſupra ſub initium §. IX. peculiari argumento occaſione data probavi. E contrario Socratis fuiſſe diſcipulum, cui egregium hoc debemus ſcriptum, vel ſola Diogenis Laertii autoritate probatum dari puto: quamvis enim non ubique ſit teſtis omni exceptione major, & nonnunquam ἀκρισίας accuſari poſſit vid. *Acta Philoſophorum* d. i. gründliche Nachrichten aus der *Hiſt. Philoſ. P. II. Diſſ. V. §. XV. XVI. p. 348. ſeq.* certum tamen eſt, eundem antiquiſſima quæque monumenta fideliter excerpta magna cum induſtria in ſuum transtuliſſe opus: cum igitur Cebetem Thebanum, cui Πίνακα adſcribit, *lib. II. Segm. 125.* Socraticis annumeret; neque hæc ipſius relatio indubiis argumentis refutari poſſit, eidem tamdiu eſt fides adhibenda, donec validioribus argumentis, quam quæ ſupra reſolvi, concutiatur. Aliquaſſe etiam facimus

ſed Socraticum.

mus argumentum e Paraphraſi Cebetis Arabica *JO. ELICHMANNI*, quam edidit cum præfat. *SALMASIUS* Lugd. Bat. 1640. in 4to, quamque ad ſeculum a Chriſto nato IX. refert modo dicta Salmaſii præfatio. Exhibet autem ipſa hæc verſio talem Inſcriptionem: *Enarrat Cebes Platonicus, qui etiam dicitur Socraticus, argumentum Tabulæ.* Exinde colligo jam tum temporis eruditorum alios, forte ob allegationem Platonis, Platonicum, alios Socraticum cenſuiſſe Tabulæ autorem. Illorum ſententiam rejiciendam eſſe modo oſtendi, reſtat igitur hæc, vi cujus *Socraticus* putatur Cebes noſter. Neque ſilentio prætereundus eſt *SUIDAS*, qui *Cebes*, inquit, *Thebanus, Philoſophus, Socratis diſcipulus fuit, cujus Dialogi tres circumferuntur: Septima, Phrynichus & Tabula. Eſt autem Tabula rerum inferalium narratio.* De inſigni convenientia doctrinarum hujus Tabulæ, etiam illarum, quæ Platonicæ vel Stoicæ videri poterant, cum iis, quæ de Socrate apud Aeſchinem, Xenophontem,

tem, Plutarchum aliosque legimus, nihil jam dicam vel repetam. Non enim amo nimiam argumentorum multitudinem, probe ſciens: ea non numeranda, ſed ponderanda eſſe.

§. XI.

Antequam finem huic Obſervationi Criticæ imponam, paucis annotabo duas adhuc ad Cebetem moveri poſſe quæſtiones Criticas: alteram, an Appendix illa, quam Arabica habet verſio, ſit Cebetis? Affirmaverim eandem: rationes ſufficientes dedit *JAC. GRONOVIUS*, atque ex hoc *BISCHOFF*, p. 49. 208. & 213. ſuæ editionis. Id tantum moneo, Arabicam verſionem, in primis quoad hanc clauſulam, non eſſe meram tranſlationem, ſed Paraphraſin, quod Particula hujus Appendicis, quam *ODAXIUS* exhibet, ſatis docebit, ſi cum Arabica conferatur. *Obiter* obſervo, præter editionem *Cebetis* Odaxiani Bononienſem, quam *Salmaſius* l. c. p. 79. deſcribit una cum Cenſorino de die Natali, Epicteti Enchiridio, aliisque Plutarchi, Luciani, ac Baſilii Tractatulis e Gr. trans-

Paucis tanguntur duæ Quæſtiones Criticæ circa Cebetem.

tranſlatis prodiiſſe in fol. 1497. mihi innotuiſſe aliam editionem *MATTHIÆ SCHURERII*, artium Doctoris, qui *Argentorati an. 1508. in 4* ex officina ſua impreſſoria velut primitias ſimul emiſit Athanaſii in Pſalmos Opuſculum, Enchiridion Epicteti, Baſilii orationem de Invidia, Plutarchum de differentia inter odium & invidiam, Tabulam Cebetis Thebani, Baſilii Ep. de Vita Solitaria. Dedicationem brevem ad D. Jac. Schmidhuſen, presbyterum, præmiſit Thomas Wolphius junior D. Altera quæſtio eſt, an ex loco Suidæ allegato colligi poſſit, alium, eumque quartum, libellum a Cebete Socratico extitiſſe. Putant hoc *JUSTUS VELSIUS*, *STANLEJUS*, ubi de Cebete agit, & *MENAGIUS*, ad Laert. II. 125. Negantibus vero partibus eſſe palmam tribuendam e *WOLFII* & *CASAUBONI* ad Cebetem notis primis, & *FABRICII Bibl. Gr. l. II. c. 23.* conſtat. Res omnis eo redit, lectionem uſitatam Suidæ ſine neceſſitate e ſolo cerebro non eſſe mutandam.

OB-

OBSERVATIO LVI.

M. HENR. GOTTLIEB REIME,

Ampliſſ. Facultatis Philoſ. in Acad. Jenenſ. Adjuncti,

De

Voce סֶלָה

INulla Minerva videtur mihi τὸ סֶלָה pro una voce hactenus habitum, nulli radici commode & ſatis pertinenter applicabile. Vnde in eam incidi opinionem, ſenſui textuum ſingulorum, in quibus occurrit, & voci ipſi magis conſulturus, num forte aliqua hic lateat, ut in Rabbinicis loquimur, abbreviatura? Perſpectam eam deprehendere mihi viſus ſum; ita, ut ſingulae litterae ſingulas voces exprimant ſequentes: (ס״) סְלַח (ל״) לָנוּ (ה״) הַשֵּׁם juva nos DEVS, gratioſus eſto nobis, condona nobis DEVS! Vel pro ratione contextus; סְלַח לִי הַשֵּׁם, JUVA ME DEVS! Hilff (uns / mir) HErr, errette, erhöre uns, ſprich dein Ja darzu, o GOtt!

GOtt! Quae opinio mihi ideo placuit, quod:

I. Precantium in DEum fiduciam, cum ardore ſummo conjunctam, ſatis emphatice & pertinenter exprimit.

II. Applicatio hujus ſenſus ad ſingula loca Biblica haud erit difficilis. Tentabimus ſaltem unum alterumque. v. c. Pſalm. III. 5. Multi dicunt, ait Pſaltes, de anima mea, non eſt ipſi ſalus apud DEUM, Selah i. e. juua tu vero me, eripe me, o DEUS! praeter omnem adverſariorum meorum opinionem. Adde v. 5. ſeu poſtremum Cantici ejusdem. it. Pſ. XLVI. 4. Fremant licet, intumeſcant aquae ejus (maris,) tremant montes in cacumine ſuo, Tu Jehoua סלה nos eripe. Prolixam & ad omnia loca accommodatam applicationem facerem, niſi ab unoquoque ſine difficultate facile poſſet inſtitui. Argumento non contemnendo, haud fruſtraneam fore hanc meam opinionem. In qua me

III. Confortavit, convenientia hujus

vor

vocis perpetua cum ſubſtrata in locis omnibus materia, quae ita ubiuis comparata eſt, ut ad eam quadret perpetuo. Intenſiſſimis enim & ardentiſſimis ſuſpiriis adjicitur colophonis inſtar, votum ad DEUM devotum & preces valde intendens. Vnde haud difficulter reſpondebit formulae iſti, hodienum apud nos ſatis receptae; JOVA JUVA? Vel ſi ad Germanicarum Eccleſiarum palatum ex Litania, quam vocant, aſferre velis: Erhöre uns lieber HErre Gott! Hilff uns lieber HErre Gott!

IV. Poſita noſtra explicatione, genium Dauidis exacte exprimit, regii cordis fiduciam, & integrum, quo in DEUM ferebatur, amorem, emphatice nobis ſiſtens. Vnde & unice fere in ejus exſtat hymnis.

V. Conveniens erat, ob crebram ejus in Dauidicorum hymnorum volumine, repetitionem, & quia votum iſtud in Eccleſia Iſraelitica ſatis erat celebre, atque in Choro Eccleſiaſtico ſacro a Muſicis quotidie decantabatur publice, ut abbreviate ſcriberetur. Sicuti alias, frequens alicujus vocis uſus ordinaria & praecipua, quid? quod, cum ſcriptionis & lectionis compendio

uni-

unica fere cauſa eſt abbreviaturarum Ebraicarum.

VI. Quia ſimilem precandi morem iisdem pene verbis, integris vocibus expreſſis, in Scriptura S. non raro deprehendimus. v. c. NUM. XIV, 19. סלח נא לעון העם הזה, condona, remitte, (quaeſo o Jehova!) iniquitatem populo huic. Adde Amos VII, 2. אדני יהוה סלח נא o Domine Jehova! condona quaeſo, &c. Ex quibus & aliis locis facile quis ſubodorari poterat, noſtram vocis סלה ſignificationem, inprimis, quando omnium textuum circumſtantias ponderare volebat. Qvare & hactenus jam quoad rem ipſam interpretes ſenſum ejus non ignoraverunt penitus.

VII. Quia accentuatio Ebraeorum hanc propugnat ſententiam, eam illuſtrat, corroborat. Nam eum inter alia in finem abbreviate ſcripta eſt haec ipſa clauſula votiva סלה, ut, quando praecedens vox cum alia connecti haud poterat, cum hac connecteretur, atque ea ſic vel verſus alicujus integri, vel hemiſtichii minimum finem

fa-

faceret, pio cum voto, cum praecedenti voce facile coaliturа. Quando vero vox τῶ סלה praemiſſa, conjuncta eſt cum alia, divelli illa ſolet,& commode etiam poteſt, quia *integrum* aliquem ſenſum exhibet. Penitus, uti ſeſe habet cum voce לאמר, de qua, Ebraicae accentuationis periti, iique recentiores potisſimum, idem obſervant.

VIII. *Ratio*, eaque ſatis ſolida, & poſtremo loco non habenda, ex tono vocis recte deſumitur. Accentus enim ei adjectus *per* inductionem omnium exemplorum a poſteriori demonſtrat, tonum ejus eſſe in penultima. Qui ſi a priori rem dijudicemus, ordinarie iſtam ſedem occupat. Niſi quod ה finale, ſive radicale, ſive eſſentialiter ſervile fuerit, praecedente vocali longa, ultimam ſemper ſyllabam ſibi vindicet. Quod cum in voce סלה non ſit, apparet, ex radice סלה eam derivari non debere, quin nec ex ulla alia, ne imperfecta quidem quoad ſecundam. Hiſce enim in caſibus ſingulis tonus non posſet non eſſe in Syllaba ultima. Ad Paragogen enim confugere, foret latibula quaerere. Neque negotium facesſit mihi

I. Quod littera (ה) durius forte non nihil ex aliquorum mente τὸ הַשֵּׁם ſeu DEVM ipſum exprimere videri poterat, quippe quae vox Stylo ſaltem Rabbinico, (apud Rabbinos enim id frequentisſimum eſt,) hunc in ſenſum & modum uſurpata credi ſolet. Namque eundem in ſacris quoque non eſſe prorſus inuſitatam, probo ex DEUTER. XXVIII. 58. ubi, ſi non, inquit Moſes, obſeruaueris omnia verba legis hujus, ſcripta in hoc libro (לְיִרְאָה הַשֵּׁם) pro timendo DEO majeſtatico & venerabili, &c. Ex quo loco manifeſtum eſt, Moſis jam tempore viguiſſe, & ab ipſo Moſe nomen iſtud הַשֵּׁם pro ipſo (יהוה) DEO eſſentiali κατ' ἐξοχὴν, fuisſe adhibitum & uſurpatum. Quem deinceps Rabbinici Doctores, vetita praeſertim inter Judaeos pronunciatione nominis eſſentialis Jehoua, frequentisſime ſunt imitati. Adde LEVIT. XXIV, 11. Maledixit vero natus mulieris Iſraelitae (אֶת־הַשֵּׁם) DEO, &c. Neque

II. Vocales obſtant meae hypotheſi. In abbreuiaturis legendis enim adhiberi

ſo-

ſolent vocales ordine primae, vocalis (A) ut plurimum, ſed & vocalis (E). Vtraque adhibita eſt in hac voce, majoris Euphoniae ergo. Magis obſtare mihi videtur

III. Quod nullibi locorum in S. Litteris ulla aliqua vox amplius abbreviate ſcripta deprehenditur, adeoque res ſine exemplo parallelo eſt. Sed ne hoc quidem meam mihi eripiet ſententiam, penſitanti, multa oppido in SS. Scriptura occurrere ἅπαξ λεγόμενα, uti inter omnes conſtat. Sine ſemel ea in univerſo codice exſtent abſolute, ſiue certo ſaltem reſpectu & ſpecialiori circumſtantia non amplius obuia ſint, quo noſtrum סלה pertinet. Licet itaq; hactenus nulla ſeſe in ſacris exſeruerit ſententiarum aut vocum abbreuiatio alia: huic tamen voci Selah ea omnino tribui poterit, & certe debebit, quia in ea requiſita, quae ad abbreuiaturam requirun-tur, adſunt omnia, cum in nulla alia eadem inueniſſe meminerim. Huic valde vicinum eſt

IV. Contra meam ſententiam prolatum dubium, quod formari poteſt exinde, quia non conſtat, antiquis ſub temporibus

morem abbreuiandi fuiſſe receptum. Vnde concludendum ſit, a minori quaſi ad majus, eum Codici ſacro, per θεοπνευςίαν, inque cana antiquitate exarato, minime competere, adeoque hunc abbreuiaturas nullas admittere. Sed, ut verum fatear, fruſtra id quoque ſupponi mihi perſuadeo, Siquidem deprehendo, in antiquisſimis, aliis, & maximae inter Judaeos autoritatis, quaeque ab hac gente ipſa ad nos peruenerunt, voluminibus, deprehendi voces abbreuiate ſcriptas. Ne prolixus ſim, unice nunc prouoco ad iſtam, quae in Paraphraſibus Chaldaicis frequens eſt, vocula (יְיָ) vocem יְהֹוָה ex radice היה vel הוה formatam, & ſic in compendium redactam atque contractam exhibens, eamque, ni multum fallor, unice abbreuians, & nullam amplius aliam. Id quod iterum tertiam etiam, a me ante motam objectionem, nouo neruo & robore deſtruit. Cum per omnes in uniuerſum Codices Targumicos ſola atque unica, quod ſcio, vox יהוה non plena pingi ſoleat. Sed haec hic obiter, Redeundum eſt ad hanc IVtam Objectionem. Cum itaque modum hunc per compendium voces exhibendi in antiquisſimis Judaeorum monumentis inueniam;

ma-

majori ſane jure auguror, antiquiſſimum eundem, & propterea etiam e Sacro Codice non eliminandum eſſe. Majus ſane pondus habebo, quam ſi quis alius, monumentis omnibus deſtitutus, conjectari velit, recentiori aetate eum excogitatum, atque a Sacris alienum eſſe. Idque eo magis, quoniam Judaei Paraphraſibus Aramaeis non multum minorem, ſi non eandem, aut forte etiam majorem tribuunt, perperam licet, autoritatem, ac ſanctitatem, quam ipſi Codici authentico Ebraeo. Abbreuiationem tamen, quam annotaui, in iiſdem admittunt, & non expungunt. Quibus animadverſis, unicum modo, idque

Vtum, adhuc reſtare videtur dubium, omnino e medio tollendum, quod ſcilicet haec abbreuiatura nullibi locorum in Scriptura S. abbreuiationis ſigno inuenitur notata, ſive in textu, ſive minimum in margine id quaeſiueris. At vero, ut huic quoque *pro virili* faciam ſatis, res ſane iſta non videtur mihi aliter comparata, quam ut ſeſe habet in notis Maſorethicis. Maſorethae enim voces, circa quas quid notant, Circello quidem deſignare ſoliti fuerunt, vel aſteriſco; ita tamen, ut tum id facere

nolint, quando vox aliqua ſaepius occurrit. Conſtat id inter omnes v. c. de pronomine הִוא, ſecundum textum ſcriptum per הוּא, ſecundum Maſoram & vocales per הִיא legendo: Idem aſſerendum de voce יְהֹוָה, יְרוּשָׁלַםִ, aliisque, quae id ſatis abunde omnes edocere poterunt. Eundem in modum res ſe habet cum noſtro סלה, ob frequentiam ſuam peculiari non inſignito caractere, & ex prædictis omnibus haud infeliciter, quod ſpero, illuſtrando.

OBSERVATIO LVII.
GOTTLIEB STOLLII,

Ill. Gymn. Erneſtino-Frider. Directoris, & Prof. Publ.

de

Timone Miſanthropo.

I.

PRæter TIMONEM, de quo agere eſt animus, alii etiam ejusdem nominis extiterunt, etſi non omnes æque noti ac celebres.

Ti-

Timonem Phliaſium, (a) Pyrrhonis, Scepticorum patris, auditorem & aſſeclam omnes norunt, in hiſtoria Philoſophorum non prorſus hoſpites. *Timonis Ægyptii* meminit Photius Ecl. CXC. Plutarchus etiam *Timonis* cujusdam mentionem facit *in libello de fraterno amore*, eundemque differentem introducit *in Commentariolo de ſera numinis vindicta*. Denique *ſtatuarium bujus nominis* memorat *C. Plinius Secundus Hiſt. Nat. lib.* XXXIV. cap. 8.

II. Ille, de quo nunc diſſeram, *Colyttenſis,* (b) *Echecratidisque filius* a Luciano dicitur, vixit tempore (c) belli Peloponneſiaci, Socrati æqualis, & conterraneus

(a) Phliaſius ipſe ſolitudinis amans fuiſſe dicitur. De eo videatur Diog. Laert. lib. IX. Segm. 112.

(b) Ita Mercurius Jovi interroganti ap. Lucianum Oper. Tom. I. p. 70. ſq. (edit. Amſtel. 1687. 8.) reſpondiſſe fingitur: *Quid ais, o pater, non noſti Timonem filium Echecratidis Colyttenſem?* κολυττὸς autem erat oppidum in terra Attica, ad radices montis Hymetti ſitum, uti *Tan. Faber ad h. l.* notavit.

(c) Vixit ante Chriſtum natum an. CCCC XXIX. *Faber ib.*

neus Platonis, qui & ipſum noviſſe perhibetur. Echecratidem hunc nulla alia re inſignem fuiſſe, quam quod Timonem genuit, Tanaquillus Faber adfirmat. *Echecrates*, cui Phædo apud Platonem ſermones Socratis, in mortis limine conſtituti, enarrat, Phliaſius fuit; (d) idemne cum Timonis patre fuerit? ignoro.

III. *Fuit autem TIMON Philoſophus, ſi fides Suidæ.* Ita *Menagius in Obſervat. in Diog. Laert.* IX. 112. Miror virum diligentiſſimum & multæ lectionis non obſervaſſe, quod Plinius (e) eum jam autoribus ſapientiæ accenſuerit, & quod apud ipſum, quem de Timone legendum commendat Lucianum, (f) audiat Philoſophus.

IV.

(d) v. Platon. Phædon. init.

(e) Hiſt. Nat. lib. VII. cap. 19.

(f) Oper. Tom. I. p. 67. ita ipſe loquens introducitur Timon: (utor verſione Joan. Benedicti) *prementibus malis ad extrema reductus conſilia, rhenone indutus, terram exerceo quatuor conductus obolis, & cum ſolitudine, & ligone philoſophor.* (Confer *Lambert. Barlæum* ad h. l. adde Luc. p. 70.) Unde etiam Demeas Rhetor ita Timoni abblandiens

IV. Utrum alios, & quosnam præceptores habuerit; an vero avtodidactus fuerit, nemo adhuc definivit. Videtur tamen haut veriſimile, virum moroſiſſimum, maximeque ambitioſum, in alicujus verba juraſſe, aut ſectatorem egiſſe. Immo, ſi Suidæ credimus, omnem ſectam eſt averſatus. (g)

diens ib. p. 151. dixiſſe fingitur: *Quandoquidem Timon Echecratida filius Colyttenſis, vir non modo probus & integer, verum etiam ſapiens, quantum alius in Græcia nemo, nunquam deſtitit optime de republica mereri.*

(g) *Enimvero* Τίμων ὁ μισάνθρωπος, καὶ αὐτὸς φιλόσοφος, ἀποστρεφόμενος πᾶσαν αἵρεσιν. Ita Suidas, niſi forte ultima tria verba ad Timonem Phliaſium ſunt referenda, de quo ipſi poſtea ſermo eſt. Uti Ægid. Menagius in Obſerv. in Laert. IX. 111. conjectat. Hunc enim ſcepticum ab omnibus dogmaticorum ſectis abhorruiſſe, certum eſt; certius autem eluceſceret, ſi adhuc extarent *ſillorum ejus libri tres, in quibus, utpote ſcepticus, in omnes maledicta & convitia ingeſſit* (vid. Laert. IX. 111.) aut, ut Theodoretus ad Græcos Infideles Serm. II. teſtatur, *ſuis ſalibus ac dicteriis Philoſophos Græcos tragice inſectatus eſt.* Quænam hoc de Suidæ loco Lud. Küſteri ſit ſententia, ſi videant, quibus Suidas ab ipſo editus eſt ad manus:

neus Platonis, qui & ipſum noviſſe perhibetur. Echecratidem hunc nulla alia re inſignem fuiſſe, quam quod Timonem genuit, Tanaquillus Faber adfirmat. *Echecrates*, cui Phædo apud Platonem ſermones Socratis, in mortis limine conſtituti, enarrat, Phliaſius fuit; (d) idemne cum Timonis patre fuerit? ignoro.

III. *Fuit* autem *TIMON Philoſophus, ſi fides Suidæ.* Ita *Menagius in Obſervat. in Diog. Laert.* IX. 112. Miror virum diligentiſſimum & multæ lectionis non obſervaſſe, quod Plinius (e) eum jam autoribus ſapientiæ accenſuerit, & quod apud ipſum, quem de Timone legendum commendat Lucianum, (f) audiat Philoſophus.

IV.

(d) v. Platon. Phædon. init.

(e) Hiſt. Nat. lib. VII. cap. 19.

(f) Oper. Tom. I. p. 67. ita ipſe loquens introducitur Timon: (utor verſione Joan. Benedicti) *prementibus malis ad extrema redactus conſilia, rhenone indutus, terram exerceo quatuor conductus obolis, & cum ſolitudine, & ligone philoſophor.* (Confer *Lambert. Barlæum* ad h. l. adde Luc. p. 70.) Unde etiam Demeas Rhetor ita Timoni abblandiens

IV. Utrum alios, & quosnam præceptores habuerit; an vero avtodidactus fuerit, nemo adhuc definivit. Videtur tamen haut veriſimile, virum moroſiſſimum, maximeque ambitioſum, in alicujus verba juraſſe, aut ſectatorem egiſſe. Immo, ſi *Suidæ* credimus, omnem ſectam eſt averſatus. (g)

diens ib. p. 151. dixiſſe fingitur: *Quandoquidem Timon Echecratidæ filius Colyttenſis, vir non modo probus & integer, verum etiam ſapiens, quantum alius in Græcia nemo, nunquam deſtitit optime de republica mereri.*

(g) *Enimvero* Τίμων ὁ μισάνθρωπος, καὶ αὐτὸς φιλόσοφος, ἀποστρεφόμενος πᾶσαν αἵρεσιν. Ita Suidas, niſi forte ultima tria verba ad Timonem Phliaſium ſunt referenda, de quo ipſi poſtea ſermo eſt. Uti Ægid. Menagius in Obſerv. in Laert. IX. 112. conjectat. Hunc enim ſcepticum ab omnibus dogmaticorum ſectis abhorruiſſe, certum eſt; certius autem eluceſceret, ſi adhuc extarent *ſillorum ejus libri tres*, *in quibus*, *utpote ſcepticus*, *in omnes maledicta & convitia ingeſſit* (vid. Laert. IX. 111.) aut, ut Theodoretus ad Græcos Infideles Serm. II. teſtatur, *ſuis ſalibus ac dicteriis Philoſophos Græcos tragice inſectatus eſt*. Quænam hoc de Suidæ loco Lud. Küſteri ſit ſententia, ii videant, quibus Suidas ab ipſo editus eſt ad manus.

V. *TIMONEM* libros ſcripſiſſe, non inveni. De dogmatibus æque ac de ſcriptis ipſius altum apud ſcriptores ſilentium; Niſi quod Joan. Stobæus (h) Sermon. VIII. fol. m. 107: dixiſſe eum referat: *Elementa malorum eſſe inſatiabilitatem & ambitionem.* Ipſum (i) tamen his vitiis abreptum in horrenda plane præcipitia ruisſe, e mox dicendis liquidiſſime pateſcet.

VI. Si enim mores ejus ſpectaveris, *μισάνθρωπον* fuiſſe perhibent *Cicero*, (k) *Plinius*, (l) *Plutarchus*, (m) *Lucianus*, (n) *Diogenes Laertius*, (o) *Suidas*, (p) & qui an-

(h) Stobæi typis expreſſum eſt, quo utor, exemplar, Tiguri an. 1543. fol.

(i) Quod tamen nemini mirum videbitur perpendenti, rariſſimos eſſe, quorum vita & doctrina inter ſe congruat ac reſpondeat ſibiquaque (ut Seneca loquitur Ep. XXXIV.) forma percuſſa ſit. Ut taceam, homines, quibus ambitio triſtisque invidia dominatur, difficillime ad ſui notitiam, Miſanthropos vero nunquam, pervenire.

(k) Tuſcul. Quæſt. lib. IV. cap. II.

(l) *Plinius* loc. cit.

(m) *Plutarch.* in Vit. Antonii, & Alcibiadis.

(n) *Lucian.* in Dialogo, quem Τίμων ἢ *μισ-*

αν-

ante ceteros erant memorandi, *Plato* & *Ariſtophanes*. Nec vanus ero, ſi adfirmavero, TIMONEM nulla alia re immortale nomen accepiſſe, quam moroſitate ſua, & odio generis humani.

VII. Hos inter *Plato* & *Ariſtophanes* inprimis evolvendi, eorumque teſtimonia forent æſtimanda, quoniam Timonis ætate floruere, hujusque mores penitius ſcrutari ac cognoſcere potuerunt. Verum cum ex ipſæ fabulæ, in quibus ut moroſus hominum oſor traductus fuit, perierint, Plutarchum ad eas provocantem, & de rebus, μισάνθρωπον noſtrum concernentibus, notatu inprimis digna enarrantem præ ceteris cenſeo audiendum.

VIII. Ille igitur, (q) poſtquam Marcum *Antonium* aliquando *urbe & amicorum conſuetudine omiſſa, aggere in mare apud Pharum*

ἄνθρωπος inſcribit, quo in ipſe Timon (*p. m.* 121.) *ODI*, ait, *pariter OMNES*, *tum Deos*, *tum HOMINES*.

(o) *Diogen*. IX. 112.

(p) *Suidas* in voce τίμων.

(q) Plutarchus Vitar. parallelar. Tom. II. *p*. 158. (edit. Francof. an. 1592. 8.)

rum immiſſo, habitationem (r) *ſibi maritimam confeciſſe, in eaque exulem hominum degiſſe* commemoraſſet, *dixiſſe* eum addit, *Timonis vitam ſe imitari* (ſ) *eaque delectari, eademque perpeſſum: nam ſe quoque, ab amicis, malam gratiam referentibus, affectum injuriis, omnes homines odiſſe, omnibus diffidere.*

IX. Deinde pergit, Guilielmo Xylandro interprete: *Fuit is, Timon Athenienſis, & tempore belli Peloponneſiaci vixit, ut ex Ariſtophanis & Platonis fabulis apparet: ab his enim traducitur ut moroſus, & oſor hominum.*

X. Obſervo exinde α) TIMONEM, ſic enim Antonius exiſtimavit, *non natura eſſe μισάνθρωπον, ſed factum*, atque tum demum, cum ab amicis malam gratiam retulerit, injuriisque fuerit affectus, omnes odiſſe homines, omnibusque diffidere cœpiſſe.

XI. ε) *Platonem non minus ac Ariſtophanem* TIMONIS *mores ab omni humanitate re-*

(r) Quam habitationem *TIMONEUM* ſuum nominabat, ib. *p. 159.*

(ſ) Quo vitæ genere, quod *inimitabile* dicebatur, poſtea dimiſſo, aliud cum Cleopatra inſtituit, de quo legas *eund. p. 159.*

remotiſſimos in fabulis, (t) hoc eſt, *in Comœdiis deſcripſiſſe*, ſatirico ſale perfricuiſſe, aliisque eum propinaſſe deridendum.

XII. Jam *Plutarchum* referentem porro auſcultemus: *Is Timon, cum omnium hominum congreſſum vitaret atque aſpernaretur, ſolum Alcibiadem, juvenem tunc ferocientem, ſalutabat benigne, atque amplectebatur: & Apemanto miranti cauſamque percontanti, amo, inquit, adoleſcentem, quod eum novi Athenienſibus multorum malorum cauſam fore.*

XIII. Optarem, ut addidiſſet *Plutarchus*, quibus in narratione ſua uſus fuerit auctoribus; cum enim hanc hiſtoriolam, & quas deinceps ex eo adferemus, Platoni Ariſtophanique acceptas referre, credi poteſt, argumentis idoneis firmari haut poteſt. Sed uſus fuit procul dubio, ut alias, ſcriptoribus fide dignis; hoc enim de Hiſtorico, omnibus laudato, recte præſumitur.

XIV.

(t) *Fateor* non tanti ponderis eſſe pöetarum teſtimonia, inprimis Satyricorum, quanti hiſtoricorum æſtimari ſolent. Notandum tamen, *Platonem* fuiſſe animi ſinceri, & a calumniandi pruritu alieniſſimi. Nec prætereundum eſt, nullum ex poſteris ſcriptoribus hac in re Platoni Ariſtophanique contradixiſſe.

tum, a quo tam abſurda affectatio ac hypocriſis abſuiſſe deprehenditur, tametſi non minus odium humani generis profeſſus ſit.

XVII. *Fertur aliquando* (continuante Plutarcho) *frequenti Athenienſium concione ſuggeſtum conſcendiſſe: cumque omnes, novitate rei ſuſpenſi, taciti eum intuerentur, & magnum quippiam expectarent, ita locutum:* Viri Athenienſes, parvus eſt mihi agellus, in eoque ficus, de qua ſe permulti civium hactenus ſuſpenderunt; cum itaque ſtatuiſſem ibi ædificare, publice volui edicere, ut, ſi qui veſtrum velint, ſuſpendant ſe, antequam ficus excindatur.

XVIII. Patet hoc ex loco η) *TIMONEM eo tempore, quo hominum oſor jam fuit, poſſediſſe adhuc agrum quendam, nec ei ad ædificandum defuiſſe opes neceſſarias*, & θ) *Athenienſes injurias a Timone acceptas non vindicaſſe*, ſed ipſum potius moroſitati ſuæ excruciandum reliquiſſe, ſaltem ipſi mali quippiam ab iis illatum eſſe, nuspiam legi.

XIX. Quæ ſuperaddit Chæronenſis, ſunt

ſunt iſta: *Mortui corpus Halis ſepultum eſt, juxta mare: & littus procurrens ſubſedit, fluctusque erupit eo, & inacceſſum hominis ſepulcrum fecit. Inſcriptio hæc fuit:*

Hic jaceo inviſæ abrupto ſpiramine vitæ:
Qui ſim, ne rogitate: mali male ſed pereatis.

Hanc quidem ipſum ſibi feciſſe dicunt. Callimachi hoc eſt, quod circumfertur:

Hic habito Timon, hominum oſor: tu modo perge,
Dira precare mihi plurima, perge modo.

Hæc de Timone, de multis pauca.

XX. Videmus porro exinde ι) *TIMONEM etiam poſt obitum ſuum extare voluiſſe odii ſui erga homines monumentum:* κ) *eumque omnibus in eo, tanquam malis, interitum exoptaſſe: nec* λ) *defuiſſe, qui mortui corpus ſepulcro mandaverint:* præterea obſervamus μ) *Eos inter, qui Timonem hominum oſoribus adnumerare non ſunt veriti, etiam Callimachum fuiſſe:* & denique ν) *Plutarchum pauca tantum de multis delibaſſe,* unde palam eſt, multa, quæ veteres de μισανθρώπῳ noſtro tradidere, cum eorum ſcriptis intercidiſſe.

XXI. Plura adhuc de Timone *Lucianus*, ingenioſiſſimus, philoſophorum irriſor,

ſcriptorque Dialogorum eloquentisſimus. Prolixus enim eſt, quem *de Timone ſive Miſanthropo* compoſuit, *Dialogus*, in quo „comminiſcitur: (y) eum ab initio divitem „fuiſſe, ſed ob liberalitatem, & quod absque judicio in quosvis benignus esſet, ad „paupertatem redactum eſſe. Quam rem „cum Jupiter ex ipſius querela, qua cum „illo expoſtulando in hominum malitiam „& ingratitudinem invehitur, cognovisſet, miſertum illius, eo quod & in Deos „pius fuisſet, & multa illis ſacra peregiſſet, „divitem denuo facere ſtatuiſſe, ac Plutum „cum theſauro ad ipſum miſiſſe. Timonem ab initio Plutum rejeciſſe atque „averſatum esſe, mox eundem acceptum „cum ſumma cura asſervasſe, tumidumque & inſolentem omnes alios homines „vitaſſe atque contempſisſe.

XXII. Verum quod plurima heic finxerit Lucianus, & ſingula, quæ vera admiſcuit, a falſis difficillime ſeparari queant, ab omnibus mihi conceſſum iri, confido. Ita haut

(y) Argumentum hoc Dial. Luciani deprompſi e Gilberti Coghati Nozerini nova adagiorum appendice ad ſuarum paræmiarum ſyllogen n. VIII.

haut dubie ficta ſunt, quæ de Jove, Mercurio, Pluto & Demea recenſuit. Neque veri ſunt, quos Timoni tribuit, ſermones. Contra, quæ de ipſius patre, patria, Philoſophia, animo erga eos irato, quibus beneſeciſſe dicitur, odioque quod in eos etiam habuit, qui nulla in re ipſum læſiſſe videntur, hinc & inde reperio inſperſa, ea tanquam vera, & magnam partem aliunde comprobata, libenter admitto. De eo tamen, quod Timon ob miſericordiam in omnes egenos absque judicio factam, & quod nullum in ſuſcipiendis amicis delectum habuerit, ad eam paupertatem redactus ſit, ut coactus fuerit quatuor conductus obelis cum ligone philoſophari: & quod tandem acceptis iterum divitiis ſumme avarus extiterit, donec, ea Lucianum non finxisſe, fuero convictus, omnino dubito.

XXIII. Et ſi, quod res poſtulat, dicendum eſt, quædam Timonis ingenio & indoli parum convenire videntur. Voluptati delitiisque deditorum eſt, in quosvis liberales eſſe, (z) opes ſine judicio effundere, quosvis in amicitiam accipere, (aa)

 the-

(z) vide Lucian. Oper. Tom. I. p. 65. 72. 81. ſq.
(aa) ib. p. 72.

theſauróſque ſuos ſcortis donare. (bb) In Timonem autem cum avaritia & invidia imperium habuit ambitio, ſummè audax, alioſque alto ſupercilio contemnens.

XXIV. Nec veriſimile eſt, eum foſſorem, & ſago opertum pelliceo, urbem præ pudore fugiſſe, & quatuor obolorum mercede agricolam egiſſe, (cc) quem ſcimus & Alcibiadem ſalutaſſe, (dd) & in urbe ſuggeſtu conſcenſo ad populum aliquando verba feciſſe audaciſſima, (ee) agrumque habuiſſe, & quæ ad domunculam exædificandam ipſi opus fuere.

XXV. Timonem denuo divitem factum, theſauroſque ſuos ſumma cura draconis inſtar cuſtodiiſſe, his Horatii verſibus videtur confirmari poſſe: (ff)

Quidam memoratur Athenis
Sordidus, ac dives, populi contemnere voces
Sic ſolitus: populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.

Phi-

(bb) & hoc videtur tribui Timoni ib. p. 82.
(cc) Luc. Op. Tom. I. p. 68. & 73.
(dd) Supra §. XII. & XIV.
(ee) §. XVII. & XVIII.
(ff) *Horatius* Satyr. lib. I. Sat. I. v. 64. ſqq.

Philoſophum enim noſtrum ſignificari putat vetus interpres, & qui eum ſequuntur, recentiores.

XXVI. Sed dicere, non eſt probare: dicunt interpretes, Horatium iſta poëtantem deſignaſſe Timonem, ſed non probant, nec probare poſſunt. Plutarchus hac de re ne verbum quidem habet. Quicquid ſit, potuit & hanc circumſtantiam Lucianus comminiſci.

XXVII. *Sufficit interea, non minus Lucianum ac ceteros ſupra allegatos auctores cum Plutarcho Timonem feciſſe* μισάνθρωπον. Nec quenquam fore exiſtimo, qui mihi vitio vertat, quod in re hiſtorica autoritati hiſtorici plus tribuam, quam Rhetoris, & quod ea, quæ Plutarchus enarravit, fide non indigna cenſeam.

XXVIII. Equidem *TANAQVILLUM FABRUM*, non infimi ſubſellii Criticum Philoſophi noſtri defenſionem in ſe ſuſcepiſſe in *animadverſionibus*, *quibus Lucian. Timonem illuſtravit*, confiteor, innocentiam vero ejus cuiquam perſvaſiſſe, maxime pere dubito.

XXIX. Ne tamen contempſiſſe mag quam confutaſſe videar virum utique n contemnendum, en ipſa defenſionis v

ba! quibus quæ reſpondenda putem, brevibus ſum ſubjuncturus. Sic igitur vir doctiſſimus: „ De hominis moribus nil attinet dicere, cum eam rem Plutarchus διὰ „παρεκβάσεως in vita M. Antonii abſolverit. „Hoc addam tantum, Timonem virum bonum fuiſſe, & moribus adeo factis ad humanitatem, nihil ut ipſo χρηςότερον, nihil „benignius extiterit. Nam quod illum „μισάνθρωπον cognominarunt, id hercle „perperam fecere. Quemadmodum enim „qui Mercurium, Venerem, Sylvanum & „alias id genus nugas deos eſſe olim negabant, non recte athei vocarentur (neque „enim Sylvanus Mercuriusque dii ſunt,) „ſic Timon non recte μισάνθρωπος appellabitur. Quid ita? inquies. Quia non „homines ille, ſed feras oderat, quibus ætas illa ſcatebat. Certe qui Ariſtophanis „fabulas, veram Attici ingenii imaginem, „ut ajunt veteres magiſtri, legerit, de his „mecum tria non commutabit verba. Accedat his Platonis teſtimonium, qui ita „ſcripſit in Epiſtola XXIV. inter illas, quæ „non ita pridem a Leone Allatio vulgatæ „ſunt. Quo enim loco ait ſe in fundum „Hephesti ad eum migraſſe, ut ibi ἄποθεν τῆ „ἄςεως vivat, addit: *cognovi ego Timonem*

non

„non fuiſſe μισάνθρωπον, ſed cum homines „nanciſci in urbe non poſſet, belluas amare „haut poterat.

XXX. *Timonem Philoſophum perperam* dicit Vir Clariſſimus *Miſanthropum cognominari*; & nihilominus illum ætatis ſuæ homines odio habuiſſe non it inficias, neque Plutarchi narrationem in dubium vocare ſuſtinet. (gg) *De hominis, ait, moribus nil attinet dicere, cum eam rem Plutarchus abſolverit.* Et mores ejus, a Plutarcho deſcripti, Timonem μισάνθρωπον fuisſe, non dicunt, ſed clamant. Pergit: *Hoc addam tantum, virum bonum fuiſſe & moribus adeo factis ad humanitatem, nihil ut ipſo* χρηςότερον, *nihil benignius extiterit.* Quid eſt ſibi contradicere? ſi hoc non eſt. (hh) Addo, neque probaſſe Fabrum, quod aſſeruit, nec apud Platonem, Ariſtophanem,

(gg) Hanc vero non ſolum in dubium vocare, ſed confutare etiam debuiſſet Timonis defenſor.

(hh) *Grammatici*, inquit Keckermannus in Præcognitis Logices, *plerumque Logicæ ſunt hoſtes.* Deberent tamen eſſe cultores. Fabrum ejus hoſtem fuiſſe, non dico. Nam & ipſi Logici interdum in artis ſuæ regulas peccant.

aut Plutarchum de humanitate ac benignitate hominis quicquam reperiri.

XXXI. *Comparatio*, quam inſtituit *inter eos, qui Mercurium, Venerem, & alias id genus nugas, deos eſſe olim negarunt, & Timonem, homines ætatis ſuæ homines eſſe inficiantem*, rem non conficit. Tametſi enim illos non recte atheos vocaveris, cum ad Mercurium, Sylvanum ceterosque, quos negaverant Deos, veri Dei natura non reſpondeat; μισάνθρωπος tamen procul dubio fuit, qui creaturas viſibiles, intellectu ac voluntate præditas, odio proſecutus eſt plus quam Vatiniano.

XXXII. Tales creaturas fuiſſe Timonis tempore homines, quis ambiget? Regeris fortaſſe pro Fabro: *homines hos ratione, ſive intellectu & Voluntate ſua non recte uſos*. Quaſi vero officia humanitatis talibus ſint deneganda. *Non homines*, inquit, *oderat, ſed feras, quibus ætas illa ſcatebat.* Doleo eo temeritatis virum doctiſſimum proceſſiſſe, ut, non dicam omnes illius temporis mortales, omnes tamen Atticæ terræ incolas, ferarum nomine infamaverit. (ii) Socra-

(ii) Omnes enim odiſſe præ ſe ferebat Timon, omnes

cratem enim, Platonem, eorundemque amicos & cultores belluis accenſeri, quis ferat? (kk)

XXXIII. Nec ceteros Athenienſes leonibus, pantheris, urſis, lupisque recte annumeravit; tales enim ſi fuiſſent, Timonem ipſis inſultantem utique laceraſſent; quem cum toleraverint, ipſo humaniores ac generoſiores fuiſſe credo, licet eosdem a vitiis omnibus pravisque moribus liberos pronunciare non auſim.

XXXIV. Quicquid ſit, feras fuiſſe magna confidentia Tanaquillus Faber adfirmat, & rei hujus teſtem citat Ariſtophanem & Platonem: *Certe qui Ariſtophanis fabulas, veram Attici ingenii imaginem, ut ajunt vete-*

omnes itaque pro feris habuiſſe oportet, niſi exceperis Alcibiadem & Apemantum, quos tamen ratione ſua recte uſos eſſe, quomodo evincet? confer locum Platonis, ad quem vir doctiſſimus ultimo loco provocat.

(kk) Dicis fortean: hos nec accenſuit Faber, nec Timon odio habuit. Sed provoco iterum ad locum Platoni tributum: *cum homines nanciſci in urbe non poſſet*, (ipſa verba allego) *belluas amare haut poterat.*

res magiſtri, legerit, de his mecum tria non commutabit verba. Accedat his Platonis teſtimonium &c. Enimvero Plutarchum claris verbis annotaſſe, quod & Plato & Ariſtophanes Timonem ut moroſum & hominum oſorem traduxerint, ſupra §. IX. jam oſtendi. Hæc ſicco pede tranſiiſſe Fabrum, & ego miror, & alii, hæc legentes, mirabuntur.

XXXV. Et quid, ſi concederem, Ariſtophanis comœdias Athenienſium ingenia ac mores exacte repræſentare? nemo tamen exinde concludet, Athenas tum temporis belluarum plenas, & ita horridas fuiſſe, ut Mænalum, Arcadiæ montem, deſcripſit Ovidius. (ll) nemo etiam inferet, omnia ibi ſtultorum plena fuiſſe, ut Timon locum vacuum reperire nequiverit.

XXXVI. Fuerint in iis vulpium latebræ, boum, caprorumque ſtabula, leporum meticuloſorum latibula, paſſerum ſalacium niduli, pavonum ſuperbientium cubilia, haræque porcis grunnientibus refertæ, immo etiam draconũ theſauris, velut ovis, incu-

(ll) Notus eſt ejus verſus: *Mænala tranſieram latebris horrenda ferarum.*

incubantium ſpecus: fuere tamen & gerræ, in quibus oviculis & agnis: & loca domusque non pauca, in quibus animantibus, ratione recte utentibus, ſecure degere & pace ſua frui licebat. Fuit enim Atheníenſium Civitas, ut quævis alia, magiſtratu non deſtituta & legibus munita, quæ ſi virtutum ac ſapientiæ cultores jure ſuo abalienatos voluiſſet, ſui interitum plene acceleraſſet.

XXXVII. Concedo itaque, plurimos Atheníenſium ambitionis, voluptatum, avaritiæque fuiſſe mancipia; ſumme ſceleratos fuiſſe, quales ſunt latrones, aliique pacis publicæ turbines, nego; immo certus ſum in urbe eorum, uti & in aliis terræ Atticæ locis, non paucos habitaſſe Timone & Ariſtophane ſapientiores, certe multo benigniores. Certum eſt enim Socratem multos emendaſſe, & poſt ejus mortem alios ab aliis meliora monentibus a morum feritate & pravitate eſſe averſos.

XXXVIII. Addo, falſum eſſe, quod Ariſtophanes in fabulis ſuis tales depinxerit ſemper, quales fuerint. Quis enim neſcit eum in comœdia quadam Socratem, de re publica optime meritum, ab iis malis taxaſſe, atque inceſſiſſe, quæ omnes de

eo

eo confictа noverant. (mm) Unde etiam is populi applauſus eam, quem poeta ſperaverat, non eſt ſecutus.

XXXIX. Magni quidem ponderis videbitur, ad quod in fine provocatur, *Platonis* teſtimonium. Hic enim *cognoviſſe ſe* dicit, *Timonem non fuiſſe* μισάνθρωπον, poterat autem præ aliis ipsum noſſe, cum & ipſe Colyttenſis & coætaneus eſſet. Quæ deinde addit, cum iis, quæ Faber ſtatuit, ex aſſe conveniunt! *Sed cum homines*, ait, *nanciſci in urbe non poſſet, belluas amare haut poterat.*

XL. Quemadmodum autem rationem hanc jam ſupra coarguimus luculentiſſime, ita probe notandum eſt, deſumptum eſſe hoc teſtimonium ex epiſtola, quæ cum ceteris ab Allatio editis ſuppoſititia habetur. (nn) Id quod vel eo etiam confirmari poteſt, quod de Plutarcho Platonem citante §. IX. & XXXIV. jam annotavimus.

XLI.

(mm) vid. La Vie de Socrate par Charpentier chap. XIII.

(nn) Epiſtolas omnes Socraticas, quas *Allatius* pro genuinis venditavit, a Sophiſtis confictas eſſe putant Critici, vid. Cl. Fabric. Bibl. Græc. lib. II. c. X. §. 35.

XLI. Fingamus tamen, epiſtolam hancce non eſſe notham, ipſumque ejus aggrediamur Auctorem. Dicit: *Timonem homines in urbe non potuiſſe nanciſci.* Forte quia ipſe homo non fuit. (oo) Nam Socratem, Antiſthenem, Critonem, Chærephontem, Chærecratem, Simmiam, Cebetem, Phædonem, aliosque Socraticos, (pp) & inter eos ipſum Platonem homines fuiſſe, ſi Timon negaverit, Plato fatebitur: immo multos Athenienſium, Socratis ſtudio homines eſſe factos, ex Xenophonte conſtat, (qq) eum enim multos a vitiis revocaſſe, utque virtutis ſtudioſi eſſent perfeciſſe, confirmat. Neque ceteros otioſos fuiſſe Philoſophos, credendum eſt.

XLII.

(oo) i. e. animal ratione recte utens. (tales enim ſolos homines eſſe putat Faber.) Si enim ratione ſua recte uſus fuiſſet Timon, reperiſſet, quos quæſiiſſe dicitur homines; ſed impediit animum moroſitas & odium aliorum, ut verum a falſo diſcernere non potuerit.

(pp) De his, quos memoravi, Socraticis lege Xenoph. lib. I. memorabil. p. m. 719.

(qq) Xenoph. l. c. p. 712.

XLII. *Sed belluas amare haut poterat Timon.* Belluas vocat hic Plato, Athenienſes pravis moribus fœdos, quos alibi ſimpliciter *malos* vocare ſolet: Hos ſi amare hauc poterat, tolerare, imo bonos reddere debuiſſet, non vero fugere, nec odisſe, neque omnia ipſis mala imprecari; (rr) hoc enim ſtultorum eſt, non philoſophorum. Quanta ſtultitia eſt, cum ipſe ſis ſtultus, ſtultos amare non poſſe! major, omnes ut ſtultos fugere, (ſſ) cum inter eos inveniantur ſapientes!

(rr) Mala imprecatum fuiſſe Timonem, ſupra oſtenſum eſt. Audi vero *Platonem* *de Rep. Dial.* I. p. m. 363. *Socrates*: Non juſti „opus eſt, o Polemarche, nocere vel amico, „vel alteri cuipiam, ſed contrarii ejus injuſti. *Polemarchus*: veriſſima loqui videris, o „Socrates. *Socr.* Si quis ergo juſtum eſſe „dixerit debita cuique tribui, deberi autem „putaverit inimicis, h. e. malis, a juſto da„mna, amicis utilitatem, haudquaquam „ſapiens judicandus. Neque enim vera hæc. „Conſtitit namque nullo modo iuſtum eſſe, quenquam lædere. Timon itaque, quia Athenienſibus, ut inimicis ſuis, mala imprecatus eſt, eos & lædi voluit, & læſit, eoque ipſo, ipſius Platonis judicio, injuſtus & inſipiens fuit.

(ſſ) Stultos non eſſe fugiendos, ſolide docet Vir

tes! maxima, ſine delectu odiſſe in univerſum omnes.

XLIII. Cum itaque, hac ſtultitia laboraſſe Timonem, teſtibus ſuperius adductis, ſatis quidem manifeſte evictum ſit, & argumentis, a doctiſſimo Fabro in contrarium allatis, ſatis ſuperque reſpondiſſe mihi videar; ſupereſt, ut in cauſas, quæ Timonem ad odium adverſus mortalium genus impulere, jam inquiramus. Earum non unam, ſed quasdam invenio, quæ tamen fortaſſis ſibi invicem ſubordinandæ ſunt, non opponendæ.

XLIV. Antonii apud Plutarchum ſententiam jam ſupra vidimus. (tt) Putat ille, *Timonem ideo* cœpiſſe *omnibus diffidere, omnesque odio proſequi, quod malam gratiam ab amicis retulerit, & injuriis fuerit affectus.* Quam uti non ſperno, ita nec prætermittendum eſſe judico, quod Timon ipſe

Vir Per-Illuſtris CHRISTIAN. THOMASIUS in *Primis Lineis de Prudentia conſultat.* cap. V. §. 2. - 16. Pertinet & huc illud HIERONYMI CARDANI de *Util. ex adverſis* lib. III. cap. 11. *Stultos omnes rejicere,* (fugere) *ſupervacaneum* (imo ſtultum) *eſt: quandoquidem ſtulti omnes ſumus.*

(tt) vid. §. VIII.

ipſe a Luciano (uu) ea de re protuliſſe fingitur: *cum ſolitudine & ligone hic philoſophor. hoc interim lucri mihi videor facturus, quod non amplius intuebor pleroſque præter meritum felices: illud enim eſt perquam moleſtum.*

XLV. Fuit enim & ambitioſus TIMON Philoſophus, & ſimul avarus. *Ambitioſus*, cum ignominioſum ſibi exiſtimet, ab aliis falli, & multo magis adhuc, injuriis affici; utroque ad iram movetur, & ad vindictæ cupiditatem accenditur. Eſt autem vindictæ cupiditas nihil aliud, quam deſiderium, ei malum inferendi, a quo læſus eſſe quis ſibi videtur. Cui vero malum inferre quis cupit, eum non amore, ſed odio æſtimat dignum. Quod *odium*, ubi vindictam exercendi potentia vel occaſio deficiat, non minuitur, ſed augetur.

XLVI. Et quoniam ambitioſus, ut dixi, ab aliis ſe falli ægerrime fert, facile hinc colliges, eum quo magis deceptus fuerit ac circumductus, eo minus aliis confiſurum. Qui

(uu) vid. Lucian. Oper. Tom. I. p. m. 68. *Lambertus Barlæus* not. 3. & 4. ad h. l. invidiam Timonis defendere voluit, ſed ſi tacuiſſet, ſapientior manſiſſet.

Qui aliis non confidit, diffidit. Et ſicuti confidentia amoris; ita *diffidentia* odii comes eſt indivulſus.

XLVII. In avaro non minor deprehenditur *diffidentia*; eſt enim maxime meticuloſus, & cum omnes prave affecti alios ex ſuo ingenio metiantur & judicent, avarus autem aliis inſidiari ſoleat, alios ſibi inſidias ſtruere perpetuo ſuſpicatur. Adde, quod inclinationes pravæ, ſi quis eis indulgeat, & fræna laxet, ad extrema ruant, nullosque tandem patiantur limites. Quando igitur & ambitionis œſtro percitus, & avaritiæ angoribus agitatus Timon ſuo, ut ſtulti ſtulte loquuntur, ſe fato permiſit; ipſum homines odiſſe, fugiſſe, & deſperabundum in ſolitudinem, tanquam portum aſylumve ſuum, conceſſiſſe non miror.

XLVIII. Quin & *invidia* ceteris pravis animi motibus accedere potuit. Homo ambitioſus, ut Stoicorum ſapiens, admirator ſui ſolius, alios, quos odio habet, contemnit, & ubi honoribus ornari videt, eos his indignos judicans illis invidet. Ita & avaro alios præter meritum, ut putat, divites & felices factos intueri moleſtiſſimum eſt. His moleſtiis itaque ut ſeſe exolveret Timon, urbe relicta in agros ſe contulit, ut

adſpectu nemorum, ferarum, & montium, maris & piſcium, immo corvorum & vulturum, cadavera dilaniantium, oculos animumque, illos videndo, hunc cogitando civium felicitatem, maxime feſſos diverteret, languidosque reficeret: vel etiam ſibi relictus ſe ſolum intuens ſeque ſolo, ſi poſſet, contentus moreretur.

XLIX. Aliam Miſanthropiæ Timonis originem indicat *C. Plinius Secundus Hiſt. Nat.* lib. VII. cap. XIX. Poſtquam enim notavit: „Craſſum, avum Craſſi in Parthis „interempti, nunquam riſiſſe, & Socratem „clarum ſapientia eodem ſemper viſum „vultu, nec aut hilari magis aut turbato; ita deinceps pergit: *Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam, torvitatemque naturæ duram & inflexibilem, affectusque humanos adimit,* (xx) *quales* ἀπαθεῖς *Græci vocant, multos ejus generis experti, quodque mirum ſit, authores maxime ſapientiæ, Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem, hunc quidem etiam in totius odium generis humani evectum.*

L.

(xx) *Affectus humanos* i. e. hominem inprimis decentes, ut ſunt, manſvetudo, humanitas, comitas, benignitas.

L. Mens Plinii hæc eſſe videtur: Quosdam *ſeveris moribus aſſvetos fieri* aliquando duros & *inflexibiles*, ita ut humanitatem, ac miſericordiam omnem exuiſſe deprehendantur: & hoc inprimis philoſophis contingere, quos inter Timon eo tandem prolapſus ſit, ut totum genus humanum odio ſit proſecutus.

LI. Verum & hæc cum antea prolatis facile conciliantur. Acceperat Timon à natura ſeveram triſtemque indolem. Ambitioſos enim ſeveris moribus, avaros triſtibus eſſe, notum eſt. Cumque philavtia occœcati ſe juſtos esſe ac ſapientes ſibi firmiter perſuadeant, inconſtantiamque non minus ac voluptates abjectis ſolummodo & vilisſimæ ſortis hominibus convenire credant, ut conſtantium virorum laudem conſequantur, propoſiti ſui ſeveritatisque adſvetæ tenaciſſimi perſeverant. Ita ubi Timon alios odio habere incepiſſet, ne levitatis accuſari poſſet, in eo permanſit *homo* pertinacisſimus ad mortem usque, odium ſuum, ſi potuiſſet, etiam poſt eam continuaturus.

LII. Ita eſt. Obiit Timon, ut vixit, oſor hominum, etiam ipſius miſertorum, immo ſui hoſtis inſipientiſſimus, & proinde Philo-

ſophi titulo plane indignus. *Ferunt enim,* quod apud SUIDAM reperi, *de pyraſtro lapſum claudum redditum, cumque medicum non admitteret,* putreſcentem obiiſſe.

LIII. De ſepulcro etiam ipſius quædam addit Suidas, ſed clariora ex Plutarcho dedimus. Mirum multis videbitur, inventum fuiſſe (yy) qui & ſepulcro honoraret mortuum, epigraphenque odii adverſus omnes plenam incidi curaret. (zz) Verum mirari deſinet, ſi perpenderit ſecum illud Poetæ Galli ab experientia cottidie confirmatum:

Un ſot trouve toujours un plus ſot, qui l'admire.

(yy) Fortaſſis Apemantus is fuit.

(zz) De Proverbiis, Timonia vita, Timoniano more, & Timoniana cœna, videatur *Gilbertus Cognatus in Adagior. Centur.* XIII. n. 1258. & *in nova appendice ad ſuar. paræmiarum ſyllogen,* n. 8.

OBSERVATIO LVIII.

M. GEORGII FRIDR. RICHTERI,

Fac. Philoſ. in Acad. Lipſ. Aſſeſſoris,

De

Argumentis Mathematicorum, queis contra Atomos pugnant.

CUm certiſſimum eſt, quod mathematicæ accurationis & utilitatis impugnatores plerumque non niſi innocentem ſuam in diſciplinis mathematicis infantiam belle demonſtrant, aliorum urbanitatem propterea merito incurrentes; tum illud viciſſim negari minime poteſt, quod Mathematicorum multi præſtantiam ſuæ ſcientiæ paullo plus quam ſatis eſt extollunt, ſive ſerio id faciant, ſive aliquid dent conſuetudini. Quod autem ad accurationem, & veritatem ſuarum rerum pertinet, huic vulgo tantopere confidunt, ut *mundi citius cardines emoveri putent loco poſſe, rerumque machinam collabi, quam geometriae fundamenta*

labefactentur, aut aliquæ concluſiones falſita-tis arguantur: cui adſertioni ſatis audacu-læ equidem penitus adſentiri nequeo. V enim veritates a Mathematicis propon plurimas fateor & plane perceptiſſimas ita eos ab erroribus & paralogiſmis prorſu immunes haud reperio. Poſſem exem-plis numero non paucis, quod dixi, com-probare: ſed cogitatum mihi eſt unicum hoc loco promere, inquirendo, an vere ex ſuis principiis concludant Geometrarum plurimi atque (ut profitentur) cogant, *ato-mos in rerum natura nullos eſſe.* Sunt enim qui propoſitionem in omni geometria re-periri firmiorem negant: firmiorem? im-mo ſine iſta ne firmam quidem; cum poſi-tis indiuiduis *totam* (ſecundum ipſos) *con-cuti, proſterni, penitusque ſubuerti geome-triam, nil in ea ſani vel ſolidi relinqui, ſed immanem & deplorandam ruinam, confuſio-nem,* ἀσυςασίαν, *in diuiniſſimam iſtam induci ſcientiam neceſſe ſit.* Videamus igitur, quo-modo rem agant.

Primum, docetur a noſtris luculenter, „inquiunt, quemadmodum ſit linea quævis „recta in duas partes aequales accurate di-„uidenda: qui fieri autem hoc poſſet in li-„nea punctis conflata ſeu indiuiduis nu-

me-

„mero inæqualibus, ut quinq. vel ſeptem? „nonne ſectionem per medium alicuius „puncti tranſire neceſſum foret? Ita ſane ſe res habere videtur, ſi atomi ponuntur magnitudine omnino æquales, quod harum architecti non exigunt: ſed quid inde abſurdi? nimirum ſi ſecari punctum poteſt, non eſt igitur indiuiduum: quaſi vero iſta ſectio reuera fieret, nec cogitando ſolum & imaginando: ecquis autem ſerio negat, corpuſcula minima inſenſibilia & reapſe indiuidua, cogitatione fingi maiora & ſenſibilia, ergo etiam diuidua, & poſſe & ſolere? aut quis Mathematicorum docet lineam quamvis veram vere & exactiſſime in duas ſecare partes, omninoque disiungere? hoc ſane vel exquiſitiſſimis inſtrumentis fieri nullo modo poteſt, cum minimum punctum, quod ſenſui ſubiectum oculorum eſt, infinitis, vel innumerabilibus certe, aliis conſtare minoribus ratio vincat, ac præterea ipſi alias Mathematici moneant, & identidem vrgeant, ſibi de iis dumtaxat lineis ſermonem eſſe, quæ corpuſculis, ſive dividua illa ſint, ſiue indiuidua, prorſus concretæ nullis, nihil ſint niſi meri ſuperficierũ termini, ut ſuperficies termini corporum & puncta termini linearum: ex huiusmodi ve-

ro proprietatibus rerum tantum abeſt ut quid nectere contra particulas queant re indiuiduas, vt ne contra illas quidem poſſint, qui re & cogitatione perhibentur inſecabiles. ponam enim eſſe qui has ſerio ſtatuant: ſed mea ſententia nulli ſunt, & qui putantur eſſe, nil dicunt aliud niſi dari corpuſcula, quæ non ſentiendo, ſed *cogitando*, id eſt; ratiocinando indiuidua deprehendamus: de cetero cum imaginationis erroneam incuſant naturam, quæ nihil *poſſit* concipere niſi corporeum, nec punctum aliter quam ut ſphæram in duo hemiſphæria diuiduam, reapſe fatentur, atomos imaginatione, vel, ut alii loquuntur, *cogitatione* diuidi vlterius atque infinite poſſe: quamquam hoc minus probant, forte quod imaginationem conuenire cum re ipſa mallent, quod diſputare huius loci non eſt.


Igitur ad aliam Mathematicorum ratio„cinationem pergo: Eodem centro, inqui„unt, plures deſcribantur circuli, ductæque „intelligantur rectæ, a centro ad ſingula pe„ripheriæ puncta circuli maximi pertinen„tes, minoresque transeuntes, patet, aut ho„rum omnium circumferentias multitudi„ne punctorũ atque ita etiam magnitudi-

ne

„ne ex Atomiſtarum ſententia quidem, „pares eſſe, quod abſurdum, aut dictas „rectas alibi quam in centro ſe contingere, „quod rurſus abſonũ, nam quod duæ rectæ „a concurſu ſtatim divaricentur, nec præ- „terquam uno ſe puncto tangant ac ſecent, „partemque communem habeant nullam „extra punctum concurſus, rectiſſime a Ma- „thematicis ſumitur, a nonnullis etiam ex „abundanti demonſtratur. Verum ad hæc non difficilis eſt reſponſio. præter enim quam quod rurſus atomos introducunt æquales, illud profecto male ſumunt, lineam veram, id eſt, ex veris corpuſculis compoſitam ab alia quantumvis oblique incidente non ſecari, niſi unico puncto. At demonſtrant id, & pro more cogunt non pauci: demonſtrant? immo vero paralogiſmum faciunt prorſus notatu dignum. quid enim? ſi illorum recte ſe habet probatio, conficit ea non minus firmiter, lineam quibus & quantiscumque partibus, exempli cauſſa circularibus ut AB, conſtantem, ab alia ſimili, licet angulo vehementer obliquo adveniente, tantum in unico contingi ſecarique puncto. en quomodo veſtigiis Taqueti inſiſtens argutor: *Habeant, ſi fieri poteſt, duæ rectæ, quales dixi, AX, AZ,*

partem communem AD: (hoc eſt, contingant ſe plusquam in vnico puncto ſeu cir-

Fig. 1.



cello, ſitque pars, qua inuicem iunctæ manent, AD:) *centro A deſcribatur circulus ſecans rectas in B & C, tum accipiatur arcus CF æqualis arcui BC & intelligatur ducta eſſe recta FA: rectæ igitur BA & FA eumdem prorſus ſitum habent reſpectu rectæ CA: ſed recta CA cum recta BA habere dicitur commune ſegmentum DA: ergo etiam recta FA habet cum BA idem commune ſegmentum, quod habebunt etiam plures a centro ad peripheriam circuli CBFGH ita ductæ, vt arcus FG, GH, & reliqui ſint æquales arcui CB: at hoc eſt immane abſurdum: igitur fieri nequit, vt duæ rectæ, partibus licet ſatis magnis compoſitæ, ſegmentum commune habeant.* Quis hoc modo non videt, quis non palpat paralogiſmum? quis autem porro vel

le-

leuiter attendens non intelligit, rem ſe eodem prorſus modo habere, ſiue maximis lineæ ſiue minimis conflatæ circellis aliiſue partibus ſint? hoc eſt, totidem conſtanter partes, quantæ eæ cumque ſint, in omnibus lineis ſimilibus ſimilique angulo concurrentibus, tangere ſeſe ac ſecare; duaſque proin rectas, particulis licet infinite paruis, at veris tamen, conſtantes, angulo poſſe tam paruo copulatas intelligi, ut grande ſegmentum commune habeant, punctiſque numero infinitis non quidem penitus congruant, ſed cohæreant tamen & ſeſe contingant?

De cetero ſi etiam concedi poſſet illud pronuntiatum, lineam rectam & veram ab alia non niſi in unico ſecari puncto, tamen id non modo non contra atomos eſſet, ſed etiam pro illis: quomodo enim linea in *unico* ſecari puncto intelligatur, ſi nec reperire liceat nec imaginari *vnum*, quin infinitis denuo compoſitum aliis ſit?

Aſt progredior ad nouam Geometrarum contra atomos rationem, quam ad hunc fere modum concludunt: circulo, cuius cir„cumferentia quatuor, quinque, vel ſex ato„mis conſtet, inſcriptum concipiatur latus „quadrati, pentagoni, vel hexagoni: hoc

ma-

„magnitudine nil differet ab arcu cui ſub-„tenſum ponitur, id eſt, linea recta non e-„rit minor eosdem terminos habente cur-„ua, quod abſurdum: ergo atomis conſta-„re circuli circumferentia nequit. Verum ita potius erat concludendum: ergo atomis tam paucis conſtare circuli circumferentia nequit: quæ facile tolerari concluſio po-teſt, cum, ex ſententia ſummorum Geome-trarum, polygonum innumerabilium late-rum, itaque etiam punctorum, circulus ſit. Cui autem iſti peripheriam dant tam pau-carum partium, is hac ratione non circulus, ſed quadratum vel pentagonum mini-mum eſt, quod circulo inſcribi vero ne-quit. Nam ſumunt quidem Mathematici, quouis centro ad quoduis intervallum du-ci circulum poſſe: Sed vti hoc poſtulatum de intervallis quæ ſenſu percipiuntur, vel de circulis imaginariis, quique motu dunta-xat vnius puncti aut veri etiam corpuſculi deſcribuntur, facile concedi totum poteſt; ita quod ad intervalla quæcumque perti-net, vt infinite parua, & ad circulos phyſi-cos ſeu polygona innumerabilium vero-rumque laterum, næ illud pauciſſimi da-bunt; quin magna pars ridebit potius tam audax eorum hominum poſtulatum, qui

po-

poſtulare alias ac petere ſua adeo indignum accuratione ducunt & grauitate, ut ſine exacta & cogente demonſtratione vix iſta concedi pronuntiata velint, *æqualia eſſe, quæ eidem æqualia inueniuntur, ſi æqualibus adduntur æqualia, ſummas etiam æquales eſſe*, & de hoc genere plura. Quod ſi quis circulum contenderit eſſe, cuius peripheriæ ſingula puncta, quantumuis pauca, a centro æqualiter diſtant, ei equidem concedam, pentagonum, hexagonum, & reliqua polygona minima in circulis numerari poſſe, at negabo etiamnum, ſuperiorem concluſionem recte ſe habere, aut contra atomos quidquam efficere, cum in ea perperam ſumatur, portionem circuli talis minimam, ſeu duabus (ex atomiſtarum ſententia) conſtantem punctis, adhuc remanere curuam eſſe, atque adeo a recta itidem minima & duorum punctorum, tum figura tum magnitudine differre.

Venio nunc ad illud ratiocinium: ſi „*minimis* omnia componantur falſas eſſe „cunctas de variarum magnitudinum ἀσυμ„μετρίας demonſtrationes: has autem firmiſ„ſimas ab omnibus iure ſuo æſtimari: non „poſſe igitur fieri, vt res minimis conſtent. Ad quæ ego rurſus perexpeditam video re-

ſponſionem, ſuperioribus haud abſimilem, etenim demonſtrationes illæ tantum ad magnitudines Geometrarum pertinent imaginarias, abſtractas, motu & veſtigiis genitas; quamuis propter atomorum inæqualitatem eodem modo ſe res habere nonnunquam poſſit in veris: interim de his nihil plane demonſtrant, quod contra indiuiduorum adſertores valeat. nam deſcripto, exempli cauſſa, quadrato, cuius omnia latera particulis conſtent numero & magnitudine æqualibus, oſtendere quidem haud difficulter queunt, non poſſe in quadrato illo diagonalem duci ſimiles habentem partes, quin harum quidem aliquæ aut proximas penetrent ac ſecent, aut diſtent ab inuicem, aut deflectant non nihil à recto tramide: ſed quid iſtud contra atomos?

Operæ pretium non videtur hoc in loco diutius hærere, aut reliquas nonnullorum concluſiunculas ſigillatim excutere: alioquin etiam ad leuiores & magis ridiculas peruenirem, qualis hæc eſt: ſi atomi „ſint, poſitis duabus earum contiguis, ab al„tera ad alteram non poſſe rectam duci, „quæ tota inter illas iaceat, contra æquiſſi„mum Euclidis poſtulatum; & huius gene-

ris

ris pluſculæ: ad quas omnes ex hactenus diſputatis nullo reſponderi negotio poteſt; inprimis ſi adhuc generatim bene obſeruetur, quidquid ex geometria depromi contra atomos ſolet, id tantum principia male explicata ſuppeditare; (dico male explicata, cum certiſſimum ſit, antiquos Geometras nec tam abſurdos fuiſſe, ut aperte, nec tam vafros, vt oculte ſumerent, & in principiis ſuis ſcriberent, quod omni ætate a plurimis erudiſſimisque negatum noſſent,) propterea que nullum Euclidis ceterorumque poſtulatum ita exponendum eſſe, vt eius vis ſit, *non dari atomos*.

Atque hic finem facere meæ diſſertatiunculæ poſſem, ni occurreret, pleroſque Mathematicos, contra atomos dicentes, inter alia etiam ad miranda ſua prouocare dogmata conſueſſe, de *puncto & angulo contactus*, quem non ignobilem locum, at vix dum ſatis expeditum, plane intactum præterire fas non eſſet. Dilapſi autem eo nonnulli ſunt, (quod vix credibile) cum propoſita ſoluere paradoxa non poſſent, vt æquale alteri negarent eſſe, quod eodem nec maius nec minus certiſſime demonſtratur; pronuntiatum ſane, quod ne ſcepticos quidem in dubiũ vocare crederes, quodque iſti ſine

du-

dubio Mathematici, ſi in Euclidis axiomati-
bus reperiſſent, nullo alio minus certum
ac clarum nihil hæſitantes decreviſſent! Sed
vt breuiter totum aperiam mysterium
nondum ſatis definitum puto, quid *angul*
contactus nomine deſignetur. Si quis igi-
tur paradoxa illa ſolennia mihi proponat,
ex eo ante omnia requiram, ecquid ipſe
nuncupet *contactus angulum?* quod ſi eo il-
lum vocabulo nil aliud notare intelligam,
niſi ſpatium acutum arcu circuli AFB &
tangente AC comprehenſum,





Fig. 2.

concedam (exempli cauſſa) angulum iſtum
ductis aliis maioribus circulis vt AD, AE,
ſecari plurifariam poſſe, verum omnibus
angulis rectilineis eumdem minorem con-
ſtitui haut patiar. Si roget, quantum igitur
ponam? reſpondebo tum, cum ipſe prius
oſten-

oſtenderit, quantum iudicet angulum DABCE quem pars circumferentiæ po-



lygoni cuiuscumque cum latere quodam producto efficit. Sin angulum contactus eum ab illo diſcam vſurpari, quem tangens facit cum latere circuli infinite parvo quod tangit, hoc eſt, quem facit illud latus ſecum ipſo continuato; expedite ac nullius ope ſubtilis calculi aut aliusmodi abſtruſæ & difficilis demonſtrationis oſtendam, iſtum angulum quantitate omnino deſtitui, immo vero nihil eſſe. Poſtremo, ſi anguli contactus nomine eum appellari angulum percipiam, quem tangens cum latere, non illo quidem quod tangit & a quo continuato nil differt, ſed huius proximo, conſtituit; reſpondebo, hunc angulum eſſe non *quovis*, ſed *alio quovis* angulo

rectilineo minorē, quippe cum & ipſe recti-
lineus ſit; ceterum ductis aliis circulis ma-
ioribus neutiquam illum angulum dividi
oſtendā, nihilo magis quā in alio polygono
quocunque angulus BAD dividatur, ductis
pluribus polygonis ſimilibus maioribusq.
vt GHIK: circuli enim, vt paullo ante mo-
nui, rectiſſime ponuntur polygona innu-
merabilium laterum ſimilia; quamuis qui
nimiam, ad quorumdam Mathematicorum
exemplum, adfectare acribiam velit, id
negare ac contendere queat, alios circulos
ab aliis laterum multitudine non parum
ſuperari: quæ vero differentia, propter in-
effabilem vel in minimo circello punctorum
laterumque numerum rectiſſime ab-
iicitur, & pro nulla reputatur.

Atque iſto modo cum omnis mox dif-
ficultas diſparebit, & diſcuſſa paradoxa e-
runt, tum etiam ad obiectiones reſpon-
deri facile poterit, quæ ex loco illo de an-
gulo contactus deſumi contra atomos ſo-
lent. Ceterum ex his omnibus, vt ruina
Geometriæ minime ſequitur, quam timere
nonnullos dixi; ita illud certiſſime con-
cluditur, accurationem nimis ſcrupuloſam
atque affectatam, vltimamque ſubtilita-
tem in Matheſi haut eſſe conſectandam,

rectiſ-

rectiſſimeque Geometrarum recentiorum ſummos identidem quantitates minimas vt nullas negligere, vbi eas haut eſſe notabiles demonſtrare poſſunt.

OBSERVATIO LIX. JOAN. LVDOLPHI BÜNEMANNI,

Gymnaſii Mindenſis ad Viſurgim Rectoris, qua

Lactantii Firmiani, ex LX amplius MSS & Editionibus illuſtrati, ſpecimina exhibet.

QUum aliquoties ſelectæ claſſis in Pædagogio Regio Halenſi auditoribus, & Seminario Præceptorum ſelecto, LACTANTIVM eſſem interpretatus, plures mihi auctores hortatoresque exſtiterunt, vt meas obſeruatiunculas typis committerem, non potui tamen

mea eorum iam obſequi voluntati. Intermiſſo aliquo tempore, ſingulari rei litterariæ apud Halenſes ſtatori, Conſiliario N. H. GVNDLINGIO, eas ad perluſtrandum obtuli, qui quum me ad negotium vlterius perſequendum hortaretur, eius iudicio ſtare nullus dubitaui. Quo vero omnibus de meo labore eo plenius conſtet, in præſenti & *codices Lactantii MSS, & editos a me in ſubſidium vocatos indicare, & ex larga emendationum adnotationumque copia ſpecimina nonnulla exhibere conſtitui.*

Manuſcriptorum *Lactantii* librorum eſt ita magnus numerus, vt *STEPH. BALVZIVS* ex ſolis *Regia & Colbertina* bibliothecis *duodecim* memoret ad librum de Mort. Perſ. pag. 7. ed. Bauldr. & *CL. PFAFFIVS* in diſſ. prælim. ad *Lactantii* Epitomen docet, ſe in Bibliotheca *Taurinenſi nouem* vidiſſe, & præter hos *Oxonienſis* vetuſtiſſimi, *Ambroſiani*, *Mutinenſis*, & duorum *Florentinorum* facit mentionem p. 17. 19. Opus *Lactantii* de religione in præſtantiſſimo codice membranaceo ex *Budenſi* Bibliotheca exſtare in *Veſontienſi* ciuitate in Bibliotheca Io. Bapt. *BOISOTI*, Abbatis monaſterii, ex aliis Cl. *WALCHIVS* in diatr. ad Lact. p. 49. obſer-

vauit.

uauit. Mitto alios, quum enim his libris frui mihi non ſit datum, de iis mihi eſt agendum, ex quorum fontibus noſtros hortulos irrigauimus.

Ex *manuſcriptis*, ab nullo quod ſciam ante me collatis, ſunt *quinque ex Guelpherbytana Bibliotheca Auguſta*, in quam cum *Gudianis* reliquis MSS. delata ſunt *quatuor Lactantii MSCpta*, vide *GVDII* Catalogum p. 545, 546; *quintus*, isque *papyraceus* vnde ſit, non poſſum definire. Hos *quinque codices*, a Cl. REINERDINGIO mihi beneuole prolatos, ipſe in locis deſperatis dubiisue inſpexi, nec raro quod quæſiui, inueni. Vtinam aliquem ad integros codices, aut ſaltem ad illum elegantibus litteris in membrana maiori ſcriptum, & alterum in membrana in forma quarta, vt vocant, conferendos precibus præmioue potuiſſem adducere. *Sextus* codex MS. nondum ab aliis editoribus viſus, eſt *Bibliothecæ Vitebergenſis*, doctiſſ. *BORGMANNVS*, S. Theol. Candidat. quem *V. Cl. G. KRAVLL*, Gymn. Hal. Coll. Tert. mihi conciliauit, M. *KNAVTHIO* ob eruditionem & humanitatem a *Clarmundo* in Vita *Buchneri* p. 219. celebrato, codicis vſum concedente, collatio-

neri in grauioribus locis meo nomine inſtituit, quibus ſingulis pro hoc fauore ſum maxime deuinctus. Si quis ad hunc codicem cum aliqua editione penitus componendum poſſet exorari, ei meritum honorem libentisſime haberem. Habeo duas diſſ. *G. C. KIRCHMAIERI* ad Lact. de falſa Sapientia, qui hoc codice vſus eſt. *Clarm.* part. 2. n. XXX. p. 295. in vita *Kirchmaieri* hæc habet: *Lactantius de vero DEI cultu notis Criticis & aliis illuſtratus cum diſſertationibus ſeorſim editis in 4.* Cupide hunc *Kirchmaieri* librum quæro.

Gothanas membranas multo accuratius, quam ante *TENZELIVS* in vſum *Cellarii*, pro me doctiſſ. *HEVSINGERVS*, tum memorato Præceptorum Seminario accenſus, excuſſit, & cum *Cellarii* editione comparauit etiam in minimis, ex quo multum lucis *Lactantio* adfunditur.

Tres Lipſienſes MSS. ex Bibl. *Paulina* partim ipſe, partim amici mei denuo conſuluere, Magnifici vero *BOERNERI*, S. Th. D. & Prof. humanisſimam in iis communicandis facilitatem in *altero meo de Doctis Weſtphalis programmate litt. D.* celebraui, ſemperque celebrabo. Ex *primo Lipſienſi* MS. *Iſ. Voſſii* varias lectiones *GALLÆVS*

ſuppe-

ſuppeditauit, & Cl. *CELLARIVS* curatius ipſo codice vſus eſt. *Secundi* vero *MS. Lipſ.* cum editione *Cellarii* compoſitionem partim Experientiſsimus variaque doctrina Ornatiſſimus *IO. HENR. SCHVLTZIVS*, cui Doctoris Medici honores propediem adepturo gratulor, partim *I. T. TOELLNER*, S. Th. Stud. partim alius induſtrius S. Theol. cultor ſuſcepit, de quibus vero aliquantum dubitaui, ea ipſe, quum ante annum iter in Saxoniam ſuſcepiſſem, inſpexi. *Tertii Lipſienſis* MS. variationes doctus quidam vir anno 1617 ad editionem *THOMASII* Antvverp. 1587 accurate congeſſit, huius vſum patruus meus, Dn. *HENR. CONR. BVNEMANN*, Paſtor quondam Ordingenſis, in Eideroſtadia, a Clariſſ. *CAPELLO* Hamburgi obtinuit.

Praeter hos *decem MSS.* ſemper reſpexi ad varias lectiones MSS. *duorum Bononienſium*, & XII. *Vaticanorum*; item *Peniae & Taxaquetii* Hiſpanorum MSS. ab M. Thomaſio & Iſaeo; & *Eraſmi Roterod. Io. Cauci, I. F. Gronouii, Iunii, Palatini, Vltraiectini, Roſtochienſis*, ab Seruatio Gallaeo exhibitas. Hi tamen omnes MSS. maiorem meruiſſent induſtriam, maxime antiquiſſimus ille *Bononienſis*, in bibliotheca S. Saluatoris lit-

teris maiuſculis ante octingentos aut etiam mille annos, *Mich. Thomaſio* iam an. 1568 cenſente, exaratus. *Pfaffius* V. C. in diſſ. ad Lact. Epit. §. 8. p. 11. obſeruauit, eum a *LEONE ALLATIO* in animaduerſ. ad fragm. Antiquit. Hetruſc. laudari, & alphabetum eius Latinum & Græcum dare. Cl. *BERNH. DE MONTFAVCON* in diario Ital. c. 27. p. 409. & Palæogr. Græc. l. 3. c. 4. f. 222. 223 & ad ſæculum VI. vel VII. antiquitatem eiusdem referre. *ISÆVS* quidem maiori quam *THOMASIVS* ſtudio varias eius lectiones enotauit, ſed operæ pretium foret, ſi quis etiam leuiſſimas viſas mutationes indicaret, qualem curam V. Cl. *NVRRIVS* libro de Mort. Perſec. & *PFAFFIVS Lactantii* Epitomæ adhibuit.

Reſpexi quoque ad *quinque* MSS. a *SPARKIO* collatos, *Cottonianum* ſcilicet, *Bodleianum*, *Mertonianum*, *Balliolenſem*, & *Collegii corporis Chriſti*; attamen & hic dolemus, *Sparkium* parcum nimis in exhibendis egregiorum illorum codicum lectionibus fuiſſe. MStus *Emmanuelis Colleg. Cantabr.* & *alius Cantabr.* MS recentior an. 1465 (non 1365. vt in *Walch.* diatr. typorum errore p. 47) ſcriptus, longe ſtu-

dioſius quam reliqui ſunt excuſſi ab editore Cantabrigienſi anonymo, nobisque inſignem fructum attulerunt.

Vſus quoque ſum opera *TH. CRENII*, quam vir litteratiſſimus, adiutus MSti *Iunii* lectionibus, in ſuarum Animaduerſionum Philol. & Hiſt. parte IX. p. 19-86. in librum primum Inſtitutionũ *Lactantii* impendit.

Cognoueram quoque ex Polyhiſtoris egregii *B. G. STRUVII* Introductione in Notitiam Rei Litter. p. 170. MS. *Lactantium* in Bibliotheca *Francofurtenſi ad Mœnum* reperiri; quum vero aliquoties diuerſos per litteras ſollicitauerim, eiusque collationem meis nummis inſtituendam nequicquam exoptauerim, neſcio num amplius ſit ſperandum. Haud fui adhuc felicior in conſequendis variationibus ex MSto *Bibliothecæ Lipſienſis Senatoriæ*, vbi quidem a Præfecto illius Dn. *D. GOTTFR. CHRIST. GOETZIO*, amplitudine, doctrina, & humanitate ornatiſſimo viro nullam; in collatore vero inueniendo ab aliis mihi omnem obiectam difficultatem noui. Forſan publicæ hæ litteræ doctum aliquem ad hoc officium elegantisſimo noſtro ſcriptori præſtandum excitabunt.

ERNSTIVM, Profeſſorem Soranum

editionem, in qua *tredecim* MSS. contu-
lerit, promiſiſſe in Illuſtris REINHARDI
Theatro prudentiæ elegant. p. 93. legitur,
& THEOPH. SPIZELIVS diſſ. de Biblio-
thecis in opere Reuerendiſſ. Abbatis *I. A.
SCHMIDII*, p. 169. ex *Ernſtii* præf. Catal.
Florent. emendationis ſpecimen exhibuit,
num vero *Ernſtii* obſeruationes alicubi la-
teant, ex eruditis cognoſcere percupio non
minus, quam quo IAC. GALLÆI, Paſtoris
quum viueret Campenſis, obſeruationes
delatæ ſint.

Illuſtris Dn. GERHARDVS a MAA-
STRICHT me ex litteris doctiſſimi pa-
riter atque accuratiſſimi bibliopolæ Am-
ſtelodamenſis H. WETSTENII fecit cer-
tiorem, nominatum *Gallæum* multos an-
nos in *Lactantio* edendo fuiſſe occupatum,
& quum litterarum cauſſa per aliquot an-
nos Pariſiis conſiſteret, omnes MSS. *La-
ctantii* in Gallia excuſſiſſe, eius vero rei no-
titiam Dominum HALMAM, alterum Ty-
pographorum Batauorum decus, ſuppedi-
tare poſſe. Nihil vero adhuc certi ad nos
de hac re eſt adlatum. Eo magis vero
Gallæi obſeruationes deſidero, quod
BROVCKHVSIVS, in præfatione ad *Ti-
bullum*, eius diligentiam in excerpendo

Col-

Colbertino *Tibulli* codice commendauit, & caſtisſimo ſtudiorum cultu inſignem vocauit, vide Dn. I. A. FABRICII Suppl. Bibl. Lat. p. 99.

Perſpexeram ex litteratiſſimi Theologi & Philologi C. M. PFAFFII litteris, ad THOMAM FRITSCHIVM, Bibliopolarum in Germania facile principem, datis, & mecum communicatis, celeberrimum MEVSCHENIVM Hagæ-Comitum Chriſtiani Ciceronis nouam editionem meditari; at ipſe ſuo cognato nobis amicisſimo G. H. BECKERO, Mindenſi Iur. Candid. reſpondit, alia potius opera a ſe proximis annis eſſe exſpectanda. Quum Cl. MEVSCHENII litteras, quarum primo quoque tempore remittendarum mihi ſpem fecit, conſecutus fuero, certiorem me fore ſpero, tam de GALLÆI memorato labore, quam de BORGHESII in *Lactantium* indice, quem Hagæ-Comitum apud Dn. MAESWYCK, Rectorem Coll. Lat. oſtendi ex Relat. nou. de rebus eruditis a. 1715. n. XXI. p. 165 didici. Quamquam quod ad *Indicem Lactantii* attinet, *ipſe nouum eumque pleniſſimum meæ editioni adiungendum confeci.*

Mitto iam MSS. & ineditos libros, & de

EDI-

EDITIONIBVS quædam ſubiicio. I geram C. RITTERSHVSIVM (qui ſuis lectionibus ſacris noſtrum nonnunquam illuſtrat,) in notis ſuis ad Saluianum ed. Brem. p. 58 (192) commemoraſſe, habere antiquam Lactantii editionem Venetiis an. 1442. apud Vendelinum impreſſam, ſed a. 1472 in Rittershuſio eſſe corrigendum, Celeberrimus I. A. FABRICIVS per litteras confirmauit.

Cl. WALCHIVS in ſua diatriba ad Lactantium p. 44 adducit editionem Lugd. CIↃCCCCXLIII. quod ipſum a vitio vix alienum videtur. Eodem ex OUDIN. Suppl. de Scrip. Eccleſ. p. 25 citante, ANTON. RAVDENSIS Italus, Ordinis Minorum, circa annum 1440. opera Lactantii emendauit ad MSS. cod. collatione facta diligenti, quæ nec mihi nec aliis, quos interrogaui, viſa ſunt, qui plenius me de hac opera edocere poſſunt, per mihi gratam rem facient. Aequo tamen animo eo carebimus, niſi meliora ſunt, quam vbi idem errores Lactantii in vnum faſciculum multis editionibus e. g. Ven. 1497 præfixum, collegit, merito inde obſeruante CRENIO parte IX. Animadu. p. 28 a FRANCISCO PHILELPHO lib. 4. epiſtolarum reprehenſus.

MONT-

MONTFAUCONUS, ut iam notauit Cl. *I. A. Fabricius*, in Bibl. Lat. p. 730 editionem Romanam ann. 1461 memorat etiam *I. Andr. Epiſcopus Alerienſis*, in præf. ad *Paulum II.* Venetum, Pont. Max. a. 1470 ſcripta ad *Lactantium* teſtatur, *eo iam tempore* La*ctantium ſemel iterumque Romæ impreſſum.* HOTTINGERVS ergo in Bibliothecario quadripartito p. 295 male credidit, Romanam a. 1465 characteribus adhuc ſatis rudibus impreſſam, & in Carolina Bibliotheca adſeruatam primam eſſe. In eodem errore hæſit CHRISTIANVS DAVMIVS, qui in Syllabo Poëtarum Chriſtianorum veterum ** 2. ad *Paullin. Petrocorium*, editionem hanc *monaſterii Sublacenſis an. 1465 primam* vocauit; quum eam in Bibliothecam Zvvickauienſem relatam ex Dn. G. LVDOVICI part. III. Hiſt. Rect. & Gymn. & Act. Erud. Lipſ. Suppl. T. V. p. 119 cognouiſſem, Virum Clariſſimum M. G. A. VINHOLDVM, Gymnaſii Zvvickau. Rectorem longe digniſſimum, per litteras rogaui, vt eam mihi beneuole aut procuraret, aut varias lectiones meis ſumtibus enotatas transmitteret, ſed nihil adhuc obtinui, neque tamen de doctiſſimi viri humanitate, & in adiuuandis meis

cona-

conatibus voluntate vllo modo dubitet.

Felicior fuit doctiſſimus G. E. HARTI-GIVS, Mindanus, S. Theol. Candid. cui ab Reuerendiſſ. Præpoſito HERM. von der HARDT, editio *Veneta an.* 1478 ex Bibliotheca Iulia Academica ad conferendum est conceſſa. Romana vero a. 1474. & Veneta an. 1490. & Florentina an. 1513. CELLARII, ISÆI, & HEVMANNI fide citantur.

Reliquas editiones iam indicandas omnes meis oculis manibusque contrectavi, alias ex iis debeo Illuſtri Reip. Bremensis Syndico, GERH. de MASTRICHT, viro omnigenæ eruditionis & ſummæ humanitatis Viro D. A. FABRICIO, alias Summe Reuer. & Eloquentissimo Hamburg. Paſtori WINCKLERO, quibus de omni re litteraria meritiſſimis triumviris me ad omnia officia offero promtiſſimum.

Præter *Venetam* igitur laudatam a me *quatuor aliæ Venetæ*, non ſine laude memorandæ, ſunt collatæ. 2.) *Veneta* 1497. fol. per SIMONEM BEVILAQVAM Papienſem, cum præf. IO. ANDR. Epiſcopi Alerienſis. 3.) *Veneta* IO. TACVINI a. 1502. fol. quam IO. PET. VALERIANVS ſiue PIERIVS Bellunenſis correxit, & me-

mecum communicauit Dn. HEMPELMANNVS, Præpoſ. S. Mauricii Mind. 4.) *Veneta* a. 1509. fol. hanc reuidit L. PARRHASIVS. Vſus ſum ex libris Dn. PHILIPPI, qui Duci Saxo-Merſeb. a ſacris concionibus eſt. 5.) *Veneta Aldina* a. 1515. 8vo, hanc ALDVS MANVTIVS IO. BAPT. EGNATIO Veneto corrigendam tradiderat. Habeo eam ex libris antiquæ ſidei senis DN. LINDHAMMERI. 6.) Baſil. 1521. 4. cura CRATANDRI eſt bonæ notæ. 7.) Baſ. 1524. 4. eiusdem *Cratandri* ed. priori multo inferior. 8.) Antv. 1539. 8. IO. GYMNICI, præ multis aliis commendanda. 9.) Lugd. 1548. 12. eſt nitida & correcta ex officina IO. TORNÆSII. 10.) Baſil. 1556. fol. in Hæreſeologia per HENR. PETRI. 11.) Pariſ. 1561. 12. apud *Hieron. de Marnef* ex caſtigatione HONORATI FASITELLII Veneti, plerumque cum Tornæſianis correctis editionibus concinit. 12.) Baſil. 1563. fol. cum commentariis X. BETVLEII, quos pereruditos P. LAMBECIVS iudicat, vid. MORH. Polyhiſt. P. I. lib. 4. c. 14. n. 16. p. 910. & commendat Dn. WALCHIVS in diatr. p. 46. At REINHARDO in Theatro prud. eleg. p. 93. *hi commentarii ſunt frigidi nihilque memorabile continent.* Non poſſum diffi-

diffiteri, BETVLEIVM, eruditum licet vi-
rum, operoſum nimis fuiſſe in locis com-
munibus Theologicis & Philoſophicis con-
ſcribendis, textum vero nunquam fere
emendaſſe, neque latinitatis, cuius prima
debet eſſe, vllam habuiſſe rationem. 13.)
Lugd. 1567. 12. TORNÆSII. 14.) MICH.
THOMASII Antvverp. apud Chr. PLAN-
TINVM 1570. 8. Hic quum Bononiæ iuri
Pontificio ac ciuili operam daret, neque
tamen aliarum rerum bonos ſcriptores ne-
gligeret; in bibliotheca S. Saluatoris ille
ſupra memoratum *antiquiſſimum codicem*
vidit, & ſingula cum impreſſis diligenter
contulit, & quæ in illo antiquiſſimo diſcre-
pabant, adnotauit, & *in ſexcentis* & am-
plius locis *Lactantium*, huius codicis & al-
terius Bononienſis, & ſeptem Vaticano-
rum MSS. ope, reformauit. 15.) Altera
MICH. THOMASII editio ibidem 8. 1587
prodiit, (non 1577 vti in Cl. WALCHII
diatr. pag. 46 vitioſe impreſſum) neque
priori eſt inferior. 16.) TORNÆSII e-
an. 1594. 12. hæc editio eſt accurata, & in
libro exeunte legitur, a IAC. CVIACIO
emendata, ſed *Cuiacius* potius priorem
aliquam TORNÆSII editionem emenda-
vit, qua ante aliquot annos ſum vſus, cui

idem

idem epilogus de *Cruciatu* ſubiunctus. 17.) Colon. 1613. 12. conuenit cum priori, & eadem videtur *Geneuenſis Tornæſii a.* 1613. ab Gallicis aliisque vocari. 18.) Geneu. 1630. 12. & hæc eiusdem generis. 19.) *Ceſenæ* ex typographia NEREI a. 1646. ab IOS. ISÆO Ceſenate, olim *D. Petri* de vrbe Canonico, Cambetrolæ, Baſchi &c. comite, ſumma diligentia recognita, & ex antiquiſsimis MSS. Codicibus ac probatioribus impreſſis ſedulo emendata. Vſus eſt XII. *Vaticanis* MSS. II. *Bononienſibus. Michaelis Thomæ Taxaquetii* codice diligenter excuſſo atque examinato, nempe ad margines variis appoſitis lectionibus ex MSS. tum etiam ex plurimis Italiæ, Galliarum, Hiſpaniarum atque aliis editionibus, melioreque ac probatiore in textum recepta, codice MS. FRANC. PENIÆ Hiſpani, Romanæ Rotæ Auditoris, & *edd.* Venet. 1472. Rom. 1474. Ven. 1493. 1511. Florent. 1513. Ven. *1521. 1535.* & Antverp. *1587.* Scribit ISÆVS in præfatione, *Thomaſium nonnullis Lactantii vulneribus opem tuliſſe, verum pleraque intacta ac prope innumera remanſiſſe, ſe vero ſublatis mendis plus minus trecentis meliores lectiones ex optimis exemplaribus & doctiſsimis ſcriptoribus re-*

ſtituiſſe. Hanc editionem *rariſſimam* nec GALLÆVS, nec SPARCKIVS, nec *Cantabr.* editor, nec Cl. WALCHIVS viderunt, vnde eam eo diligentius excuſſi. Acerbitas tamen eius, qua ſæpe aduerſus Euangelicæ religioni addictos vtitur, reprehenſione digna. 20.) Romana 1650. fol. Hæc altera *Iſæi* editio nulla re niſi vitiis priorem ſuperat. 21.) Lugdun. Batauor. 1651. 8vo. cum notis THYSII, quæ ſunt parui momenti. 22.) Lugd. Bat. 1660. 8. cum commentariis variorum ſelectis opera SERVATII GALLÆI. Clarmund. part. I. in vita *Salmaſ.* p. 127. 128. tradit, *Gallæum*, mediocris doctrinæ virum, per vxorem ſchedulas *Salmaſii*, atque in his notas in *Lactantium*, obtinuiſſe, easque ſuo nomine venditaſſe. Quum vero ex *Salmaſii* horto ſterquilinium Criticum fecerit, neque omnia intellexerit, eruditos mox ſenſiſſe, hæc non ab ingenio *Gallæi* fluxiſſe, atque inde non gloriam, quam captauerit, ſed ignominiam ipſi partam. Omnis tamen laus *Gallæo* non eſt deneganda; Ipſi enim varias lectiones ex MSS. nonnullis optimæ notæ debemus, quos commentario ſuo in libri extremo ſubiunxit, quæ inſignem nonnunquam vſum præ-

ſtant; miror *Sparckium*, *Cellarium* & Cl. *Walchium*, eas non reſpexiſſe. 23.) Oxoniæ a. 1684. 8vo, cum notis *Sparckii*. Vſus eſt *quinque MSS.* ſupra nominatis, ex quibus, rariores licet, varias lectiones exhibuit, & notas ſuas, maxime ad Theologiam & Philoſophiam pertinentes, adſperſit. 24.) Cantabrig. 1685. 8. laudanda, ob exhibitas ex duobus MSS. variationes. 25.) Lipſ. anno 1698. 8. cum notis CHR. CELLARII. Hic demum elegantiſſimæ doctrinæ vir, & latinitatis noſtris temporibus in Germania princeps ſtator, digniſſimus fuit *Lactantii* interpres. Typi quoque Batauicos propemodum nitore æquarunt, vti agnouit quoque MOLLERVS not. (tt) ad Morhoff. Polyhiſt. P. I. lib. 4. c. 14. n. II. p. 911. Reliqua cognoſci poſſunt ex Actis Erudit. Lipſ. 1698. p. 535. 536. Has ob cauſſas hanc editionem ſum maxime ſecutus, & ſi qua ratione fieri poteſt, textum emendatiorem ex MSS. integrasque Cellarii notas repræſentabo. 26.) Nouiſſima omnium *Lactantii* librorum editio fuit *Lipſienſis*, anno 1715. 8. quam Dn. I. G. WALCHIVS V. C. recenſuit, & criticis commentariis cum aliorum, tum ſuis inluſtrauit. Quum primum hunc titulum vidi, & in præfa-

tione legi, Virum Clariſſ. *eam ingreſſum viam, ut ſcriptorum Criticorum emendatiſſimum proferret, ac ſuis & aliorum lucubrationibus illuminaret, quæ tum ad indolem genuinæ latinitatis pertinerent, tum ad nobiliora argumenti momenta, antiquitatum præcipue ac philoſophiæ veterum*, putaui, operam meam fuiſſe ab illo iam occupatam, atque ita aliquot annorum laborem a me fruſtra ſuſceptum: ſed dum Clariſſ. *Walchii* & meas notas comparaui, illas a meis plane diverſas vidi. Voluit quidem *Lactant.* exhibere *emendatiſſimum*, ſed pace Dn. WALCHII dixerim, quamuis inuitus, *in hac editione magnam vitiorum typographicorum copiam exuberare*. Quod Latinitatem ſtuduit illuſtrare, laudem meretur, nec ſucceſſu caruit; vtinam vero non ita magnam vbivis fidem habuiſſet KREBSII, Viri alioquin doctiſſimi diſſertationi de Stilo *Lactantii*, qui nulla antiquiori in Fabri Theſauro quam Lactantii obſeruata autoritate, illico voces tales Lactantianas fecit. Monet quidem nonnulla Celeberrimus C. A. HEVMANNVS, qui de *diſcrepantibus quibusdam ſcripturis Lactantii* epiſtolam ad doctiſſimum Walchium dedit, inſertam XLV. Eröffnung der

neuen

neuen Bücher-Saals n. 6. Sed Cl. WAL-CHIVM ad eadem dubia proxime reſponſurum ſcimus. Uti igitur ſincere teſtor, me egregia ingenii bona in Cl. *Walchio*, ſtudium literas elegantiores prouehendi in melius, & ſingularem quam in ſcriptis conſpiciendam praebet modeſtiam magni aeſtimare, licet omnino quaedam nimiae eius feſtinationi imputanda videantur: ita lubens confiteor, varia ad Lactantium illuſtrandum ab ipſo commode adducta. Inprimis vero eius Diatribe doctorum multorum meruit applauſum, vide XXXVIII. partem Nouae Biblioth. Halenſ. & Acta Erud. Lipſ. Lat. 1715. menſe Iunio. *27.*) Liber de Opificio Dei, cura G. L. GOLDNERI Gymn. Illuſtr. Ruthenei Rectoris, a. 1715. 8. Vſus eſt V. C. antiqua editione Veneta 1470 ex Bibliotheca publica, quam ante annum, quum Gerae eſſem, praeſens libenter contuliſſem, niſi Dn. IO. GE. PERTSCHIO, S. Th. D. & Superint. abſente Bibliotheca occluſa fuiſſet. *28.*) Liber de Mortibus Perſecut. edit. prima in BALVZII Miſcell. Tom. 2. Pariſ. 1679. 8. *29.*) Idem Aboae 1684 cum not. COLVMBI. *30.*) Idem cum notis variorum & BAVLDRI. Lugd. Batau. 1692. 8. *31.*) Idem denuo accurate ad MS. Colber-

tinum emendatus, cum diſſertatione D. NIC. NOVRRY Pariſ. 1710. Huius *ſpecimen & omnes varias lectiones*, quia liber in noſtris oris rarior, ex MS. Colbertino repræſentavi, & loca a NVRRIO impugnata vindicare tentaui. Cognoui ex Nouis relationibus de rebus eruditis Lipſ. an. 1715. p. 402. 403. virum doctum aliquem conſcripſiſſe *Reflexions ſur la Nouvelle edition du Traite de la mort de Perſecuteurs*, & ex iisdem vidi a. 1716. p. 126. NVRRII V. C. *Apparatus ad Bibliothecam veterum Patrum Tomum II.* Pariſiis a. 1715. fol. eſſe *editum*; quum vero apud diuerſos Bibliopolas eum quæſierim, doctos rogo, vt vbi hi libri, quoue pretio habendi, me edoceant. Accedent quoque ad hanc meam editionem *adhuc inedita Cl. MIEGII diſquiſitio epiſtolica de nonnullis dubiis locis h. L. & Illuſtris GERH. de MASTRICHT ad illam reſponſio. 32:) Epitomen integram*, quam Cl. C. M. PFAFFIVS Pariſiis an. 1712. ex codice *MS. Taurinenſi* adhuc vnico princeps edidit, ex eodem Taurinenſi MS. longe *correctiorem cum ſpecimine MS. & omnibus variis lectionibus & notis celeberrimi Pfaffii auctis*, mihique per celebratisſimum TH. FRITSCHIVM procuratis, exhibebo.

Præ-

Præterea, vbi opus fuit, & ipſe eam illuſtraui, & vt integra cum libris inſtitutionum ſine vllo temporis diſpendio ab lectoribus componi poſſit, ad ſingula capita, vndequeque repetita, adnotaui. 33.) Carmen *de Phœnice* illuſtraui ex *MS. Vindobon. MS. Guelpherb. & MS. tert. Lipſienſi*; indicaui quoque loca C. BARTHII, vbi *Claudianum* hoc carmen ſæpe explicare ſtuduit. IOANNIS vero GRYPHIANDRI in Phœnicem commentarium, & notas atque emendationes NIC. HEINSII dudum fruſtra adhuc quæro. Tandem adiunxi quoque carmina *de Paſſione*, & *Paſcha*. 34.) Carmen de *Paſcha* AVG. BVCHNERI Witteb. 1627. 8. editis animaduerſionibus præcipuis, quas merito eruditisſimas vocat OLEARIVS in Bibl. Script. Eccleſ. Tom. 2. p. 221. exornaui, & ſi per me ſtaret, integras recudendas curarem. DAVMIVS in Syllabo Poëtarum Chriſtianorum Veterum ad *Paullin. Petrocorium*, quum agit de Venantio Fortunato, *olim*, inquit, *Herm. Buſchii Commentario, quem inſcripſit Io. Gymnico, auditori ſuo, ſine loco & tempore in quarto foras datus fuit*; & Buchnerus refert, Buſchium in epiſtola ad Gymnicum, a Goldaſto edita, *ſibi ipſi viſum eſſe aliquid egregii*

præſtitiſſe, ſed hic BVSCHII labor neque a BVCHNERO, neque a me, alicubi potuit inueſtigari.

Magnum quoque ſui ſpectandi deſiderium penes alios & me excitauit liber, quem dicunt *Lactantii de SPECTACULIS*, quem Venetiis an. 1705. impreſſum Recenſiones Triuultinæ eiusdem anni menſe Nouembri pag. 1991. tradiderunt, & Lipſ. Lex. Vniuerſ. Hiſtor. Tom. 3. fol. 269. a. & OLEARIVS in Bibl. Script. Eccl. pag. 429. eius cauſſa ablegant ad Nouvell. de la Rep. des Lettres Iuillet 1705. pag. 117; ſed quum nec *Pfaffius* teſte diſſ. prælim. ad Epitomen pag. 16. eum librum viderit, nec *Walchius*, ſecundum diatriben pag. 41. eius copiam ſibi facere potuerit, nec Nobiliſſimus POMMERVS, florentiſſima apud Venetos familia natus, iam Halæ ſtudiorum cauſſa conſiſtens, ab amiciſſimo viro I. H. SCHVLZIO & me rogatus, ex patria eum conſequi potuerit, imo viris accuratiſſima librorum notitia inſtructis *Gerh. de Maſtricht*, I. A. *Fabricio*, Henr. *Watſtenio*, Thomæ *Fritſchio*, Nic. *Forſtero*, hic de Spectaculis liber plane incognitus ſit, vti litteris ad me datis confirmarunt, parum abeſt, quin illum librum *de Spectaculis* pro ficto, nec

umquam

umquam excuſo reputem, neque aliorum ſententia prius vincer, quam ille *de ſpectaculis* liber mihi ſpectandus præbetur.

Quamquam vero ex tot egregiis & MSS. & editis libris, indefeſſo ſtudio a me excuſſis, haud paruus fructus in *Lactantium* redundauerit, pro certo tamen poſſum confirmare, *aſſiduam ipſius Lactantii tum & Ciceronis* aliorumque *lectionem* plus ſalutis ei attuliſſe. Cognouit hoc celeberr. IO. CLERICVS, quum in Artis Criticæ parte III. ſect. I. cap. XVII. §. 20. p. 276. locum aliquem *Lactantii deprauatum* oſtendit, quod *Lactantiano ſtylo parum fuiſſent adſueti. Quisquis*, addit, *eum ſcriptorem edere cum aliqua laude volet, non minus Ciceronem legat oportet, & melioris æui ſcriptores, quam ipſum Lactantium, eos enim perpetuo imitatur*. Hoc doctiſſimi viri conſilium ſum ſecutus, & deprehendi, eo neglecto doctiſſimos quosque interpretes de via excidiſſe. Et quis eſt, qui pedes ita inconcuſſa ſtabilitate figat, vt non pronus ei ſit lapſus, & facilis ad errores? Quos ſi modo ad cauendum indicamus, aut errantes in viam reuocamus, rogamus, vt non iraſcantur nobis; aut nos ſibi aliisque inſultare putent, quos nobis longe

 doctio-

doctiores agnoſcimus, ſed ſicubi in noſtris obſeruatiunculis ſimiles, & forſan errores plures maiores hic peruident; idem humanitatis officium, nobis præſtent, & nos ab errore liberent doctioribus ſuis admonitionibus.

Nunc ipſa ſpecimina nonnulla ex ſingulis libris depromta liceat ſubiungere.

Ex *lib. 1.* Inſtitut. c. 3. n. 7. *natura in eo potius eſt, in quo totum eſt quam &c.* Sic quidem cum MS. Emman. etiam MS. Coll. Corp. Chriſt. & vnus in Bibl. Aug. Guelpherbytana. Alius in eadem: *in eo poteſt eſſe, in quo totum* EXIGVA IN EO, *in quo pars d. t.* Sed optimus codex membran. in Guelpherb. Witeberg. Gothan. & Lipſienſes denuo conſulti & Venet. 1478. *natura in eo poteſt eſſe, in quo totum eſt, quam in eo,* Hæc eſt veriſſima lectio, debet ſubaudiri: POTIVS, vel MAGIS, quod non infrequens in *Lactantio*: Sic MS. Goth. c. 11. *ita vt virtute opus ſit, quàm imbecillitate,* vide quæ ex MSS. noto ad l. 2. 7. 1. lib. 3. 29. 10. lib. 5. 12. 10. lib. 6. 18. 14. de Opif. c. 19. n. 10. Certiſſimam facit meam explicationem Epitome a Clariſſ. *Pfaffio* ex MS. Taurinenſi antiquiſſimo exhibita cap. 2. *Is autem Deus putandus eſt,* QVI POTEST

TOTVM, QVAM (ſic habet MS. pro quo, Pfaff. & Walch. non correxerunt) QVI DE TOTO minimum. adde Dauies. ad Minuc. Fel. c. 5. Grabium ad Irenæi lib. 4. cap. 23. not. f. f. 309. & f. 323. not. b. & quos A. E. Lipſ. Suppl. T. 4. f. 10. p. 424. laudant.

Cap. 7. n. 13. *optimum in nobis animam debeamus*. Ita recentiores ediderunt, etiam Cl. *Walchius*. Sed MSS. tres Lipſ. Goth. ſeptem Anglicani, Palat. Iun. Cauc. q. e. *optimum in nobis debeamus*. Abiiciunt *animam*, vt gloſſema cum Venet. 1497. Pier., Parrh. Crat. Tornaeſ. Ald. edd. Optime. Sic enim Seneca, cuius verba ſunt, & alibi ſcripſit. Seneca ep. 23. *de tuo gaude*. *Quid eſt autem hoc? de te ipſo &* TVI OPTIMA PARTE. *Corpuſculum - - magis neceſſariam rem crede quam magnam*. ep. 65. *Sapiens - - adhaeret quidem in corpore ſuo, ſed optima ſui parte abeſt*. adde *Schott*. Nod. Cic. lib. 1. cap. 11. p. 25. 26. recte quoque abeſſe a Florentino Cl. *Heumannus* conſuit.

cap. 14. n. 7. *eosque muro circumegit*. Sic cum pluribus MSS. tres Guelpherb, & Witeberg. quod *durum* Cellario dicitur, & ab Iſæo damnatur, qui putat, Lactantium ſcripſiſſe, *eosque murum circumegit*, i. e. circumduxit. Cui fauens membran. Gothanae:

eosque

eosque MVROS circumegit. Quid? inquit Dn. Walchius, ſi hic legas: EOSQVE E MVRO CIRCVMEGIT. e muro, i. e. IN MVRO: Sed ita muri ſatis lati fingendi eſſent, in quibus potuiſſent circumagi Saturnus & Ops: Quid? quod iam comprehenſi erant. Olim cogitabam corrigendum: eosque NERVO circumpegit, nam ſequitur: vinxiſſe compedibus & in vincula coniectos, conf. de neruo Pitiſci Lex. A. R. T. 2. f. 265. Ita dicitur rarius: in vincula, carcerem, compegit, de quibus Schott. ad Victor. de Viris Illuſt. c. 1. Clariſſime vnus papyrac. Guelpherb. eosque MVRO CIRCVMDAT. Sed nihil puto mutandum: circumagere rariori notione valet circumdare Capella lib. 5. p. 137. ed. Grot. erat pallio circumactus. & lib. I. pag. 6. ſolis caput radiis perfuſum circumactumque.

Cap. 15. n. 23. q. p. vſuram e. i. e. ſ. ciuitatem. addunt: ciuitatem MSS. & excuſi optimi. Non igitur opus fuiſſet magna opera Gallæi de vſura illicita. Gallæi vitioſam lectionem & errorem de vſura ab doctiſſ. Walchio propagatum, & noua nota auctum miror. Nullus hic vſuræ locus eſt, & quis vſuram dixerit ſapientem? Præterea in Ciceronis de Legibus libris, vnde hæc ſumta,

nihil

nihil de vſura legitur. Videtur reſpexiſſe ad Platonis inſtitutum, qui *ciuitatem de ſapientibus voluit componere* Lact. lib. 3. c. 25. n. 7. & ad libros *Platonis* de Legibus, de quibus conf. *Fabric.* Bibl. Gr. lib. 3. c. 1. p. 25 ſqq. Cl. *Walchius* in notis ſuis ad lib. 6. c. 18. pag. 724. vbi huc remittit, adhuc hæſit in ſuo errore, quem facile corriget.

Ex *lib.* 2. Inſt. cap. 5. n. 6. *Deo - - ſua ſibi opera.* Ita membranæ Guelpherb. Anglican. Bonon. Taxaq. Pen. Vltr. Iun. Lipſ. Goth. & Venet. *1497.* Thom. & Gall. nec male MS. Cauci: *q. d. p. 1. ſuo ſua ſibi opera.* Parrh. *ſuo ſibi opera.* Crat. Tornæſ. *ſua opera prætulerunt.* Non intellexerunt locutionem, vnde illud: *ſibi* abiecere. Fruſtra quoque Hebraiſmum (cuius Lactantius ignarus) hic finxit Dn. *Walchius*, aut *ſibi* voluit deletum: nec audiendus alter Guelpherb. MS. papyr. qui *ſua ipſius opera.* habet. *Sua ſibi opera* valent *ſua propria opera.* iterum Lactant. 3. 28. 20. *qui ſuo ſibi gladio pereunt*, vide notas noſtras. *Plaut.* Captiu. Prol. v. 5. v. 46. v. 50. *ſuo ſibi ſeruit patri*, adde *Turneb.* Adu. lib. *14.* cap. 7. pr. Idem *Plautus* alibi: *ſuo ſibi telo, ſuo ſibi iumento.* *Taubm.* ad Plaut. Amphitr. A. I. Sc. 1. v. *171.* Aſin. 4. ſc. 2. v. 16. *ſuo ſibi gnato* Capt. 1. ſc. 1. v. 13.

v. 13. *ſuo ſibi ſucco*. Sæpe quoque *Apicius* de Arte Coquin. lib. 4. c. 2. *de ſuo ſibi fricabis ſuffundes ius de ſuo ſibi*. cap. 3. ſepties legitur: *ius de ſuo ſibi. cum ſua ſibi tengil*... adde lib. 4. cap. 5. lib. 5. cap. 3. c. 4. l. 6. c. ... c. 7. c. 9. l. 8. c. 6. c. 7. c. 8. Sic Inſcriptio lib. 12. Gell. cap. 1. *vt liberos non alienum ſed ſuo ſibi lacte aleret*, & lib. 5. cap. 10. *magiſter ſuo ſibi argumento confutatus eſt*. vbi *Voſſii* codex *ſibi* male expungit.

Lib. 2. c. 8. n. 48. *de Prophetis*. Per Prophetas *Betuleius*, *Sparckius*, & *Walchius* hic intelligunt, non veros Dei Prophetas, ſed *alienigenas*. Videtur confirmari ex lib. ... cap. 7. n. 8. ſed & eius loci explicationem veram Lactantio reddo ibidem. Hic ... dicent alii, num hoc noſtro loco de Prophetis alienigenis potuit dicere, eos opus mundi ac opificium Dei VNO SPIRITV ac PARI VOCE teſtari? Has formulas ad veros Prophetas pertinere ipſe Lactantius docet, lib. 1. c. 4. pr. *Prophetæ* - - VNIVS DEI SPIRITV *pleni* - - - PARI ET CONSONA VOCE *prædixerunt*. conf. lib. 7. cap. 18. pr. & cap. 25. pr. Alienigenas numquam Lactantius *prophetas* abſolute, ſed *prophetas ſeculares* vocat l. 7. c. 14. n. 16.

Ibid. n. 50. *quam materiæ prouidentiam* conglo-

conglobatam. Vt verum fatear, neque *Thomaſius* neque *Sparckius* Lactantium hic recte interpretari videntur, licet *Cellar.* & *Walchius* approbent. MSS. Emm. Cant. Vltr. Pal. Lipſ. 2. & 3. & Witeberg. cum edd. Venet. 1478. 1497. *quam materiam prouidentia conglobatam.* videtur in iis *tam* excidiſſe. Plenisſime GOTHANÆ *membranæ*: *Certius eſt igitur* TAM *mundum prouidentia inſtructum*, QVAM MATERIAM PROVIDENTIA CONGLOBATAM. (ita clare Goth. non vt *Cellario* perſuaſum, legit) i. e. certius vtrumque eſt & hoc: mundum prouidentia inſtructum, & illud: materiam prouidentia conglobatam ſeu diuina prouidentia factam. res eſt clariſſima ex ſect. 51. & ſqq. & integro capite. Si referas ad Epicurum, de quo n. 49. ſcias, illum ſecundum Lactantium non *adſtringere* materiæ prouidentiam, vt Sparckius & eum ſecuti dictionem *materiæ prouidentiam conglobatam* explicarunt, ſed plane *ſecundum noſtrum tollere prouidentiam*, & de Ira c. 9. n. 4. dicere: *prouidentiam nullam eſſe; itaque mundum nec ratione vlla, nec arte, nec fabrica inſtructum; ſed naturam rerum quibusdam minutis ſeminibus & inſecabilibus conglobatam*, adde cap. 10. n. 11. & 14.

Con-

Contra Epicurum igitur dicit, materiam eſſe ratione, conſilio, providentia congl[...] batam ſive collectam & compoſitam Lact. Opif. cap. 5. n. 1. conglobare & colligere iu[n]guntur. Conglobare numquam notat adſtringere.

Lib. 2. c. 10. n. 22. apparet quandoque [de]ſiturum. Dn. Walchius cum vulgatis lib[ris] habet: deſituram ſc. res. quod a ſcopo Lact[an]tii alienum. Cellarius recte quidem [ex] MSS. deſiturum reſtituit, ſed male appli[ca]vit ad tempus, quum dicit: deſiturum p[ro] tempus, de quo ſermo eſt. debent potius [re]ferri ad genus humanum, de quo hic ſerm[o]. n. 17. Ariſtoteles dixerat ſecundum noſtru[m] in ceteris humanum genus ... initium habere, ſed fuiſſe ſemper, ac ſemper fo[re]. contra hunc diſputat n. 19 — 26. & dic[it] totum genus aliquando eſſe, cepiſſe, & [ali]quando deſiturum eſſe. Nemo dubitabit, q[ui] attente legerit hæc omnia.

Lib. 3. cap. 4. n. 12. quod eam diſtra[hit]. Miror omnes recentiores editores ill[ud] diſtrabit hic retinuiſſe, male abrepti [ex] verbis ſect. 13. diſtrahi, diſtracta, quæ tam[en] plane alium ſenſum habent. Scribe cu[m] MSS. Goth. Lipſ. 1. & 2. Emman. Cant. Iun. Caut. Palat. & vetuſtis edd. Venet. 1497 Pier.

Pier. Parrh. *quod eam DETRAHIT*, id eſt, *tollit, amputat*. Arceſilas enim ſcientiam penitus deſtruxit, & *detrahit* noſtro loco opponitur τῷ *vindicat*, quod præceſſit. conf. Epitom. Pfaff. cap. 31.

Lib. 3. c. 8. n. 9. *Obſcenus canis*. *Obſcenus* hic impudentis libidinis rabiem notat. Virgilio vero lib. 1. G. 470. *obſcenæ canes* ſunt ominoſum latratum edentes, vt recte Taubm. & Emmeneſſ. exponunt. *Taubmannum* ne vocula quidem mutata exſcripſit *Herald*. ad Arnob. lib. 1. p. 16. Walchius verba: *obſcenus canis* de Philoſophis Cynicis hic explicat, quum ſcribit p. 292. n. 6. *Hi Philoſophi Cynici dicti fuerunt a rabioſa obſcenitate & ſermonis licentia &c.* in quo V. Clariſſ. eſt lapſus. Loquitur hic Lactantius de cane & ſue pecudibus, vt conſtat ex ſect. 7. *ſi aſino, aut cani, aut ſui facultas loquendi tribuatur*. His igitur hic loquendi facultatem adfingit. Vnde vox *VERUM* hic notat: *hoc omnino ita ſe habet*. Sed, vt verum fatear, credo hic elegantiam, vbi VERO pro *immo vero* poſitum fuit, eſſe corruptam. Demonſtraui ex aliis locis ad Lactant. lib. 3 17. 34. vbi etiam: *VERO*, inquit, *NAM*. Sed ſi vel maxime locus ſanus ſit, certum tamen de CYNICIS

hæc non poſſe ſumi, ſed potius de Cyrenaicis num. 9. & de eorum magiſtro Ariſtippo n. 6. de Cynicis demum agit cap, 15. ſect. ... quod de voce VERO conieci, non parum adiuuant MS. Iun. in quo eſt: ITA VERO *inquit*, & MSS. Goth. & Vltr. *non* VERO *inquit*. Neque recte idem Walchius ſect. 10. *ſententiam* explicat per *rationem*, patet ex ſect. 8. vbi verba: *qui hoc idem ſentiunt*, produnt, quid ſit *ſententia* h. l.

Lib. 3. c. 12. n. 32. *ad illud hanc vitam retulerunt*. Ita quidem cum MSS. quos Cellarius ante me vidit MS. Witteb. & edd. Venet. 1478. 1497. Pier. Parrh. Tornæſ. ſed Crat. vtraque: *ad illud in hanc v. r.* alii: *ad illum h. v. r.* Nullam ex his veram ſcripturam puto. Cellarius *ad illud* refert *ad corpus*, quod eſt Lactantii menti contrarium, quis enim putet, Lactantium hanc ταυτότητα admittere potuiſſe: *quoniam ad corpus hanc vitam retulerunt*, quæ cum corpore terminatur, ad corpus reuoluti ſunt. Veriſſima eſt ſcriptura antiquiſſ. cod. Bononienſis & Peniæ Hiſpani, quam Thom. Iſæus, Gall. Sparck. approbarunt, Immo *in Lipſ. tert.* etiam eſt, quoniam ILLVD AD *hanc vitam retulerunt*. *Illud* puta *ſummum bonum*. Non enim diſputat,

quor-

quorſum hanc vitam temporalem retulerint, ſed quo ſummum bonum. Id vero retulerunt ad hanc vitam. Putabant enim, tunc beatum eſſe hominem, quum viueret in corpore, quod clariſſime refellit n. 34. & n. 14. Quum vero ad hanc vitam referrent S. B. eo ipſo ad corpus referebant, vnde vtrumque coniungitur lib. 6. cap. 6. n. 6. *itaque finem bonorum ad corpus & ad hanc breuem vitam retulerunt*. Cetera. Ex his clarum eſt, Dn. *Walchium* quoque hic *Lactantium* non cepiſſe, quum interpretatur p. 317. *ad illud ſummum bonum hanc vitam retulerunt*.

Ibid. n. 34. *in ſolo ſpiritu. Videtur*, inquit Walchius pag. 317. *ipſe Lactantius ſtatuere tres partes hominis, corpus, animam & ſpiritum.* Immo non ſtatuit, ſi recte attendas verba. Et clare ipſe Lactantius lib. 3. cap. 12. ineunte: *duo ſunt, ex quibus homo conſtat, animus & corpus*. Confirmatur ex integro libro de Opificio Dei.

Lib. 3. cap. 16. n. 3. *vel aduocandi gratia.* Non adſecutus eſt Walchius verum huius loci ſenſum; non enim, vt ille vult, p. 332. & diatrib. p. 60. *vocem aduocandi poſuit pro cauſſam agendi*, quæ noſtri temporis barbaries longe aliena a Lactantii elegantiis,

 qui

qui vel *cauſſam agere*, vel vt lib. 2. cap. [illegible] n. 5. *defendere, patrocinium alicuius ſuſcipere*, vel vt lib. 2. cap. 4. n. 31. *cauſſam ſuſcipere*, illud efferi. Sed noſtro loco ſubaudiendum: *auditores, concionem, populum ſc. aduocandi gratia.* Agit enim de Philoſophis, non de cauſſarum patronis n. 5. — 6. *Aduocare* explicatur cap. 17. ſect. 3. de Epicuro in ſpecie: *vt ad ſe multitudinem CONTRAHAT*, & ſect. 7. *circulum colligit.* Alium elegantem vſum iudiciis vindicauit Gronou. ad Senec. 1. clem. cap. 9. p. 4[illegible]. Græu. ad Cic. ad Attic. 12. ep. 18. pag. 3[illegible]. In Emman. MS. eſt: *vel vacandi gratia*, paullo melius Lipſ. ſecundus & Cauci: *auocandi* vt reſpiciatur ad verba: *ſe a ceteris actibus remouerunt*, conf. ſect. 1.

Lib. 4. c. 12. n. 18. *montes deplanabo*, i. e. in planum deducam Gloſſ. Cyr. ἐξομαλίζω, *deplano, exæquo* f. 462. Hoc compoſitum deſideratur in Nouiſſima quoque Fabri Theſauri editione, neque habetur in Lexicis *complanatio*, quod Gronouius Senecæ 6. Quæſt. Nat. cap. 1. vindicauit: *vtrum ſub exiguo eius tumulo ac* COMPLANATIONE *exſpirem.*

Lib. 4. cap. 13. n. 8. *abſque illo.* Vocem *abſque* hic valere, *ſine illo*, putarunt Krebſ.

de

de Stilo Lactant. p. 24. & Dn. Walchius in diatribe p. 60. Sed *abſque* hic notat *præter*. in Græco ἐ λογισθήσεται ἕτερος πρὸς αὐτόν. Sic vulgatæ verſ. membranæ meæ 1. Paralip. 17. v. 20. *non eſt alius DEVS abſque te*. Jeſ. 44. v. 6. *abſque me non eſt DEVS*, & cap. 45. v. 15. & Oſeæ cap. 13. v. 4. *Deum abſque me neſcies*. Et ſæpe ita Patres *abſque* pro *præter* ponunt.

Lib. 4. cap. 19. num. 3. *& tenebrabitur*. Præfert Cellar. & ſic quoque Gothan. & Venet. 1497. Farrh. Crat. ſed Tornæſ. cum aliis: OBTENEBRABITVR. Quam vocem in eodem dicto Cypr. 2. aduerſus Iudæos cap. 23. adhibuit, quem Lactantius hoc maxime libro ſæpe ſequitur, & idem illic & verborum & ſacrorum dictorum ordo. Tertullianus variat Apol. cap. 2. & aduerſus Marc. lib. 4. cap. 42. *contenebrabit*. aduerſ. Iudæos cap. 10. *tenebreſcet* cap. 13. *Sol -- tenebricabit*. conf. Voſſ. Vit. Serm. Lat.

Lib. 4. c. 15. & 27. In noua Fabri Theſauri editione (quod obiter noto) cap. 16. ex Voſſio vitioſe citatur, neque *LIPSIVS*, Criticorum princeps, ſed *Lipſienſis codex primus obtenebrabitur*, legit. Cauſſa erroris ex compendioſa ſcriptura in Cellarii nota hoc modo: *Lipſ. I.* orta videtur, quæ

ideo moneo, ne plures hic labantur, quia video quoque Clariſſ. *Walchium* pag. 478. fide Lexici *in Lipſio & Voſſii citatione* aberraſſe.

Lib. 5. c. 6. n. 1. *non participabant alios ii.* Ita correxit Cellarius, & datiuum *Participandi* verbo conuenire negat. Sed MSS. plures Guelpherb. Witeb. Lipſ. cum pluribus aliis MSS. & omnibus editis (præter Betuleium) dandi caſu: *aliis.* Et ita ſæpius antiquiſſima Irenæi verſio lib. 1. Hæreſ. c. 9. f. 52. *qui participauit ei ſuam gratiam* & cap. 1. f. 10. *Nus excogitabat reliquis æonibus participare magnitudinem patris*, vbi vide Grabium; & lib. 2. cap. 61. f. 191, *anima participans ſuo corpori*, & - - *vitam participans corpori.* conf. lib. 2. cap. 51. f. 179. l. 4. cap. 28. f. 316. *gloriam ſuam participare volens diſcipulis ſuis.* Neque dandi caſum damno, neque cum antiquis compono. Præfero hic Cellarii emendationem, & confirmo ex membranis Gothanis, quæ: *non participabant ALIOS HII.* more MSS. quibus *hii* eſt *ii*, vt idem lib. 1. cap. 16. 1. *hiis contentus.*

Lib. 5. c. 7. n. 9. *quanto frequentius - tanto firmius.* Ita Cell. & Walch. aliæque editiones; ſed membranæ Guelpherb. & MS.

Papyr.

Papyr. Guelpherb. Witteb. Goth. Bonon. Taxaq. Pen. Vltr. & teſte Iſæo & Gall. fere omnes MSS. & editiones Venet. *1478*, *1497*. & Pier. habent: *quanto FREQVENTER impellitur, tanto FIRMITER roboratur.* Ita quoque in Lactantio inuenit *Valla* l. *1.* Eleg. cap. *16*, licet Lactantium præter morem Oratorum ita ſcribere cenſeat. *Alexander ab Alexandro* lib. 6. dier. Gen. cap. 9. defendit: *quanto frequenter.* Taciti vero locus non lib. 5. Hiſt. vt ille vult, ſed lib. 4. Annal. cap. 67. reperitur. Idem Tacitus 3. Annal. cap. 46. *QVANTO pecunia DITES & voluptatibus opulentos - - euincite*, lib. *12.* cap. *11.* *clementiamque ac iuſtitiam, QVANTO IGNARA barbaris, tanto toleratiora capeſſeret.* Tertullian. *1.* ad Nationes cap. 7. *quanto proni ad malitiam, tanto ad mali fidem opportuni eſtis;* de Anima cap. 5. *Hæc teſtimonia animæ quanto vera, tanto ſimplicia, quanto ſimplicia, tanto vulgaria; quanto vulgaria, tanto communia, quanto communia, tanto naturalia; quanto naturalia, tanto diuina*, lib. 2. ad Vxor. cap. *1.* *quanto grandis eſt continentia - - tanto ignoſcibilis - - quanto perpetrabile - - tanto culpabilius.* conf. Lactantium lib. 5. cap. *17.* num. *21.* &

Muncker. ad Fulgentium Mytholog. lib. 1 cap. 27. pag. 62.

Lib. 5. cap. 19. n. 22. *non occidendo, ſed monendo.* Hoc congruentius Cellario viſum, & ipſe Lactantius dixerat n. 9. *horta mentis agant,* & n. 10. *cohortentur.* Vti Cicero lib. 1. Orat. cap. 58. *Putabam virtutem hominibus inſtituendo & perſuadendo, non minis ac vi ac metu tradi.* Nihilominus MORIENDO, quod MSS. Goth. Witteberg. Guelpherb. Lipſ. tres aliique, & Venet. 1478. habent, hic reſtituendum. Nihil clarius ex num. 23 & 24 vbi eadem membra repetit, & eodem ordine. *Sanguis* reſpicit ad vocem *occidendo*, *tormenta* ad *ſæuitiam*, *malum* ad *ſcelus*, & n. 24. aperte: vt *religionem patientia vel MORTE defendas, in qua FIDES.* Neque aliter n. 25. quadraret illuſtratio a militia terreſtri petita add. lib. 5. 22. 20. Similiter Auguſt. de Ciuit. Dei lib. 2. cap. 29. de conuerſis Romanis ſcribit, aduerſus poteſtates inimiciſſimas conflixiſſe, easque fortiter *MORIENDO viciſſe.* Nihil me mouet C. Rittersh. qui in Comm. ad Plin. epiſt. 98. ed. Hackian. p. 787. exhibet: *ſed mouendo.* videtur vitium typorum. Walchius in textu *monendo*, ſed in notis *moriendo* mauult,

idem

idem vero a ſe diſſentit, quum in ſua nota 22 voci *occidere*, tamquam malo ſubiicit MONERE, immo *MORI* debuiſſet ſubnotare, nam id tamquam bonum voci occidere vice reſpondet, ratione hic inſtitutæ oppoſitionis.

Lib. 5. cap. 22. 10. *& hic in ſeruitutem abeat*. Ita plures recentiores; cum Aldo & Cellario, etiam Walchius. A MS. Witteberg. hæc plane abſunt, ſed MSS. quinque Sparckii, Cant. Emm. Cauc. Goth. Venet. *1478. 1497.* & Betul. *& hic in ſe VIRTVTEM habeat*. Niſi me fallunt omnia, hæc genuina eſt Lactantii ſcriptura, ſine qua ταυτότης videretur, vix dixiſſe noſtrum: *neceſſe eſt, iuſtum hominem ſubiectum eſſe iniuſto*, & iterum: *iuſtum in ſeruitutem abire, quia iuſtus eſt*. Contra ſi legas: *in SE VIRTVTEM habeat*, iuſta eſt oppoſitio inter *peccatum* & *virtutem*. Sic enim dixit, *vt & ille peccet*. Patet ex hoc ipſo capite ſect. 4. *Ergo iuſtus ac ſapiens, quia virtutem capit, HABET IN SE PATIENTIAM.* hanc enim noſtro loco n. 10. per *virtutem* intellexit, adde ſequentia num. 4. & 5. & NB. n. 3. *neceſſe eſt, iuſtum ac ſapientem virum in poteſtate eſſe hominis iniuſti, VT CAPIAT PATIENTIAM.* add. lib. 6. c. 18. n. 30. &

clariſſime Epitome MS. Taurin. cap. 3. *neceſſe eſt, iuſtum malis eſſe ſubiectum, vt virtutem, qua eſt præditus, in vſu habeat.*

Lib. VI. cap. 7. 3. vt i. e. arcanum in APERTO eſſet. Perperam ita membr. Guelpherb. Cellarius & Walchius. Vera lectio eſt GOTHANI: *vt i. e. arcanum in OPERTO eſſet.* Ita quoque rectiſſime legendum cenſet Gall. cum Io. Cauci, Iſæo, & edit. Iunt. Suadent textus, ſcopus, & alia loca. Remiſit nos Lactantius ad librum præcedentem, id eſt, quintum, ex eius ergo capite 18. n. 11. hic locus explicandus: *idcirco virtutem ipſam Deus ſub perſona ſtultitiæ voluit eſſe CELATAM, vt myſterium veritatis ac religionis ſuæ eſſet ARCANVM,* nonne hoc idem eſt? addo alium æque illuſtrem locum ex lib. 4. cap. 2. n. 3. *ſtultitiæ velamento Deus, NE ARCANVM ſui diuini operis IN PROPATVLO eſſet, theſaurum - - abſcondit.* add. cap. 5. n. 2. lib. 5. cap. 14. n. 2. cap. 17. n. 2. lib. 7. cap. 26. n. 8. idem vitium *C. Rittershuſ.* ad Guntheri Ligurinum lib. 1. v. 458. & noſtro loco deterſit.

Lib. 6. cap. 10. n. 11. *ad hanc partem p. n. præcepta ſunt.* Explicat Walchius: *quod ad hanc partem attinet.* Non puto opus eſſe,

ita

ita explere per: *quod attinet.* eleganter dicitur: *eſſe præcepta ad aliquid, & præcipere ad aliquid.* Lactantius ex Lactant. explicandus lib. 6. c. 24. n. 23. *hæc ſunt, quæ ad continentiam præcipiuntur a Deo* l. 7. c. 1. n. 22. *quæ Deus ad iuſtitiam præcipit.* Imitatur vero hic ſuum Ciceronem lib. 3. Off. c. 7. *ad quas ipſas conſultationes ex ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt.*

Ibidem: *nulla præcepta.* Iterum contra Lactantii mentem Walchius interpretatur: *nulla*, i. e. *nullius pretii.* Sed non vult Lactantius, tantum præcepta eſſe *nullius pretii*, ſed *nulla omnino præcepta* eſſe ad miſericordiam data, ſiue nihil de miſericordia præcepiſſe. Expreſſe hoc libro cap. 14. n. 1. (philoſophi) *qui neque præceperunt eiusmodi quidquam &c.* Per Philoſophos vtroque loco *Stoici* intelliguntur, qui miſericordiam plane tollebant.

Lib. 6. cap. 12. n. 4. *Interdictam ſ. p. a. communionem.* Sic Ven. 1497. Pier. Parrh. Crat. Tornæſ. Paris. & ita in Lipſienſi inueniri vult Cellarius. Sed Gallæus adfirmat in Lipſienſi, Palat. Vltrai. MSS. reperiri: INTERDICTVM *ſibi putet aut communionem.* Sic quoque diſtincte membranæ Guelpherb. & Gothanæ & MSS. Lipſ. 2. & 3.

& Witteb. *interdictum - - communionem caritatem.* Quam lectionem quum al non caperent, mutarunt in *interdictam &* aut ablatiuos ſubſtituerunt. Vt vero antiquis *futura in RVM* fuere ſæpe immobilia, e. g. Cic. in Verr. lib. 5. cap. 65. *han ſibi rem præſidio ſibi ſperant futurum.* Ita idem præteritis paſſiuis aliquando accidit Vnde Ian. Guilielm. Quæſt. Plaut. cap. I Taubmann. notæ ad Gell. Noct. Att. lib. *1.* c. 7. p. 54. ed. Gronou. & Voſſ. de Analog. lib. 3. cap. *16.* p. 79. defendunt MSS. & veteres edit. Plauti Prol. in Amphitr. v. 33. *iuſtam rem & facilem eſſe ORATVM a vobis volo.* Gloſſæ Palatini tertii: *ORATVM volo, antiquus & latinus ſermo, quo nunc quoque vti poſſumus.* Pompeius ad Domitium in Cic. 8. ad Attic. poſt epiſt. *12. cohortes ad me MISSVM facias*, quod tuetur Græuius. Perizonius ad Sanctii Mineru. lib. I. cap. 15. p. 138. & 139. cenſet, *oratum & miſſum* in Plauto & Cicerone imperſonaliter dici quomodo veteres: *hanc pugnam pugnatum eſt*, i. e. *negotium, quod ad hanc pugnam attinet, pugnatum eſt. Volo a vobis oratum eſſe negotium iuſtæ & facilis rei.*

Lib. 6. cap. 12. num. 13. *in hos ſe laqueos induit.*

induit. Sic quinque MSS. Gall. Goth. Lipſ. I. & membr. Guelpherb. Ven. 1497. & Iſæus: *induit*. Ita Plaut. Caſin. Act. II. Sc. I. v. 25. *te in laqueum induas*. Sæpe Cicero vt lib. 5. in Verr. c. 29. *ipſe ſeſe induit*. vbi Hottom. videndus. Adde c. 64. Sed quis propterea cum Cellario malam iudicauerit alteram lectionem: *in hos ſe laqueos INDVXIT*, quam MSS. quinque Sparck. duo Lipſ. alter Guelpherb. Witteb. Venet. 1578. Pier. Parrh. Tornæſ. & alii habent; *Michael* quidem *Thomaſ. inducere*, inquit, *in laqueos nemo quod ſciam, vmquam dixit*. Immo vero dixit ipſe Lactantius ſemper ita, & hoc ipſo libro, & vnanimi omnium ſcriptorum & editorum, eorum etiam qui hic reiiciunt conſenſu, lib. 6. cap. 24. 6. *cauet*, ne in eosdem laqueos INDVCATVR. lib. 3. I. 8. ipſi ſe *in plagas - - induxerunt*, de Morte Perſ. cap. 16. n. 9. *quem nullus laqueus inducat*. Ambroſ. de Helia & Ieiunio cap. 8. *per eſcam laqueus non cauetur: in eſca hamus latet, & cibus deducit in foueam. cibus INDVCIT in retia*. Ita quotquot vidi & membranæ meæ verſ. vulg. Pſ. 65. hebr. 66. v. II. *induxiſti nos* in laqueum, LXX εἰσήγαγες, & ex oppoſito Pſ. 30. v. 5. *educes me* de laqueo, LXX ἐξάξεις. Quintil. l. 5. Inſtit. c. 7.

Tur-

Turbantur & - - inducuntur in laqueum. vbi Turneb. *metaphora eſt, ducta a feris, quas ſenſim venatores ſolent in caſſes & retia inducere* &c. niſi putes, vt in Quintiliano ex MS. Gebhardi vult Gronouius, ita vbiuis in Lactantio & aliis pro INDVCERE, eſſe *induere* legendum, quod nimis cenſorium videtur, licet *induere* elegantius. vide Gronou. ad Senec. Herc. Fur. Act. 5. v. 1312.

Lib. 6. cap. 17. n. 14. *Sic curſus ille vitæ.* Appoſite Lipſ. Secundus MS. *ſic CVRRVS ille vitæ* vt n. 13. iuncto (non vt Lipſ. tert. *vincto*) *currui* reſpondeat, & *currus equis ducitur*, non *curſus*. Vix igitur ſanum: *CVRSVS*, licet occuparit omnes adhuc editos & plurimos ſcriptos.

Lib. 6. cap. 24. n. 29. *in aram Dei* &c. Ex hoc & aliis locis Mornæus de Euchariſtia lib. 2. cap. 1. p. m. 372. ſeqq. docet, primis quatuor ſæculis Chriſtianos non habuiſſe altaria & aras, conf. Lactant. Epit. 6. n. 13. Ceterum Walchii emendatio peruertit planiſſimum locum, cuius hæc eſt conſtructio, vt eam Cl. Walchii cauſſa addam: *Itaque iuſtitia, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia imponitur in aram Dei, quæ* (*ara*) *vere maxima eſt, & quæ* (*ara*) *in*

corde

corde hominis collocata, non poteſt coinquinari ſanguine. conf. lib. 6. 2. 9. Cl. Walchius finxit hanc in Lactantio conſtructionem, inauditam: *coinquinari non poteſt in aram,* aut ſcribendum credidit: *ara Dei coinquinari non poteſt:* aut intercidit: *Itaque in aram Dei coinquinari non poteſt ſanguine iuſtitia: imponitur patientia* f. 1. c. a. vt *in aram* Dei ſit, *contra aram Dei* eiusque ſanctitatem & auctoritatem. Hæc omnia a textu recedunt.

Lib. 7. cap. 3. n. 8. *Flumina & ſtagna ſiccauerint.* Ita conſtanter omnes MSS. in his Guelpherbytani & excuſi: Sparckius *tacentibus,* inquit, MSS. *mea vtar coniectura, donec melior ſe obtulerit, & reſcribo: ſicca aruerint. Neutra enim ſignificatione accipi,* i. e. *inauditum.* Repetiit Walchius Sparckii notam, & nihil contra eam obſeruauit. Sed cui ignotum eſt, actiua verba paſſiue ſæpe vſurpari, vide Vechneri Hellenol. l. 1. cap. 6. p. 34. Voſſ. lib. 3. Annal. c. 3. Atque ita ſæpius in hoc ipſo verbo Apicius de Arte Coquin. lib. 3. cap. 18. *fundis cuminum & poſtea infundis in aceto: quum SICCAVERIT, poſtea melle omnia comprehendis.* l. 4. cap. 2. *impones ad vaporem, vt cum ouis bullire poſſint, & quum SICCAVERINT,* ſuper

ſuper adſperges piper tritum, lib. 9. cap. *in craticula aſſantur*, (locuſtæ,) *quum SI CAVERINT, adiicies iis in craticul quoties ſiccauerint, quouſque aſſantur be & inferes.* Sic idem lib. 5. cap. 1. *qu ſpiſſauerit.* Lexica hic tacent.

Lib. 7. cap. 8. n. 5. *Artium plerumque in numerabilium ſcientia.* Ineptiſſimam hanc lectionem omnes editiones, licet amplius triginta euoluerim, & multi MSS. exhi bent. Veram reſtituo ex membranis Go thanis: *Artium RERVMque innumera bilium ſcientia.* Confirmo ex Epitome c. 7 n. 8. quæ ex lib. 7. ſunt breuiata: *multo rumque RERVM & artium ſcientiam complectatur.* *Rerum atque artium ſcien tiam* a Cicerone quoque aliquoties dici, vel ex Nizolio conſtat, adde Lactant. lib. 1. 6. 3. & Epit. Pfaff. cap. 4. Quis dixerit *artes ple rumque innumerabiles?*

Lib. de Ira cap. 7. num. 4. *Non eſſe cum mutis pecudibus æquales.* Ita MS. Witteb. & Venet. 1474. clare: Emman. MS. habet: *æqualem*, quod vel recipiendum, aut mo cum quibusdam editis addendum, vti in Cantabr. MS. eſt, & in MS. tert. Lipſ. ad oram Thomaſii, ad *ſtatum & figuram* re ferri minime poteſt, licet Clar. Cellarius

ſecus

ſecus putet, vox *declarat* requirit, vt ad hominem vel homines referatur. Deinde omnes Guelpherbytani, Witteb. & reliqui ſcripti & excuſi ſine vllo diſſenſu habent: *CVM MVTIS PECVDIBVS*, quod Cellarius & Dn. Walchius tamquam iuncturam ſingularem volunt notatum. Dauieſius nota ad Minuc. Felic. c. 17. p. 100. 101. corrigit: *EVM mutis pecudibus æqualem, & illo*, inquit, *modo* noua iſta atque ſingularis iunctura commode vitatur. Sed non meminerunt docti Viri, alios etiam quamquam rarius dixiſſe: *æqualis cum aliquo*. Ita inuenio in Salluſtii Orat. II. ad Cæſar. de Republ. ordinanda non procul a fine ed. Amſt. an. 1690. p. 568. *tametſi domi militiæque præclara facinora egiſti; tamen gloria tua CVM MVLTIS viris fortibus AEQVALIS eſt*. Plinii Hiſt. Nat. lib. 16. cap. 44. ſect. 86. *Lotos æquæua vrbi intelligitur, vt auctor eſt Maſſurius, radices eius in forum vsque Cæſaris per ſtationes municipiorum penetrant. Fuit CVM EA cupreſſus AEQVALIS, circa ſuprema Neronis Principis prolapſa atque neglecta*. Harduinus in ſuo ad Plinium indice bis hanc conſtructionem corrupit, quum ſcripſit: *æqualis vrbi cupreſſus*, & *cupreſſus æqualis*

urbi. *Cum ea* legunt, quotquot vidi, Plinii codices. In cognata voce Plautus Capt. Act. 2. Sc. 2. v. 52. *vis hoſtilis CVM ISTOC fecit meas opes AEQVABILES*. Sed in Lexicis hæc omnia fruſtra quæruntur.

De IRA cap. 7. n. 5. *confert cum Deo vultum*. Ita omnes libri, & recte habent. *Scripturæ*, inquit Cl. Walchius, *morbus apparet*, qui repelli poteſt, ſi legas: *confert AD DEVM*, id eſt, *ad cælum*, *vultum*. Immo hæc emendatio potius repellenda. Probo ex loco gemino Lactantii lib. 2. c. 2. n. 23. *corpus iccirco rectum accepiſtis, quo OCVLOS atque mentes CVM EO, qui fecit, conferre poſſetis*; ex quo & gloſſa *ad Deum*, id eſt, *ad cælum* euertitur. Senſum cognoſces ex multis aliis locis lib. 2. ad num. 14 -- 19. a me collectis.

De IRA cap. 17. 14. *illæſibilis*. Sic plures libri, etiam duo Guelpherb. *illeſibilis*, & ſequitur *læſio*. At Lipſ. ſecundus, tert. & Witteberg. MSS. euitarunt vocem nouam, & legunt: *quia ILLE STABILIS eſt*. Optime ſane & hæc ratio opponitur alteri: *in homine autem, quia FRAGILIS eſt*. Eadem oppoſitio in cap. 15. n. 9. & 10. *in homine - - quia FRAGILIS & mortalis eſt - - in Deo locum non habet, quia &*

FRA-

FRAGILITAS & INTERITVS ab eo alienus eſt - - ſemper futurus eſt, id eſt, vt noſtro loco: *ſtabilis eſt*. Hoc igitur ob elegantiam præfero.

De OPIF. 1. n. 15. *oculis conluſtrari.* Ita nobis dedit Cellarius, ſecutus Virum Clar. *Io.* Clericum in Arte Crit. part. 3. ſect. 1. c. 9. p. 108. inuitis omnibus libris Lactantii, ex quibus ipſe *plus quadraginta* euolui huius loci cauſſa, qui omnes habent: *oculis contrectari*, aut *contractari*, quod idem. Sed olim iam *Forum Romanum*, & cum hoc Fabri Theſaurus, ex Taciti 3. Annal. cap. 12. *corpus - - contrectandum oculis*, & ex Ouid. 6. Metam. *præcontrectat videndo* notarunt, vti ante ſex annos ſelectæ claſſi in Pædagogio Reg. Hal. oſtendi, & confirmaui ex Lactantio lib. 2. c. 6. n. 6. *vt aurum oculis hauriant - - -* pocula inſatiabili CONTEMPLATIONE CONTRECTENT. Anno interiecto Celeb. Conſil. *Gundlingius*, quum meas obſeruatiunculas perluſtraſſet, hæc & plura Heumannum V. C. in recentiſſime ſibi allatis Parergis Crit. pag. 147. obſeruaſſe, me edocuit; quæ me valde confirmarunt. Sed Clericus perſtat in ſententia, & proxime ante Art. Crit. partem III. in addendis etiam Tacitum corrigendum

cenſet CONLVSTRANDVM, & Ouid
præcontrectat habere molliorem me-
phoram putat. Sed nihil agit vir docti
ſimus. Illuſtrabo aliis exemplis. Lactan-
tius iterum lib. 5. cap. 21. n. 10. (corpus
OCVLIS manuque TRACTABILE eſt
plura ad h. l. noto, & ad lib. 7. 12. 2. *com-*
prehenſibile corpus, eſt & oculis & manu
Catull. Epigr. 65. extr. de Nuptijs Pelei &
Thetidos:

> *Nec ſe* CONTINGI *patiuntur lumine*
> *claro.*

Recte Muretus: *nec patiuntur ſe in aperta*
luce videri. Sic Barthius ad Statii Silu. lib. 5.
carm. 3. v. 275. verba:

> - - - *fas mihi ſit patrios contingere*
> *vultus*

exponit per *videre*, adducto Catullo p. 494.
Verba Aurelii Vict. Epit. cap. 5. *vultu con-*
trectabat ab Heumanno in epiſt. ad Walch.
Lact. adducta p. 982. vix huc puto perti-
nere, videtur enim iis notari grauius Ne-
ronis flagitium, ſi Dionem & Suetonium
conferas. Loco vero ab eodem in Parergis
ex Cicer. officiis adducto hæc ſunt ſimilia
in Valer. Max. lib. 4. cap. 3. extr. 1. *Præ-*
tori non ſolum manus a pecuniæ lucro, ſed
etiam

etiam oculos ab libidinoſo aſpectu continentes eſſe debere, & Ambroſ. lib. 1. Off. cap. extr. f. 32. *nec ſolum animum, ſed etiam oculos continentes habere*. Denique addo locum clariſſimum Sulpicii Seueri de Vita Martini cap. 23. *curioſius tamen* OCVLIS *aut digitis* ATTRECTATA *non aliud quam veſtis videbatur*. In antiquiſſimis quidem membranis meis legitur: OCVLIS *aut digitis* ATTRECTA, ſed non ignorant doctiores, MSS. libros haud raro ſyllabam repetendam omittere. Sic vet. cod. Iureti in Paullin. Petroc. Vit. Mart. lib. 2. *teſta*, i. e. *teſtata*, v. 49. & v. 177. *adteſta*, pro *atteſtata*. Ita elegantiſſimus vir Schulting. ad Senecæ lib. 1. Controuerſ. p. 89. legendum eſſe cenſet iunctim: *Puta enim virginem eſſe te, ſed* CONTRECTATAM OCVLIS *& oſculis omnium, & oculis contrectare eſſe aliquid a vulgo ſummotum*. Ex Græcis vnum Macariũ produxiſſe ſufficiat Homil. XIV. ſect. 6. extr. καὶ οὔτε ἡ σκοτεινὴ γῆ τοῖς ὀφθαλμοῖς τούτου σώματος ὁραθῆναι, ἢ ψηλαφηθῆναι δύναται, οὔτε ἡ γῆ τῆς θεότητος ἡ φωτεινὴ ψηλαφᾶται ἢ ὁρᾶται τοῖς σαρκικοῖς ὀφθαλμοῖς, totus contextus de oculis tantum, ſeu de viſu agit in Macario.

OPIF. D. cap. 8. n. 7. *foramina ipſa con-*

veherent. Sic Witteb. Sed Vltr. *combure[nt]* membr. Guelpherb. *comhererent.* alius M[S.] Guelpherb. *conueherent* correctum. Pen[z.] *coercerent*, Cauci: *conibérent*, Gothan[us] *cobiberent*, MSS. duo Bonon. Taxaqu. [&] Ian. Guilielm. CONBIBERENT. Optim[a] vox: *combiberent*, quadrat & conuenit cu[m] ſequentibus: *compleri, hauriendis auribu[s,] hauſi.* Immo eleganter *auris* dicitur *biber[e]* quod vt minus notum editores extruſer[unt.] Propert. lib. 3. Eleg. 5. v. 8.

Incipe: Suſpenſis AVRIBVS iſt[a]
BIBAM.

Horat. lib. 2. Carm. 13. v. 32. *Denſum hu[-] meris BIBIT AVRE vulgus.* Perſ. Sat[.] 5. v. 50. *Ne quicquam populo BIBVLA[S] donaueris AVRES.* & Plaut. Mil. Glo[r.] Act. 3. Sc. 3. v. 10. *Poſtquam adhibere aur[es] meæ tuam moram orationis.* ex MS. Vat[.] & Camer. vide Taubm. h. l. Debuiſſet ig[i]tur hic Thomaſius audiri. Gothanus pro *b* habet, vnde *conbiberent* faciendu[m.] Sic idem Goth. lib. 2. Inſtit. cap. 2. num. [.] *perhiberunt*, pro *perbiberunt.*

OPIF. D. cap. 13. num. 4. *Onus corpor[is] ſuſtineret.* *Per onus corporis*, inquit D[.] Walchius, *intelligitur infans.* Lepida ſan[e] hui[c]

huius loci interpretatio. Num & viri onus corporis ſeu infantes ſuſtinent? ſcio, non credet Walchius. Crede mihi, onus corporis nihil aliud, quam ſect. 3. corporis molem & pondus notare hoc loco.

Epitome a Cl. Pfaff. edita:

Cap. 3. *Qui poteſt totum, non qui de toto minimum.* Sic Pfaff. & Walch. Reſtituendum eſſe ex MS. Taurinenſi: *qui poteſt totum QUAM* q. d. t. m. demonſtraui ad Lactantii Inſtit. lib. 1. cap. 3. n. 7.

Cap. 23. *Ante Saturnum homines - - deiiciebantur.* Ita correxit Pfaffius, & ſine examine recepit Dn. Walchius. Scriptura vero MS. Taurinenſ. ante SATVRNO non poteſt mutari ſine mentis Lactantianæ euerſione. Ad ipſum enim Saturnum hæc pertinent, & ANTE aduerbialiter ſignificat, h. m. *Saturno* etiam antea homines ſexagenarii in Tiberim pro ſacrificio deiiciebantur. Ita ipſe Lactantius lib. 1. c. 21. ſect. 6. & 7. *Saturnus in Latio eodem genere ſacrificii cultus eſt - - vti (homo) in Tiberim de Ponte Miluio mitteretur, quod ex reſponſo quodam factitatum Varro auctor eſt &c.* καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα, *Quod quia videtur ambi-*

guum, & fax ILLI & homo IAC ſolet.

Cap. 29. *Felicitas & importunitas.* Libentiſſime docti vltimam vocem tamquam veram a Lactantio accipient, quum in Gellio, in omnibus adhuc editis, regnet vox inſolens: *INFORTUNITAS*, ab alio, vt videtur, qui vim vocis *importunitas* non nouerat, ſubornata. Gloſſ. Philox. f. 118. *Importunitas* σκαιότης· σκαιὸς, vt conſtat, eſt ſiniſter, infauſtus.

Cap. 52. *Ut inter mucrones locum haberet.* Ita correxit Pfaffius, nec examinavit Dn. Walchius; Quomodo vero illi, qui ſecundum veſtram, V.V. C.C. ſententiam voluerunt facere, vt pietas locum haberet inter ipſos mucrones, meruerunt omnia (ſcil. mala) pati? immo vero non meruerunt omnia pati, ſed potius omni bono erant adficiendi. Puto hunc locum ſubobſcurum duce Lactantio facilius ſanari poſſe ac debere, ſi legamus: *ET* (ſic habet MS.) *inter mucrones locum pietas HABET*, (*haberet* non quadrat,) hoc modo: quorum (hoſtium) *quum bello victi fuerint, aut mors aut ſeruitus poena eſt, nec vllus poſt arma depoſita cruciatus, quamuis omnia* (ſcil. mala vel vltima ſupplicia)

plicia) *pati meruerint, qui facere voluerunt,* (ſcilicet ea mala omnia, licet non fecerint, quia vt victi non potuerunt) ET inter mucrones (non modo poſt arma depoſita) *locum pietas HABET.* Ne temere correxiſſe videar, confirmabo ex libro 5. cap. 9. n. 3. *Ipſos iuſtitiæ ſectatores pro hoſtibus ducant, immo vero plus quam pro hoſtibus? quibus vtique, quum animas eorum & opes & liberos ferro & igni appetant,* i. e. noſtro loco: *qui facere voluerunt*) tamen parcitur *victis*, ET EST LOCVS INTER ARMA CLEMENTIAE, *aut ſi adeo ſæuire placuit, nihil plus in eos fit, quam vt occidantur, vel in ſeruitutem abducantur.*

Epit. cap. 63. *Cauenda ſunt totaliter.* Sic Pfaff. & Cl. Walchius exhibent. *Dictionem,* inquit Iſæus, *totaliter* expulimus, quæ nec Lactantiana eſt nec Latina, nec in Bonon. aut aliis MSS. recepta. Bene noto ad Lactant. lib. 2. cap. 12. n. 20. ex MSS. Non agnoſcit eamdem Sparck. ſed Venet. 1497. & Pier. *taliter*. Parrh. *aliter*. at MS. Taurin. & cauenda SVNT TVM. Ex quo fingo: *cauenda ſunt* IN TOTVM prioribus litteris ex ductibus verbi *ſunt* repetitis. Frequentem eſſe Lactant. elegantem formulam

IN TOTVM oſtendi ad cap. 61. & requirit ſenſus, nam in extremo capite: *fugienda OMNIA ſpectacula*, & lib. 60. 20. n. 9. *tollenda ſ. n. ſp.* conf. Voſſ. de voce *totaliter* lib. 1. Vit. Serm. Lat. c. 25. & lib. 4. cap. 35.

Ex libro de MORTIBVS PERSECVTORVM.

Cap. 1. n. 2. *Addetur his omnibus aduerſarius*. Varie hunc locum tentarunt docti, quorum emendationes in Bauldri editione videas. In MSto ita ſcriptum eſt, vti tibi hic exhibere ſtuduimus: **Ecce addatq. hiſ omīb; aduerſariuſ** Vnde Clariſſimus *Heumannus* fingit: *Ecce deletis omnibus aduerſariis*. vide Act. Erudit. Lipſ. 1711. p. 470, quæ pluribus perſequitur in Parergis Crit. p. 29. & 30. Cenſet, Baluzium & Nurrium male accepiſſe *adiectum ſignum diuiſæ ſyllabæ* pro compendio finalis ſyllabæ; *tur*, atque ita ex vna reliquas quoque corruptiones ortas; confirmat ſuam emendationem ex fine capitis, vbi rurſus meminit auctor, *deletos a Deo eſſe nominis ſui hoſtes*. Ingenioſam hanc emendationem ob perſpicuitatem libens ceteris præferrem: ſed vt dicam, quod res eſt, vir

doctis-

doctiſſimus Baluz. & Nurrium. hic fruſtra accuſare videtur. Recte enim formã ꝗ expoſuerunt per: *tur*. Quod enim Heumannus putat, eſſe *ſignum diuiſæ ſyllabæ in fine verſus*, in eo labitur, nullibi enim ſigna diuiſarum ſyllabarum in hoc Colbertino codice (vti nec in plurimis aliis, maxime antiquis, MSS.) deprehenduntur in fine verſuum. Hoc vel ex ſolo ſpecimine MSti Colbertini æri inciſo cognoſci poteſt, vbi legitur in fine ſecundi verſus: *ad Dona* *tum* incipit tertius verſus. & in fine verſus octaui: *fuerat ener* *ſum* incipit nonus verſus. ſic: *nefa* *ria. qua* *ſi* et cetera. *hs*. a ſyllaba *tis*, quod in MS. fere eo modo, vt in noſtris impreſſis latinis libris, ſcribitur, haud parum differt, non enim littera *t* ita ſupereminet vt *h*. Sed hæc leuicula: Quid ſi legas: *Ecce deletur his omnibus* (ſcilicet orationibus, de quibus in præcedentibus) *aduerſarius* (in MS eſt: *aduerſarus*) i. e. diabolus. hunc enim Lactantius *aduerſarium* abſolute ſolet vocare in hoc libro cap. 16. n. 5. & Lactant. lib. 6. cap. 4. n. 17. cap. 23. n. 4. lib. 7. cap. 27. n. 16. de Opif. cap. 1. n. 7. & Epitome exeunte. Cl. *Miegius* in litteris ad illuſtrem virum *Gerh. de*

Ma-

Maſtricht ſic de h. l. ſcripſit: Lego: *additur nobis omnibus aduerſarius*, id eſt, magiſtratus Romanus, qui nobis antea alienus fuit, iam noſtrarum ſit partium, quod quidem in ſequentibus innuere videtur, quando dicit: *Excitauit enim Deus principes q. t. n. e. c. 1. reſciderunt.* *Addi* autem hoc ſenſu ſumi, patet ex notiſſimo illo: *Teucris addita Iuno*: Hæc Miegius. De loco Virgilii 6. Aen. v. 90. non ſum ſponſor: vox *addita* enim hic *inimicum & infeſtum aliquid notat* ſecundum Seruium, Pierium, Cerdam, Ruæum h. l. & N. Abram. ad Cic. pro P. Sextio cap. 51. melius quadraret. l. 8. Aen. v. 301. *Salue vera Iouis proles, decus addite divis.* Ita Græcum προστίθεμαι ex Act. 2. v. 41, cap. 5. v. 14. notum. Ipſe illuſtris *a Maſtricht* ita reſpondit *Miegio*: Ingenioſa & forte vera eſt tua explicatio, ſed non video neceſſitatem, quare futurum mutes in præſens, & pro *his* velis legi: *nobis*. Poteſt ſalua tua explicatione retineri lectio: *Addetur his nempe orationibus* a Deo etiam aduerſarius noſter, ſiue is Senatus Rom. ſiue alius quiſcunque, id eſt, eam gratiam faciet numen commotum orationibus, vt concilietur nobis aduerſarius. Senatus enim quum iſta ſcriberet, adhuc

adhuc erat aduerſarius: pauci in eo Chriſtiani.

Cap. I. n. 3. *Diſcuſſo tranſacti temporis nubilo.* Hæc longe abeunt ab MSti veſtigiis, in quo: *diſcuſſo triſtanſaru temporis nubilo.* Ex his fingo: *quaſi diſcuſſo triſti nefarii temporis nubilo.* Litteræ *ti* & *a* non multum diſcrepant in MS. ſic ſ & f ſibi fere reſpondent linea transuerſa in *f.* & alibi prætermiſſa, vt in ſpecimine Colb. *in pſuderunt*, i. e. profuderunt. *triſti* bene conuenit cum nubilo & oppoſitis vocibus; *iocunda* & *lætificet*, *nefarium tempus* paci opponitur. Paullo ante quoque in MS vitioſe: *reſtituto*. Et ita ſæpius ex breuisſimo ſpecimine ſumma ſcribæ ignorantia adparet, qua factum, vt multis locis vix ſanabilis hic liber videatur.

Cap. I. n. 4. *Poſt tantæ tempeſtatis v. turbines.* Sic omnes ediderunt. in MS: *poſt at e tempeſtatis v. turbines.* Lego *poſt atræ tempeſtatis v. turbines.* Imitatur pro more Virgilium 5. Aen. v. 693.

effuſis imbribus atra
Tempeſtas ſine more furit.

Cap. I. n. 4. *Optata lux* in MS. *obiecta lux refulſit.* num *obtecta lux?* ſane *optata* legi non debet ex his ductibus.

Cap. 2.

Cap. 2. n. 4. *Fundamenta miſerunt.* *Quis* inquit Nurrius pag. 135. *bonæ latinitatis auctor vmquam dixit mittere fundamenta:* is certe non eſt Lactantius, qui melius ſcripſit: *fundamenta eccleſiæ vbique iecerunt,* (citat in margine Lactant. lib. 4 Inſt. cap. 21. p. 422. quæ eſt Gallæi editio) Cl. Heumannus in Actis Erudit. Lipſ. c. I. p. 472. putat, librarium pro IECERVNT vitioſe ſcripſiſſe *miſerunt.* Sed Nurrius in loco citando lapſus eſt, in Lactantii enim libris omnibus, etiam Gallæi editione, quam citauit, legitur non *iecerunt*, ſed *poſuerunt*, de cuius dictionis latinitate quoque olim perperam dubitarunt: Phraſin vero: FVNDAMENTVM MITTERE iam Columbus recte confirmauit ex Sidon. Apollin. lib. 2. ep. 11. *Neque iam ſemel MISSA fundamenta certantis amicitiæ diuerſis bonorum generibus exſtruere ceſſarem.* Sed dabo Nurrio meliorem bonæ latinitatis auctorem Senecam, qui dixit ep. 52. *Alterius ædificii FVNDAMENTA laſſarunt in mollem ac fluidam DEMISSA humum.* Eodem pertinent Hieron. in Vita Hilarionis f. 247. *Non prius abire paſſi ſunt, quam futuræ eccleſiæ lineam mitteret.* Ambroſius lib. 1. Off. cap. 29. *Ecce, MITTO* (i. e.

(i.e. pono, iacio,) *lapidem in fundamentum Zion*, id eſt, *Chriſtum in fundamentum eccleſiæ*, ipſe mox exponit: *Paulus fundamentum poſuit Chriſtum*, etiam Interpres Irenæi lib. 3. cap. 28. fol. 258. & Cyprianus Eraſmi lib. 2. aduerſus Iudæos c. 16. f. 192. pro quo Pamel: *immitto*, membranæ meæ verſ. antiquæ vulg. in hoc Ieſaiæ loco: *mittam in fundamentis Syon lapidem angularem*, vbi in Rom. 9. v. 33. & 1. Petr. 2. v. 6. *pono in Sion lapidem*, adde Hieron. lib. 9. in Ieſaiam cap. 28. T. 5. f. 118. 119. *in fundamenta lapidem miſſurum ſe eſſe dicit.* Et membranæ meæ iterum Iobi 38. pr. *Ponebam fundamenta terræ, quis DIMISIT LAPIDEM angularem.* In Hebr. ירה iecit LXX ὁ βαλών. Facile ſuſpectæ fiunt eiusmodi rariores locutiones, vt Senec. conſol. ad Marc. cap. 2. *Bene LEGERAT nulli ceſſura ponderi fundamenta*, ſecundum optimos & plures MSS. quod non concoxit Palat. III. ſupponens notius: *IECERAT.* Potuiſſet, ſi opus, corrigi propius Ciceronis exemplo: *EGERAT.* ſic *fundamenta figere* Nat. Quæſt. lib. 3. cap. 27. Talia in Lexicis erant non prætermittenda.

Cap. 5. n. 3. *Impoſito pede ſuper dorſum,* in-

in MS. *ſupra.* Nurrius p. 136. *quis vmqua*
inquit, *phraſin HVIC SIMILEM*
veris Lactantii libris animaduertit? E
proferat, ſi libet; ac cedimus &c. Ego ve
dico *Lactantium* non abhorrere ab ſtilo a
tiquæ verſionis, & phraſin HVIC SIM
LEM in veris Lactantii libris bis anima
verti: l. 4. Inſt. c. 14. n. 8. *imponite cidari*
mundam ſuper caput ipſius, & poſuerunt c
darim ſuper caput eius. Eodem mo
Cypr. 2. ad Quirin. cap. 13. & verſ. anti
Ioſ. XI. 24. *Ponite pedes veſtros ſuper co*
eorum, & Irenæi Interpr. lib. 3. c. 12. f. 2
& membranæ meæ Act. 15. *imponere iug*
ſuper ceruicem. Petron. Satyr. p. m. 95.
nes ſuper pectus iacentis impoſuit, & p.
vultum ſuper ceruicem ponente. Hygin. fa
150. p. 221. *cœli fornicem ſuper humeros*
poſuit f. 152. *montem ſuper eum impoſuit.*
quis vrgeat, in MS. eſſe, *ſupra dorſum,*
quoque opponimus Apic. Art. Coqui
lib. 4. cap. 4. *Ptiſanam impones ſu*
ignem.

Cap. 13. n. 3. *Legitime coctus.* Baluzi
exponit, *ſecundum leges, quas Auguſti tul*
rant. At, ait Nurrius p. 178. *quia hic marty*
initio perſecutionis Diocletiani necatus fuiſſe
traditur, probandum vtique erat, datam

tunc

tunc eſſe legem, *quia Chriſtiani lento igne cremarentur. Noſter ſiquidem Cecilius hanc a Galerio poſtea latam memorat* cap. 21. *Quis autem antea potuit præfato ſenſu recte ſcribere, martyrem data a ſolo tantum quodam judice ſententia coctum legitime?* Non videtur hoc dubium de nihilo; ſed non opus eſt his tantis difficultatibus. Columbus *legitime coctus* interpretandum putem: *coctus legitimo ſiue conſueto ſacra paganica, aut etiam culinaria tractantibus more.* Adprobat *Cuperus*, Vir Illuſtris. Quoniam vero plures interpretes non recte ceperunt, ſed in eo loco mire ſe torquent, *Galeo* etiam & *Cellario lentiſſime coctus* placuit, & *Nurrius* p. 179. *Donec alter emendatior MS inueniatur, de claritate dubitat*, faciam, vt omnes imposterum Hunc locum & ſaluum & latinum dicant. Imitatus eſt noſter Plinium, qui omnium librorum conſenſu de fæce vini ſcripſit, lib. 23. cap. 2. *Experimentum eſt* LEGITIME COCTÆ, *vt refrigerata linguam tactu videatur vrere.* Alibi lib. 21. cap. 31. *legitima inſania* ei eſt idem, quid Lactantio: *perfecta inſania. Coctus* quid ſit, patet ex Prudent. Periſteph. vbi S. Laurentius v. 406. dicit: *coctum eſt* (latus

meum) *deuòrò*. Et in Romano v. 488. *Stemma pellis ignis obductus coquit*.

Plura addere ſpatium hoc non permittit. Relinquitur, VT OMNES DOCTOS ETIAM ATQVE ETIAM ROGEM, vt, ſi qua habent ſua ex MSS. Lactantii libris, aut aliis, aut ingenio depromta, quæ Lactantium illuſtrare poſſunt, aut aliqua ex his ſcriptis, quæ tamdiu quærimus, EA PVBLICI BONI CAVSSA MECVM COMMVNICENT. Prædicabo publice hanc beneuolentiam, & curabo, vt mea noua editio, quod ad notas attinet, iamdudum abſolutas, apud accuratum Bibliopolam quam emendatiſſime primo quoque tempore imprimatur.

* * *

Ad hanc Cl. Dn. I. L. Bünemanni, ob induſtriam, elegans ingenium, atque ſingularem publico inſerviendi promptitudinem laudatiſſimi, obſervationem reſpondit infra hoc ipſo Tomo III. Vir Celeb. Dn. Walchius, ubi ſimul Cl. Dn. C. A. Heumanno, de diſcrepantibus quibusdam Scripturis Lactantii diſſerenti, XLV Eröffnung des Neuen Bücher-Saals n. 6. inſertis, ſatisfacere allaboravit.

OB-

OBSERVATIO LX.
CHRISTOPHORI GOTTLIEBII WENZELII,
Advocati Dreſdenſis,

De

Periculo ex Partu ſuppoſititio Familiis Ordinumq; Dignitatibus metuendo.

NAturalis eſt, quam Leges Civiles in hæreditatis ſucceſſione primo loco habendum eſſe dictitarunt, DESCENDENTIUM SUCCEDENDI ORDO. Jus enim Civile, uti in multis ipſius Naturæ veſtigia premit, ejusdemque Ordinem, qui omnia regit, ſequitur; ita & hac in parte ab eodem recedere noluit. Quo ardentius autem eſt, pro filiorum hæreditate, naturæ ſimul & parentum commune votum; eo periculoſius idem eſt,

eoque diligentius proſpiciendum iis, quibus proxime à Deſcendentium Ordine ſpes obtigit ſuccedendi, ne ſcilicet in ipſorum præjudicium, nimio liberorum ſuſcipiendorum voto ducti, parentes partum quendam falſo ſupponant, quo non ſolum Ordinum Dignitates familiarumque everti, verum etiam, detecta fraude, lites atque bella exoriri quotidie obſervamus.

Accidit interdum illud, maxime inter Nobiles, alioſque, qui prædia nobilia poſſident; quando mulier marito ſive mortuo, ſive adhuc vivente, ipſoque fortasſis ſuadente, prægnantem ſe eſſe dicit, & ſub hoc prætextu, niſi caute circumſpiciatur, ob proprium emolumentum, aliasque rationes politicas, partum ſpurium quomodocunque ſubſtituens, legitimum ſucceſſorem a Dignitate ſuccedendi artifici ſatis, ſed iniqua manu, ſæpius excludit. Quæ quidem machinatio in familiis privatis tam exitioſum exitum non ſortitur, quam in illuſtribus, principibus atque regiis Domibus, ubi, ut Ordinum Dignitas familiarumque ſalva ſit, publice intereſt, partus non ſubjici, ſubditoſque, læta ſpe legitimi aliquando ſucceſſoris fretos, partu ſuppoſititio nunquam fraudari; cum per huius-

cemo-

cemodi falſa ſeditionibus denique & factionibus horrendis ſuppeditetur occaſio, quemadmodum hiſtoriarum monumenta, antiqua (*) pariter ac nova, (**) ſatis illud ſuperque teſtantur.

Publico huic igitur malo atque calamitati, vel minimum ſuſpicioni, ſalutariter proſpectum fuit in Legibus Romanis a Prætore per Edictum *de inſpiciendo Ventre cuſtodiendoque Partu;* vi cujus mulier talis honeſtarum aliquot matronarum conſiliis de ventre inſpiciendo partuque cuſtodiendo initis, obedire, iisdemque tandem, quorum intereſt, præſentibus parere jubetur. Hoc equidem Principes aut Prætor ſubditis ſuis atque civibus jure meritoque præſcribere potuerunt.

Aſt ſubditi, an eodem jure contendere poſſint, ut a Principibus ſuis idem Ordo eademque lex obſervetur, graviſſima ori-

(*) Vide ſis *Valer. Max.* Lib. IX. cap. 7. 16. conf. *Flor.* cum notis Salmaſ. & Varior. Lib. II. c. 14. voce Pſeudophilippus.

(**) Lege Hiſtor. Ruſſorum de Pſeudo-Demetriis, aliasque plures, ubi infimo certe loco nati mendacio ſe illuſtrisſimis familiis inſerere conati, turbasque periculoſisſimas excitare moliti ſunt.

tur quæſtio? Princeps enim ceu ipſe Legislator legibus omnino humanis ſolutus eſſe videtur, nec ſibimet ipſi legem dicere cogi poteſt; quinimo pro arbitrio legibus ſuis & uti, & abſtinere, ipſi licebit. At enimvero, ne prolixius in præſenti demonſtrem: ipſius quoque Principis auctoritatem ab auctoritate juris vel maxime pendere, hoc ſaltem urgeo, quod ſi Princeps, cui ſalus Regni reique publicæ ſuprema lex eſt, populum ex rationibus fortaſſe phyſicis, de vera graviditate uxoris principis ambiguæ fidei eſſe intelligat, is pro confirmanda populi fide, conſervandaque reipublicæ tranquillitate atque ſalute obligatus ſit, ut eodem jure utatur, quo ſcilicet honeſtarum prudentumque mulierum conſilia de ventre inſpiciendo partuque cuſtodiendo concepta, caute adhiberi, partum etiam præſentibus tantum proceribus edi jubeat.

Illuſtre exemplum & memoratu dignum occurrit in Hiſtoria ſeculi duodecimi: CONSTANTIA enim, HENRICI VI. Imperatoris Regisque Siciliæ Uxor, anno ætatis ſuæ quinquageſimo uterum gerebat, ne itaque ſuſpicio eſſet, eam utpote annoſam uterum mentitam, partum

marito Siculisque ſuppoſuiſſe, in medio Panormitanæ Eccleſiæ veſtibulo, vel ut alii volunt, in Grezi, Apuliæ urbe, tabernaculum ſibi tendi juſſit, ubi ventre cuſtodito, nulla matronarum excluſa, palam & populo ſpectante FRIDERICUM II. Cæſarem enixa eſt. (***)

Fraudulento contra conſilio Rex Jacobus, de throno dejectus, Magnæ Britanniæ Regno ſpurium plane partum, nomine *Jacobum*, inque tenebris ad ſubjiciendum aptioribus natum, quaſi principem filium obtrudere nefarie auſus eſt, qui a ſordidis initiis, ex voto pontificiorum, ad ſumma creſceret, & digniſſimos aliquando ſucceſſores a ſucceſſione Regni indigne excluderet, quæ vero omnia jamdudum calumniæ pœnam & exitum infeliciſſimum merito habuerunt.

Contendit ille fruſtra, ANNA defuncta, de honore Regni cum Sereniſſimo Principe ac Electore Hannoverano, nunc Potentiſſimo Magnæ Britanniæ Rege GEORGIO, qui tam ex jure proximitatis, quam ex Proteſtantium Religionis felicitate unanimi

(***) *Fazell.* II. Decad. rer. Sicul. 8. cap. 1. Iung. *Sigon.* Lib. XV. de Regn. Italiæ.

nimi ſupremæ Curiæ ſententia Regium Solium præ aliis jamjam aſcenderat, Regnique Sceptrum firmiter tenuerat. Et quanquam viribus undique hactenus & anxie quæſitis extrema tandem iſte experiri ſtatuit; Angli tamen ſagaces Regiam eum prolem eſſe nihilo magis credent, neque ideo, quod petit, unquam conſecuturus eſt. Interim manifeſtum hac ratione periculum, quod ex fraudulenta partûs ſuppoſitione familiis ordinumque dignitatibus, per improbas partim lites, partim per bella ſanguinolenta fractis, interitum ſane triſtisſimum plerumque minatur.*

Quæ cum ita ſint, abhorrendum merito ab ejusmodi ſubdolis machinationibus, & liberis carere potius ſuadendum, quam ad totius familiæ aut Regni exitium patrem ſe infelicem exoptare.

---

* Plurimos ejusmodi ſimulatos Principes, eorumdemque turbas, Celeberrimus Profeſſor Lipſienſis, *Dn. L. Chriſtianus Ludovici*, in Præfatione ad *B. D. Th. Ittigii* Spiegel der wahren Frömmigkeit, recenſet.

OBSER-

OBSERVATIO LXI.

M. DANIEL. FRIDER. IANI,

Scholæ Torgav. Con-Rect.

De

Vini Uſu, Feminis Romanorum interdicto.

ROmulus, vt auctor nobis eſt fide dignisſimus ſcriptor, DIONYSIVS HALICARNASSEVS in Antiquitatibus Romanis, legem ſanxit, vt nulla femina, ſiue ſit nobilis, ſiue aliunde orta, vinum ſeu temetum ex cella vinaria biberet. Hoc autem ipſum confirmat ATHENAEVS, qui lib. X. Deipnoſophiſt. pag. 429 de populo Romano dicit: παρὰ Ῥωμαίοις ὔτε οἰκέτης οἶνον ἔπινεν, ὔτε γυνὴ ἐλευθέρα, *apud Romanos nec famuli, nec ingenuae mulieres vinum bibant.* Et AELIANUS lib. II. Variar. Hiſtor. cap. XXXVIII refert: quod apud Romanos lex data ſit, quod ὔτε ἐῤῥωμένος, ὔτε ἐλευθέρα γυνὴ ἔπινεν

ἂν οἶνον, *neque libera, neque ſerua vinum bibat.* Cum igitur huius legis magnum momentum eſſet, cenſebatur ea digna quae in duodecim Tabulas referretur, ne memoria eius, aut conſuetudine diuturna quae vim legis deinde obtinet, aut temporis iniquitate, oblitteraretur. Sic enim in legibus XII Tabularum extat: Si qua mulier temetum bibiſſet, cumque alieno viro probri quid feciſſet, vt in eam maritus ipſius, cauſſa cum propinquis mulieris cognita, pœnam ſtatueret: aſt ſi eam in adulterio deprehendiſſet, tum eam occidendi ius haberet. Adi harum interpretem eruditisſimum CONRADVM RITTERSHVSIVM c. VII commentarii. Hoc ipſum etiam in legibus antiquis ex *Baldouino* continetur, cuius rei haec lex eſt; Si mulier vinum biberit, domi ut adulteram punito, in quam extant veterum Iuriſconſultorum commentationes.

II.

Cur vero mulieres vinum bibere non debuerint, ALCIMVS SICVLVS hanc

eſſe

[ill]am cauſſam exiſtimat, quia feminae Her[culi] ſitienti aquam, vini loco, praebuerint; [ide]o ita eum commotum eſſe, vt con[tinuo] mulieribus Romanis vſum vini in[ter]dixerit. Audiamus quaeſo ATHE[NA]EVM ex lib. x. Deipnoſophiſt. p. 441, [qui] Alcimi Siculi ſententiam refert. Ἄλκι-μος δ', inquit ille, ὁ Σικελιώτης ἐν τῇ ἐπι-γραφομένῃ τῶν βιβλίων ἰταλικῇ, πάσας φησὶν τὰς ἐν Ἰταλίᾳ γυναῖκας μὴ πίνειν οἶνον, ἀπὸ ταύ-της τῆς αἰτίας. Ἡρακλῆς περὶ τὴν κροτωνιᾶτιν γε-νόμενος, ἐπεὶ πρός τινα οἰκίαν ἦσαν παρὰ τὴν ὁδὸν ἀφίκετο, προσελθὼν ᾔτει πιεῖν· ἔτυχε δ' ἡ γυνὴ τοῦ τὴν οἰκίαν κεκ-τημένου πίθον οἴνου λαθραίως ὑποίξασα, καὶ τὸν μὲν ἄνδρα δεινὸν ἔφη, ποιήσειν αὐτόν, εἰ χάριν τὸν πίθον τοῦτον ἀνοίξειεν, ὕδωρ δὲ ἐκέλευσεν αὐτῷ προσενεγκεῖν. Ἡρακλῆς δ' ἐπὶ θύραις ἑστώς, καὶ ἀκούσας ταῦτα, τὸν μὲν ἄνδρα αὐτῆς σφόδρα ἐπῄνεσεν, ὃν ἐκέλευσεν αὐ-τὸν παρελθόντα εἴσω σκοπεῖν τὸν πίθον· καὶ ὡς εἰσελθὼν λίθινον, εὗρε τὸν πίθον γεγονότα. καὶ τοῦτο τὸ σημεῖον ἔτι καὶ νῦν ἐστὶν ἐν ταῖς ἐπι-χωρίαις γυναιξὶν πάσαις, ἐν αἰσχρῷ κεῖσθαι τὸ πίνειν οἶνον, διὰ τὴν προκειμένην αἰτίαν. Ex quo loco illud primum videmus, quod ſcriptor, quem Athenaeus allegat, referat, Herculem fuiſſe auctorem huius legis, quia expreſſe dicitur, quod is vinum propter incompoſitos feminarum mores, poenae loco,

ſoco, iisdem interdixerit. Et certe is, q
Herculem mecum agnoſcit auctorem, no
contemnendis rationibus tam auctorit
tis, quam ipſius rei, innititur. Nam co
fido ego, Athenaeum haec ex Alcimo S
culo bona fide tradidiſſe. Deinde Her
culis auctoritas magna erat in Italia, ma
ior certe, quam cuiusuis alterius Herois a
Regis, qualis erat Romulus. Nam Ioui,
cuius filius Hercules exiſtimatur, *vinal*
in Latio propria fuiſſe, nec vinum ante i
vrbem ad vſus humanos inferri, quam vi
nalia kalentur, *Varro*, eruditisſimus anti
quitatis inueſtigator, lib. V de Lingua La
tina pag. 33 ſcriptum reliquit, itidemque
ARNOBIVS AFER lib. VII aduerſus gen
tes pag. 236. Quid? quod Hercules aeta
tem Romuli antecedebat: cui & hoc acce
dit, quod Italia vniuerſa, iram & indigna
tionem Herculis experta ſit, quum nulla
femina, & nobilis & ignobilis, ſiue matro
na, ſiue aetate inferior, illa lege eximere
tur. Hae rationes tantae omnino ſunt, vt
eum a ſententia remouere posſint, qui
autumat, Romulum, vrbis Romae condi
torem, primum eſſe auctorem huius ſen
tentiae. In hanc opinionem nos indu
xiſſe videtur ſupra laudatus DIONYSIVS
HALI-

HALICARNASSEVS, qui lib. II Antiquit. Roman. cap. XXV haec tradidit: ἀμφότερα γὰρ ταῦτα ζημιοῦν ἐκέλευσεν ὁ Ῥωμύλος, ὡς ἁμαρτημάτων γυναικείων ἔσχατα· φθορὰν μὲν, ἀπονοίας ἀρχὴν νομίσας· μέθην δὲ, φθορᾶς· καὶ μέχρι πολλοῦ διέμεινε χρόνου ταῦτ᾽ ἀμφότερα παρὰ Ῥωμαίοις, ἀπαραιτήτου τυγχάνοντα ὀργῆς· μάρτυς δὲ τοῦ καλῶς ἔχειν τὸν περὶ τῶν γυναικῶν νόμον ὁ πολὺς χρόνος. Exinde autem illud tantummodo euinci poteſt, Romulum quidem auctorem eſſe ſententiae ac legis, quod ad eam reſtaurandam attinet, Romae inprimis, qua hactenus huius legis incuria ab improbis hominibus introducta erat; non autem primum eius ac primarium auctorem, quia Herculis mentio, eiusque conſtitutionis, ante Romulum facta erat. Romulus autem quum videret, feminas Romae modum tranſilire, indeque ortam libidinem augeri, Herculis legem in ſuis ditionibus ſanxit, & adnexis poenis reſtaurauit.

III.

Si vero vtriusque legislatoris conſilium & cauſſam, de qua dicere incepimus, nobiscum reputamus, ea videtur paullo diverſa. Hercules quidem propenſionem ad vinum in feminis animaduertebat, quia porrigebant aquam, quum vinum ab iis poſtularet:

ſed

ſed ea lege primum caſtigare & coërc
volebat earum inobedientiam, quod i
tanto Heroi, de cuius origine & factis
ter omnes conſtaret, leue eiusmodi atq
exiguum denegarent. Ex quo fiebat,
vinum mulieribus interdiceret, vtpote
libus, quae omni ſtudio & cura in *illu*
ferrentur. Romulus contra aliam *hab*
bat rationem, qui non inobedientiam
amplius ea lege punire volebat, ſed femi
narum voluptatibus frenum iniicere.

IV.

Haec de auctore dicta ſunto. Nunc
autem videndum, cur feminis Romae *vini*
vſus interdictus fuerit. PLINIVS lib. XIV
Hiſtor. Natur. cap. XIII generatim pro-
nuntiat, *non licuiſſe feminis Romae vinum
bibere*. At vero VALERIVS MAXIMVS
lib. II c. I cauſſam adducit: *Vini vſus*, ait,
*Romanis feminis ignotus fuit, ne ſcilicet in
aliquod dedecus prolaberentur: quia proxi-
mus a libero Patre intemperantiae gradus
ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit.* Alias
enim ſi pudicitiae iacturam paſſae ſunt, eis
omnibus contingit, quod olim Criſpinae
Romanorum, quae propter violationem
caſtitatis & pudicitiae in inſulam Capream
rele-

relegata fuit: quae ſane in poenis grauioribus fuit habita. Quin immo fugacem animi delectationem ipſa quoque morte luebant: eaque re poſteris memoriam ſcelerum reliquerunt, vt ex formidine ſupplicii a vino eo promptius abſtinerent.

V.

Quapropter nulla iniquitas in illo interdicto deprehenditur, quum eius lator non tantum ad mentis integritatem reſpexerit, ſed inprimis etiam ad caſtitatem, ad decoram & laudabilem vitam, vt mulier ſit exemplum virtutis, ac verum ornamentum rei domeſticae. Nam feminae rebus grauioribus, quibus viri diſtringuntur, non implicitae ſunt, quae eas a Venere reuocent, ſed a primis ſtatim annis, maxime in praeclaris ciuitatibus, adſueſcunt vitae delicatiori, luxum ſequuntur in veſtitu, formae elegantiori, quam quidem natura conceſſit, deditae ſunt, iucunda conuerſatione annos tranſigunt, ambulationes ſumptuoſas inſtituunt, & quae ſunt reliqua: vnde fomentum voluptatis facile excitari poteſt. Quibus iucunditatibus ſi accedit vini vſus, Ceres & Bacchus, non mirum eſt, quod mulieres

ſexui

ſexui ſuo maculas Veneris adſpergant. Iam vero Romanorum feminae eis omnibus ſtudebant, otium ſectabantur, creberrimam mentis recreationem, conſuetudinem cum aliis adpetebant, &, quod maximum erat, vehementer inconceſſam Venerem deſiderabant.

VI.

Vt igitur feminae eo facilius a vini vſu Romae abſtinerent, cura cellae vinariae eis non committebatur, ne occaſio illis eſſet, leges negligere, & in poenas incurrere; ſed mariti earum in hoc rei familiaris curam gerebant. *Fabius pictor* in annalibus ſuis memoriae prodidit, quod femina, ſi loculos effregiſſet, in quibus claves cellae vinariae erant reconditae, mortem ſubire coacta fuerit. Nam eo ipſo legem aſpernari videbantur, quod dignum morte Romani exiſtimabant. vide Plinii locum ex hiſtoria naturali modo adlegatum. Quod exemplum VARRO dubio procul in animo habuit, qui lib. I de vita populi Romani ſcribit: *quantopere abſtemias mulieres voluerint eſſe, vel ex vno exemplo poteſt viderier.* Nec ego ea de re dubito, Nam Romani ingenia feminarum

cogno-

cognouerant, quod vini nimis auidae fue-
rint, &, ſi in pectus multum meri infude-
rint, primum eo incaleſcerent, & deinceps
ad nefarias libidines explendas accende-
rentur: quae feminarum facinora SVE-
TONIVS de Meſſalina, Imperatoris
Claudii coniuge, & de aliis VOLATER-
RANVS lib. XXXII Philolog. cap. V ad-
notarunt. Id ergo crimen vt ſummo ſtudio
euitarent feminae, nec dedecori eſſent ma-
ritis, cura eximebantur cellae vinariae.

VII.

Quamquam vero conſilium Romano-
rum ſaluberrimum erat, quo ſcelera a
ſuis finibus proſcribere volebant; femi-
nae tamen tam ſtudioſe vinum adpete-
bant, vt e dolio bibere non dubitauerint.
Teſtatur id magna exemplorum ſeries,
quae ſi non omnia, quam plurima tamen
hiſtoriarum cultoribus innotuerunt; prae-
ſertim quum illa non ignota ſint, quae de
Fatua Fauna, coniuge Pompilii Fauni nar-
rantur, quod maritus eam virgis caedi iuſ-
ſerit, quum clanculo ac furtim contra re-
ceptum morem ollam vini ebibiſſet, &
auariter plenis faucibus merum in ſeſe
ingurgitauiſſet. Immo nec ea ignorari
poſſunt, quae de vxore Egnatii Meceñii,

Cnei Domitii vxore, apud PLINIVM, & de aliis alibi apud Ciceronem, Liuium cordatiſſima hiſtoriarum fide referuntur. Is enim, qui reliquit hiſtoriam naturalem, lib. XIV cap. XIII tradit: *Inuenimus inter exempla Egnatii Mecenii vxorem, quod vinum bibiſſet e dolio, interfectam fuſti à marito, eumque caedis a Romulo abſolutum.* Hic videtur coniugem ſuam tanto amore non complexum fuiſſe, quo Moecenas ſuam Terentiam proſequebatur, qui poſt lites & repudium, poenitentia ductus, eam deſiderabat. De hoc SENECA narrat, libro de prouidentia cap. III, *illum amoribus anxium moroſae vxoris repudia defleuiſſe.* Atque rurſus alio loco epiſt. CXIV *millies vxorem duxiſſe, quam vnam habuerit.* Sed Mecenius nulla non ſanguinis, non ſexus, non aetatis miſericordia permouebatur, nec permoueri vllo modo poterat, quia lex aderat; licet probabile ſit, eum vxorem quoque ſuam valde amauiſſe. Nam, quod ad violationem praecepti attinet, M. CATO memorat, quod eadem poena digna ſit, quae ea, quae adulterium cum alio viro commiſit. Placet eius verba ex Oratione *de dote* heic adponere: *Si quid peruerſe taetreque factum eſt*

a mu

a muliere, mulctatur: Si vinum bibit, ſi cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur. Sic vinum bibere, & adulterium committere, facinus maxime capitale apud Romanos erat. Id in eo nos quoque confirmat Iuriſconſultus Neapolitanus, ALEXANDER ab ALEXANDRO lib. III Genial. dierum cap. XI, qui ait: *vini uſus adeo mulieribus interdictus fuit, vt vinum bibiſſe perinde eſſet, ac ſi in adulterio aut graui crimine deprehenſa, capitali ſupplicio plectenda foret.* Iam vero poena feminae adulterae erat, vt toga virili cincta in publicum prodire cogeretur, & populo eſſe ſpectaculo. Spectat huc locus M. VAL. MARTIALIS lib. II Epigrammate XXXIX:

Coccina famoſae donas & ianthina moechae:
Vis dare, quae meruit munera? mitte togam.

Miror autem, qui factum, vt SERVIVS, antiquus Virgilii interpres, lib. I. Aeneid. probis feminis togam tribuerit; quem vero eo poſſum excuſare, quod de priſcis temporibus rei publicae locutus ſit, non

autem de ſubſequentibus. At vero ex Q
tione adparet, adulterii conuictam ipſa
mortem ſubiiſſe, ne quod veſtigium tan
ſceleris extaret. Quapropter Syra de ſu
ſorte valde contriſtatur, quem PLAVTV
Poeta comicus lepidisſimus, in Merca
Act. IV Scen. VI ita conquerentem intro
ducit:

Aecaſtor lege dura viuunt mulieres,
Multoque iniquiore miſerae, quam viri
Nam ſi vir ſcortum duxit clam uxorem
ſuam,
Id ſi reſciuit vxor, impune eſt viro.
Vxor viro ſi clam domo egreſſa eſt fora
Viro fit cauſſa, exigitur matrimonio.
Vtinam lex eſſet eadem, quae vxori eſt
viro.

VIII.

Quod vero ad mortem iis inferendam
attinet, fateor ipſe, quod ea lex Romul
cum Draconis legibus conferri poſſit, quae
propter grauitatem poenarum, aſpera
dicebantur. vide *diſſertationem de Dracon*
Legislatore Athenienſium, Lipſiae habitam
cIɔ Iɔccvii. Vxorem enim eximiae in
primis pulchritudinis illico interficere

no

non humanitatis, ſed crudelitatis argumentum eſt. Quare ego ſic exiſtimo, quod Egnatius Mecenius propterea vxorem ſuam interfecerit, quod illa ſciens ac volens contra legem fecerit: deinde, quod ex nimio amore in vinum & ex temulentia, matrimonii reticenda enunciaret. Hunc morem obtineri etiamnum apud populos Americanos colligo ex doctisſimi LIONELLI WAFERI itinerario & deſcriptione iſthmi Americae, vbi crimen adulterii ipſa internecione punitur. Adde, ſi placet, Celeb. Iuris conſulti GERARD. NOODT Diocletianum & Maximinianum, ſiue de transactione & pactione criminum, qui liber Lugduni Batauor. CIↃ IↃCIV prodiit.

IX.

Quamuis vero in maritum fraus non cadat, Romae tamen ita ſancitum erat, vt primum feminam eius cognati, deinde mariti agnati oſculo exciperent ad videndum, an vxor vinum bibiſſet, eoque legem Romanam violaſſet. Generatim huius ſententiae auctor eſt AVLVS GELLIVS, qui de illorum conſuetudine lib. X Noctium Atticarum, cap. XXIII ineunte, refert: *mulieres Romae atque in Latio aetatem*

rem abſtemias egiſſe, hoc eſt, vino ſemper, quod temetum priſca lingua adpellatur, abſtinuiſſe; inſtitutumque, vt cognatis oſculum ferrent, reprehendendi cauſſa, vt odor indicium faceret, ſi bibiſſent. Et mox verba M. PORCII CATONIS addit: *Si vinum bibit, ſi cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* Speciatim vero ARNOBIVS AFER adfinibus & propinquitate coniunctis ius illud, mulieres oſculo excipiendi, adſcribit. Audiamus ipſum ex lib. II aduerſus gentes pag. 91 differentem: *adfinibus & propinquis oſculari eas ius erat, vt ſobrias comprobent, atque abſtemias ſe eſſe.* PLINIVS autem, hiſtoriae naturalis ſcriptor eruditisſimus, lib. XIV cap. XIII non praetereundus eſt, qui inſit: *Catonem ſcripſisſe, ideo propinquos feminis oſculum dare, vt ſcirent, an temetum olerent.* Quid? quod TERTVLLIANVS, antiquisſimus chriſtianorum ſcriptor, etiam aliquid in hanc rem adnotauit. Hic in Apologetico cap. VI: *idcirco oſcula propinquis afferre neceſsitas erat, vt ſpiritu indicarentur.* Haec ita omnino eſſe, praeter auctores, quos iam adlegauimus, DIONYSIVS HALICARNASSEVS, hiſtoricus ſummi iudicii, ſcriptum reliquit in antiquitatibus Romanis.

Sic

Sic autem inſit lib. II. cap. XXV: ταῦτα δὲ αἱ συγγενεῖς μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐδοκίμαζον· ἐν οἷς ἡ φθορὰ σώματος, καὶ ὃ πάντων ἐλάχιστον ἁμαρτημάτων Ἕλλησι δόξειεν ἂν ὑπάρχειν, εἴ τις οἶνον εὑρεθείη πιοῦσα γυνή. Si autem quaeritur, quomodo oſcula data fuerint, an more columbarum, vnde vox *columbari* frequens eſt apud SENECAM epiſt. CXIV, & an oſculum illud φίλημα, aut στομάτιον nominatum ſit, quaeque circumſtantiae in iis obſeruatae: illud parum lucis & huic argumento & aliis adfundit. Sufficiat hoc, quod oſculo, quocumque nomine adpellato, experimenti loco feminis a Romanis data ſint. Porro, ſi quaeſtio ſit, an ex locis iam adductis probari queat, ab eo tempore morem oſculandi initia ſumſiſſe, feminasque Romae eius rei occaſionem dediſſe, non eadem eruditorum ſententia eſt. Conferantur heic exempli loco tantum ea, quae inter nobiliſſimum IO. IACOBVM CLAVDIVM, qui diſſertationem de ſalutationibus veterum, Vltraiecti CIƆ IƆCCII edebat, & quae inter Clariſſ. IACOBVM BERNARDVM interceſſerunt in republica litteraria menſe Decembris CIƆ IƆCCIII articulo VI.

X.

PLVTARCHVS rem negare no
poteſt, maritos ad vſum vini & potum e
plorandum vſos fuiſſe oſculandi conſu
tudine; quia Romulus ſeuoriſſima
ea de re legem tulerat. Contra vero
quis ſcire velit, an mos oſculandi ta
apud Romanos, quam ceteras deinde n
tiones originem traxerit, ab iſto more
eam videtur negare laudatiſſimus ſcript
Verba eius non indigna ſunt, quae
Quaeſtionibus Romanis pag. 265 adſc
bantur: τὰς συγγενεῖς τῷ ςόματι φιλοῦσ
γυναῖκες, πότερον (ὡς οἱ πλεῖστοι νομίζου
ἀπειρημένον ἦν πίνειν οἶνον ταῖς γυναιξὶν, ὅ
ἂν αἱ πιοῦσαι μὴ λανθάνωσιν, ἀλλὰ ἐλέγχο
περιτυγχάνουσαι τοῖς οἰκείοις, ἐνομίσθη καταφι
Haec quidem ſcriptor Romanus attu
ſed, quod notandum eſt, dubitabun
egoque a me impetrare nequeo, vt
facile credam. Sane enim oſculand
tus inualuit in gente Romana, quippe
gnati & adfines mulieribus oſcula dab
ne fraus intercederet. Sed ſi ex adu
parte cogito, mulieres quotidie oſculi
ceptas eſſe a maritis & cognatis, ver
mile ſit, maritos ſuas feminas vero ar
non fuiſſe amplexos. Crediderim e

q

quod poſt illa tempora non ex ſuſpicione, ac ſi mulieres vinum bibiſſent, oſculandi ritus apud Romanos inualuerit, ſed conſuetudine ita ferente. Quis enim exiſtimaret Gallos, apud quos mos oſculandi frequentiſſimus etiamnum eſt, ex ſuſpicione fraudis, aut cuiuscunque rei alterum oſculari. Si enim quis ex peregrinis locis ad eos accedit, oſculo ſalutat vxorem, filiasque, & vt PETRI LOTICHII verbis vtar:

Perque vias dantur baſia, perque domos.

Sed conſuetudo illa ſignificat beneuolentiam, qua iis dediti eſſent, quorum domos viſitarent. An vero hic ritus oſculandi apud Gallos, etiam apud Belgas, ex Romanorum more recenſito habuerit originem, de eo conſulatur HENRICVS SALMVTHVS in notis ad Pancirollum de rebus deperditis. Egoque heic moneo, quod MVNSTERVS non incelebris ſcriptor lib. II Cosmograph. cap. CXL fallatur, qui exiſtimauit, inde primam ortam eſſe conſuetudinem oſculandi domi vxorem & filias.

XI.

Longe aliam originem oſculandi deriuo a temporibus Troianis, quibus feminae

minae naues incendio deleuerant. Quod factum ne amplius mariti indigne ferant, vxores varios modos excogitauerunt, (ad hos enim non ineptae ſunt,) quibus iratum maritorum animum ſibi amiciorem redderent. Ad hoc obtinendum nihil commodius iis videbatur, quam vt more feminarum Troianarum frequenti oſculorum ſalutatione eos iterum ad ſe allicerent, iramque concitatam componerent. In hoc PLVTARCHVM eo in libro, qui Romulus inſcribitur, ineunte ſtatim principio, conſentientem habeo. Dicit enim: ἐξ ἐκείνου τε παραμένειν λέγουσι τὸ, τὰς συγγενεῖς τὰς γυναῖκας καὶ οἰκείους ἄνδρας ἀσπάζεσθαι τοῖς στόμασι· καὶ γὰρ ἐκείνας, ὅτε τὰ πλοῖα κατέπρησαν, οὕτως ἀσπάζεσθαι, καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοὺς ἄνδρας, δεομένας αὐτῶν καὶ παραιτουμένας τὴν ὀργήν. Hoc idem auctor verbis fere iisdem repetit de virtutibus mulierum Tom. II Oper. pag. 244: διὸ καὶ γέγονε τὸ παραμένον τῶν Ῥωμαικῶν γυναικῶν ἔτι νῦν ἔθος ἀσπάζεσθαι μετὰ τοῦ καταφιλεῖν τοὺς κατὰ γένος προσήκοντας αὐταῖς.

XII.

Quum vero ritus oſculandi frequentius vſurparetur, quam aequum erat, & primus ſanctor eius obſeruantiae attendi voluerat, oſcula crebriora Tiberius Caeſar Romanis

manis edicto prohibuit. SVETONIVS, vt iucundiſſimi argumenti cordatus auctor, ita locuples quoque harum rerum teſtis, ait in vita eius cap. XXXIV: *quotidiana oſcula prohibuit edicto:* ad quem locum eruditiſſimus TORRENTINVS videri poteſt.

XIII.

Quum itaque feminis vinum bibere neutiquam licuiſſet, non exiſtimandum eſt, eas prorſus nullum liquorem amoenum & dulcem vſurpaſſe: ſed potu dulcia biberunt, quae cuius generis fuerint, & quo nomine adpellata, ea ATHENAEVS lib. X pag. 440 adfert: παρὰ Ῥωμαίοις inquit, ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον, τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσι. τοῦτο δὲ ποιεῖται μὲν ἐκ τῆς ἀσταφίδος καὶ ἔστι παραπλήσιος πινόμενος τῷ Αἰγοσθενείτῃ γλυκεῖ, καὶ τῷ Κρητικῷ. διὸ πρὸς τὸ κατεπεῖγον τῆς δίψης χρῶνται αὐτῷ. Ne vero ſolius Athenaei teſtimonio ſtemus, AVLVM GELLIVM adiungimus, optimum ſcriptorem, & cenſorem aequisſimum. Hic lib. X Noct. Attic. cap. XXIII *bibere*, ait, *mulieres ſolitas ferunt loram, paſſam, murinam, & quae id genus ſapiant potu dulcia.* Clarius autem & diſtinctius potum mulieribus vſitatum

M. TE-

M. TERENTII VARRONIS fragmentum lib. I de vita pop. Roman. apud NONIVM in Lora deſignare videtur, in quo iſta legimus: *antiquae mulieres natu bibebant loram.* Sed vox *antiquae* mihi ſuſpecta eſt, quia facile quis cogitare poteſt, interdictum vini tantum ad eas feminas ſpectare, quae aetatis praecipitatae eſſent. Quamobrem loco antiquae malim legere antiquitus. Sic Noctium auctor commemorat inter alia, feminas bibiſſe loram, aut vt veteres ſcribebant, lorum, idque inter dulcia numerari. Equidem PLINIVS, grauiſſimus cetera ſcriptor, lib. X Hiſtor. Natur. cap. IX huic refragari videtur, dum paſſum inter genus vini dulcis referri valde addubitat. Ego quidquid illud eſt, quod a ſcriptore hiſtoriae naturalis adfertur, argumentis praeſens non impugnabo, haud ignarus, quam erudite ISAACVS CASAVBONVS, magnus philologus & incomparabilis vir, ad lib. X Athen. cap. XI contrarium exemplis variis adſtruxerit.

XIV.

Quanta igitur emolumenta in rem publicam Romanam ex vſu vini feminis interdicto redundauerint, ea ex iis praeſertim

ſertim cognoſci poſſunt, quae breuiter hactenus de eorum inſtituto ex auctoribus probatae & minus ſceleſtae fidei diſſerui. Quis enim eſt, qui haec cum legat, non intelligere poſſit, praecepta illa eo pertinuiſſe, ut mens feminis pura, & caſta, conſeruaretur, nec matrimonia, cum maritis ſuis inita ex temulentia contaminarentur ſcelere ac aliorum libidine. Licet enim, doctiſſimo DELLONO referente, in itinerario Part. I cap. XVII ad Indos orientales, de feminis Inſulae Malabotae conſtet, quod iis liceat, tot viris amorem ſuum exponere, quot ipſis e re ſua viſum ſit: tamen haec Romanorum moribus erant turpia, quae contra apud illos populos decora putabantur. Ceterum quod ad me attinet, confido ego, neminem facile futurum eſſe, qui me reprehendat, quod ea in re operam collocauerim, cuius vſus exiguus foret. Frequens enim huius rei mentio eſt in ſcriptoribus hiſtoricis, quos nemo plenius intelliget, niſi haec aliaque loca coniunctim in promptu habeat. Neque vero aliquis exiſtimet, me tacite vini vſum noſtris feminis exprobrare velle: ſed bibant Germanae mulieres vinum Creticum, dulce Syracuſium, Mendeſium,

voſque conſervari. Luculenti hujus rei teſtes exſtitit *Valerius* l. c. & *Suetonius* in Claudii vita c. 16. quos diu ante ſuo calculo muniit *Cicero* L. 2. de L. L. Huc vocentur ea, quae ad Valerium litteris conſignavit *Colerus*, & ſplendidum quondam Noricorum parnaſſi ſidus *Chriſtophorus Adamus Rupertus* p. 117. diſſert. mixt. ad Valerium.

Leges & ſolennes formulae Valerio patrocinantur, quas vetitum erat vlla alia lingva exſculpere. Quam conſvetudinem concinnis verbis depinxit elegantisſimus ap. Roman. juris anteceſſor, *Ianus Vincent. Gravina*, hoc verborum tenore diſſerens:
„latina lingva Romanorum armis & com-
„mercio ſimul cum imperio in omnes
„fere orbis terrarum regiones penetra-
„vit, & ubique diſſeminata eſt, ſparſis, at-
„que etiam continuatis ſaepe colonüs,
„praecipue vero propagata eſt & conſer-
„vata legibus atque judiciis, nec enim li-
„cebat lege agere, aut in judicio reſpon-
„dere apud Romanum Magiſtratum pere-
„grina lingva, neque fas erat Magiſtrati-
„bus, in provinciis reddere jus niſi latine.
„Solennes autem formulas vetitum erat
peregrina lingva corrumpere. Et paullo
poſt,

poſt, magno *Cujacio* aſſertore: teſtamenta, quae ſunt privata quaedam lex, verbis directis quoque conficiebantur, veluti: *Titius heres eſto.*

Actus igitur legitimi, qui & ſolennibus verbis peragebantur, nempe *emancipatio*, aut *acceptilatio*, *hereditatis aditio*, *ſervi optio*, *datio tutoris*, *ſervi liberatio*, latinis verbis praeſcriptisque formulis exprimebantur. Immo ne *legatum* quidem graecis verbis recte relinquebatur Vlpiani tempore, quod ex cap. 25. Inſtit. colligitur. In dialogo de lingva latina ad Emmanuelem Martinum inter orationes & opuſcula, p. 324. Translata imperii ſede Byzantium *Conſtantinus M.* nihilominus in nova Roma, aula ac doctorum collegiis latinae lingvae exercitium retinuit, idque cum graecorum deliciis temperavit, quod etiam *Theodoſii M.* tempore ſancte adhuc obſervatum fuit, ut indicant verſus aliquot & praefationes, Itinerario, quod Antonini nomen praefert, in codice Regio praefixae, ad quas provocat *Carol. du Freſne* in ſplendida de cauſſis corruptae latinitatis praefatione, quam praemiſit Gloſſario infimae & mediae latinit. p. 11. Mirificum etiam huic argumento ſplendorem conciliat

Bernardus Aldretus, ſcriptor Hiſpanus, & ad has praecipue catervas revocandus, L. I. de origine lingvae Caſtellanae cap. XI. XII. Vtrum autem Romani aliam lingvam in loquendo, quam ſcribendo adhibuerint, res eſt ſane altioris diſquiſitionis?

Nobilisſimus patrum tempore criticus, *Caſpar Barthius*, ex idoneis bonorum ſcriptorum monimentis & L. L. filiabus probare contendit, plebem in urbe longe aliter locutam eſſe, quam Proceres reipublicae, & viros eruditionis gloria emicantes, Adverſ. L. XIII. c. 2. cujus verba appoſuiſſe eo minus pigebit, quo luculentius ex iisdem magni viri mens elucet. *Veterum*, pronunciat, *latinorum in loquendo longe aliam lingvam fuiſſe, quam quae a nobis uſu frequentatur, ut e praeceptorum regulis concipitur, dubium minime eſſe debet. Licet enim ſignificanter hodie quoque non pauci doctorum loquantur, phraſes verbaque tamen alia priſcis in quotidiana uſurpatione fuiſſe, vel ex lingvis illis, qui latinam exteris confuderunt, manifeſtum eſt.* Adeoque impoſſibile arbitror vel conjectare poſſe, quibus verbis loquendo veteres quasque res expreſſerint, niſi Idiotiſmos Hiſpanicae, Italicae, & Gallicae deflexionis adhibeas.

Sed

Sed ut vanus fortasſis is labor ſit, ita indicia quoque in auctoribus non pauca numero, nec vilia pondere ſuperſunt, quibus ipſos proceres latinitatis aliter locutos, quam plebem adſtrui posſit. Vnde illud commodo noſtro concludi poteſt, longe nos venuſtiorem & politiorem lingvam latinam hodie ſequendo auctorum characteres habere, quam vulgo tempore Romanae potentiae fuerit uſitata. Idem repetit Lib. X. c. XIX. Adverſ. Agitata fuit haec controverſia quondam inter *Leonardum Aretinum*, & *Floridum Sabinum*, quorum rationes in utramque partem diſceptatas adducit *Melchior Inchoferus* in hiſtoria latinitatis L. 3. c. 2. ſeqq. Non pronunciat autem, quid tandem ſit ſtatuendum, ſed extricandi decipulas legentium arbitrio relinquit.

Si quid in hac ardua quaeſtione mihi liceat proponere, dicam, tritum Romanorum ſermonem minus ad delicias veneresque reſpexiſſe, ſed potius propriam vocum indolem, ac patrias diuque receptas loquendi formas obſervaſſe, minusque affectaſſe tropos ac figuras, illoque involutum dicendi genus, quod creſcente eloquentia oratores in forum convocarunt,

eoque ad populi auram captandam conciones ſolenniter habendas ornaverunt.

Comici, quorum agmen claudunt, & veluti inter turbam minorem, ut ſol inter caeleſtia lumina emicant *Plautus* & *Terentius*, aſſerto fidem conciliant, quorum comoediae receptas inter plebem loquendi rationes, & propriam efferendi rationem arguunt, plebiſque mores pandunt, ad quos emendandos magisque ſtringendos ſermo theatralis omnino debebat eſſe accommodatus. Profecto illi veram probae latinitatis ſemitam terunt, qui ad *Eraſmi* leges Comicos in quotidianum legendi exercitium adſciſcunt, quia comici prae reliquis ob propriam ſermonis indolem, quam amant, & populares loquendi modos, innatum ſpargunt verborum odorem, quo perfuſa ſcribentis mente limpidius deinde fluunt tralationes, quae facile ſuo lepore ac jucunditate novum decus altiori ſcribendi rationi conciliabunt.

Calculum apponit Polyhiſtor clari in Batavis nominis *Jo. Clericus*, in arte Critica p. 22. edit. Lond. & dudum ante illum *Jacobus Lodovicus Strebaeus* L. I. p. 25. de electione & oratoria collatione verborum.

Comi-

Comicorum ſales & delicias ex indole innata mirifice adamavit *Petrus Montmaurius*, Prof. regius Pariſ. gr. linguae, iſte ad Plautinum exemplar in juventute duriter educatus, & in theatralibus actionibus ſub morionis perſona circumactus, cuius vita, nuper Hagae excuſa, ſcribendique lepores reddunt comoediam, ſalibus acerbis tinctam, tantumque deſiderium Purpuratis inſtillarunt, ut ſaepius iisdem auguſtas ſtatus curas, tanquam grato condimento refocillarent.

Oratores Graecorum deliciis capti verborum magnificentiam, phalerasque gloriandi, & mollius verba efferendi genus ad publica perduxerunt roſtra, & ſigillatim *Cicero*, exquiſitus troporum artifex, ad cujus ornatum amplitudinemque ſe paullatim *Livius* compoſuit, ac vel illi praecipue, qui clavum imperii moderantibus Auguſtis temporum acta litteris mandabant, animumque magis admovebant ad adulandi captiones, quas aulae rationibus admodum gratas fore probe animadvertebant. Tales adulandi artes calluit *Tacitus*, ipſe in aulae purpura enutritus, & callidus ſcelerum ſub verborum involucris obſcuritate enarrator: *Florus* vero ſcri-

bendi genus flexit ad abditas vatum ſyrtes, ſcopulosque ambiguos, quos dum minus caute evitavit, praeceps ruit a conſveto inter hiſtoricos charactere, noſtroque tempore altercandi anſam dedit Duumviris ſplendidis, utrisque probae latinitatis ad nuclei centrum usque peritis, *Begero* & *Graevio*, quae tamen iis multum lucis latinitati accendit, ac ſubinde ipſius lingvae penetralia recluſit.

Sine dubio etiam aſſidua Romae cum Graeculis conſvetudo, quorum ſubinde mentionem facit *Cicero*, non minimam ſtragem intulit bonae latinitati, & locutionibus tritis, panduntque exempla Comici, a me in praeſens ſecuro tramite, veluti jam nimis nota, praetermittenda.

Cumprimis autem veſtigia receptae inter Quirites locutionis relinquunt leges & SC. quae omnino ad populi captum debebant eſſe accommodata, & ſigillatim L. L. XII. Tab. utique populo perſpectae, quarum raucida vetuſtatis rudera nova luce circumfudit *Jacobus Gothofredus*, ſacerdos legum peritus, & ſolers antiquarum locutionum indagator. Etiam legibus & SC. facem lucidam accendit, quaſique Evandri raucorem abſterſit *Jacobus Cujacius*

cius paſſim in Obſervat. mira eruditione tinctis. Animadverſiones *Caroli Andreae Dukeri* ad varia opuſcula de latinitate JCtorum veterum dignae ſunt, quae ab omnibus vetuſtae latinitatis cultoribus, & vel maxime in hujus controverſiae examine mentis ſagacitate luſtrentur.

Ad uſum loquendi & ſcribendi popularem accommodat duo monumenta, unum C. Duillio, qui primus Carthaginienſes navali praelio vicit, erectum, alterum ad Genuates in tabula aenea, medium inter Duilliana & Ciceroniana tempora, *Vbertus Folieta*, dudum a me crebriori eruditorum uſui cum notis reddendus, ſi modo amatorem, qui denuo eum typis exſculperet, reperire potuiſſet, in elegantisſimo libro, de lingvae latinae uſu & praeſtantia, pag. 100. derivatque aliqua ex monumento Duilliano in ſuum peculium, ac erudite circumſcribit Purpuratus *Henricus Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis pag. 427. Speciminis loco ſint ſequentia ex Genuatium tabula:

Q. M. MINVTEIS. Q. F. DE. CONTROVERSIEIS. INTER. GENVATEIS. ET. VEITVRIOS. IN.

RE. PRAESENTE. COGNOVERVNT. ET. CORAM. INTER. EOS. CONTROVERSIAS. COMPOSEIVERVNT. &c.

Conducunt omnino ad vetuſta ſcriptorum, lingvaeque tritae monumenta rite ponderanda Cl. *Dauſquii* orthographia, & Terentius Aldinus, Faernianus, & Lindenbrogianus, quae editiones merito in acie locantur.

Quando vero Cl. *Barthius* ad rudera antiquae locutionis in lingva Italica, Hiſpanica & Gallica obvia provocat, ea forſan tam luculenta non erunt, ut ex illis aliquid certi cautus lector ſibi polliceri poſſit: ne dicam varias barbararum gentium migrationes, novas has loquendi formas peperiſſe, ſuoque fermento antiquas Quiritium elegantias infeciſſe. Hic commendari debet erudita Halenſium Polyhiſtoris, *Chriſtophori Cellarii*, diſſert. de origine lingvae Italicae ex barbarorum incurſionibus natae, ad quam etiam in praefatione provocat Dn. *Jac. Burchardus* libri ſui bonae frugis pleni de fatis L. L in Germania, Archaiſmos & obſoleta loquendi vitia in plebejo ſermone cum illuſtri Barthio, veluti quod dixerint, *hunc prodigium*, *hunc*

thea-

theatrum, & quod *Nubendi* verbum, ut olim Nonio teſte, adhuc de utroque genere inter Italos uſurpetur, libenter agnoſco, ſed longe aliam lingvam in quotidiano exercitio floruiſſe, id luculentioribus teſtimoniis vellem adſtructum, comicis, marmoribus & legislatoribus contrarium probantibus, quibus utique conſvetae loquendi formae arriſerunt.

Talium nominum in utroque genere quondam uſurpatorum cumulum intulit libris ſuis de analogia, ac de illis pro more ſuo eruditam cenſuram dedit, multaque ad rem grammaticam facientia, uſumque promiſcuum a ſcholis doctorum diſtingventia reſeravit vir ſummus *Ger. Jo. Voſſius*, dignus omnino, cujus ſcrinia ad majorem lucem his tenebris affundendam explicentur. Celeberrimus *Morhoffius* hic minus debet pratermitti de Patavinitate Liviana c. VI. p. 517. Forſan longe exquiſitiora dediſſent ad Valerium cogitationes Perizonianae, niſi non ita pridem tantum Polyhiſtora immitis Parcarum manus, lugente Muſarum choro univerſo, ex fluxa mortalium conditione in ſtabilem, ac longe meliorem tranſtuliſſet.

OBSERVATIO LXIII.

M. JOAN. GIDEONIS GELLII,

Con-Rector. Dreſdenſis,

De

Societate Charitatis & Scientiarum.

Argumentum.

Sors eruditorum miſera, §. I. De ea ſublevanda plures fuere ſolliciti, §. II. Variae hinc Societates enatae, §. III. ad quas praeſens pertinet, §. IV. Hiſtoria ejus, §. V. Origo, §. VI. Scopus, §. VII. Leges, §. IIX. Beneficia, §. IX. pro quibus gratitudo poſcitur, §. X. Conſultorum, Praeſidis, Adjunctorum, Secretarii munia, §. XI. Collegarum receptio, §. XII. Mortui ex Societate, §. XIII.

§. I.

Miſeram eruditorum eſſe ſortem, non hodie aut heri demum nata eſt ſententia, ſed ea graviſſimis ſupe-

ſuperiorum temporum, tum noſtrae etiam aetatis Scriptorum teſtimoniis confirmata. Vel unus ille nunc pro me loquatur libellus, mole quidem non adeo magnus, at rerum varietate hiſtoriarumque jucundiſſimo contextu inſignis, quem *Analectorum de Calamitate Literatorum* titulo Lipſiae A. 1707. Saxoniae noſtrae eruditis plus ſatis adhuc funeſto, collegit, inque lucem publicam emiſit Vir celeberrimus, & Academiae patriae decus atque ornamentum, *Joh. Burchardus Menckenius.* Cui ſi addideris ea, quae *Maturinus Simonius* in Tractatu, quem de *Literis pereuntibus* quondam edidit, & ſuperiori anno Dn. *Joh. Hermannus ab Elswich* annotationibus illuſtratum denuo recudi fecit, veritas dictorum magis etiam patebit.

§. II.

Quae cum ita ſint, non una ratione de ſublevanda ſorte tam indigna plures fuere ſolliciti. Quanquam enim vix ullum excogitari remedium poſſe, ſit credibile, quod omnium votis ſatisfaciat: aliqua ex parte tamen, ut ſuccurrerent inopiae, tentarunt. Principum imprimis ea cura fuit, ut defunctorum viduae ac orphani habe-

haberent neceſſaria, quibus vitam honeſte ſuſtentare poſſent. Quos inter Erneſtus Pius, Saxoniae Dux, praeter cetera inſignis munificentiae in literatos exempla, aerarium mortuorum Paſtorum & Ludimagiſtrorum viduis deſerviturum, illis duo millia Joachimicorum, his 500 florenos donans, inſtituit, *Elia Mart. Eyringio* teſte, *in Vita Erneſti Pii Cap. XXIV.* Hunc deinceps alii ſecuti, qui vel Principum, vel aliorum opulentiorum liberalitate adjuti ſymbolas conferendo ſimilia tentarunt. Ita ſortem mille Vallenſium fundum Fiſci pro viduis Profeſſorum Philoſophiae eſſe voluit *Valentinus Friderici*, Smalcaldienſis, SS. Theol. Licentiatus & Ebraeae Linguae Profeſſor Lipſienſis, d. 28. April. ipſo die natali An. 1702. denatus: quod inſtitutum Academiae occaſionem dedit de ſimili communi fiſco Facultatibus omnibꝰ cogitandi, uti ex b. Jo. Gottlieb Hardtii *Programmate ad audiendam Orationem in memoriam M. Chriſtophori Seyferti, Gorlicenſium Paſtoris Primarii*, invitante, referunt *Nova Literaria German. Aug. 1705. p. 297.* Qui ipſe, niſi omnia nos fallunt, fiſcus eſt, quem, aeternum Rectoratus ſui monumentum anno 1702. in ſolatium vidua-

duarum & orphanorum, quos Profeſſores relinquunt, fundaſſe dicitur D. Joh. Chriſtianus Schambergius, Anatomiae, Chirurgiae & Chimiae Profeſſor, tum temporis Academiae Rector, indicantibus ex ejus funebri Programmate iisdem *Novis Literariis Oct. 1706. p. 339.*

§. III.

Nec minus aliae hinc inde Societates, eundem ſibi ſcopum, non illaudabilem certe, praefixum habentes, enatae. Ex quibus duas tantum adduxiſſe jam ſufficiat. Sic Brunſuici An. 1705. quosdam literatorum ad alendas poſt eorum fata viduas & orphanos Societatem Antonio Vlrico, Brunſuicenſium ac Lüneburgenſium Principi, ut ratam eam eſſe juberet, obtuliſſe, ex Scripto eo nomine Germanico A. 1706. ineunte Brunſuici edito, tradunt, ejusque ſimul capita praecipua repetunt *Nova Literaria* citata *Mart. 1706. pag. 124. ſ.* Cui non multum abſimilis illa, quae *Collegii Philadelphici* nomine Waldheimii, Misniae oppido, a quinquaginta Concionatoribus Scholarumque moderatoribus Anno 1710. inſtituta, de qua typis publicis exſcriptae proſtant duae in forma quarta, ut vocant,

vocant, plagulae, hac inſcriptione: *Leges Collegii Philadelphici Waldheimenſis, quod diem ſuum genitalem proximo poſt Dominicam Miſericordias Domini, utpote tertio Nonas Maji Anni M DCC X. diei, debet:* niſi quod in membrorum partim numero, partim in ſorte ipſa diſcrimen aliquod ſeſe prodat.

§. IV.

Atque huc pertinere omnino videtur Societas ante triennium, & quod excurrit, inter variarum Facultatum eruditos per Saxoniam, Thuringiam, Franconiam, Hennebergicum imprimis tractum, ſtabilita; quae ipſa anſam praeſenti Obſervationi, rationem ejus traditurae, ſuppeditavit.

§. V.

Equidem hiſtorica de eadem relatio, ſuperiori jamjam anno, lingua Germanica Dresdae in 4to, typis expreſſa proſtat, cujus integer titulus hic eſt: Hiſtoriſcher Entwurff und Bericht von der neuen aufgerichteten höchſt-erſprießlichen und nützlichen Societät der Chriſtlichen Liebe und Wiſſenſchafften, oder Charitatis & Scientiarum, nach dem Auctore Societas Chri-

Chriſtiano-Johannea genennet, als welche zum gemeinen Beſten, Beförderung guter Künſte und Wiſſenſchafften, nicht weniger zu fernerer Auferbauung eines wahren und thätigen Chriſtenthums, wie auch Beybehaltung eines lobwürdigen Andenckens aller darinnen begriffenen Membrorum, ſo wohl Mecaenaten als auch Collegen, welche aus allen Facultäten etlicher Gelehrten zur Zeit in Sachſen, Thüringen, Francken und Henneberg &c. beſtehen, zugleich aber zu nützlicher Verſorgung derer Membrorum Societatis Wittwen und Kinder aufgerichtet und fundiret iſt in Sachſen, Naumburg. Henneberg. Schleuſingen 1713. Dreßden, druckts Jacob Harpeter 1715: Juvabit tamen & Latina lingua, quae eruditorum propria cenſetur, eandem in compendium redactam legere, inſperſis ſubinde nonnullis, quae in relatione ipſa aut memorari commode non potuerunt, aut certas ob cauſas tum quidem praetermiſſa adhuc fuere, nihilominus, ut in plurium notitiam perveniant, Reipublicae litterariae omnino intereſſe arbitramur.

§. VI.

Coeperat de ea erigenda jam An. 1709. cogi-

cogitare ad Muldam habitans Vir quidam non pietate minus, quam eruditione inſignis, ſcriptisque, maximam partem ad beatum ex hac vita diſceſſum ſpectantibus, jampridem editis clarus. Qui cum inſtitutum hocce doctis quibusdam amicis aperuiſſet, ac praeter ſpem plerisque, impenſius etiam operam pollicentibus, probari animadvertiſſet, alacrior ad rem gerendam factus, A. 1712. Praeſidem, aliosque, qui novam hanc Societatem, pluribus jam membris auctam, conſiliis juvarent, quaeſivit. Hic vero tantum aberat, ut onus illud imponi ſibi quisquam pateretur, ut omnes potius, Collegis praeſertim aliquot partim mortuis, partim incendio graviter afflictis, conſtanter abnuerent, ipſeque interim Auctor diem ſuum obiret. Cujus morte ad Medicum apud Dresdenſes celeberrimum Societatis cura inſpectioque devoluta, qui precibus multis flagitationibusque *Samuelem Steuerlinum*, Medicum Provincialem Numburgo-Henneberglcum, Phyſicumque Schleuſingenſem arte experientiaque inclytum, tum & Academiae Leopoldinae Imperialis Naturae Curioſorum Collegam, eo demum perduxit, ut primi munus Praeſidis ad tempus

ſaltem

ſaltem ſuſciperet, Theologosque duos magni nominis Conſultores, tum Adjunctum ſuperiorem, aliosque ſingulorum Circulorum Adjunctos, ac demum Secretarium Societatis conſtitueret. Intantum interim, ubi de progreſſu certiores multi fuiſſent facti, excreverat membrorum numerus, ut jam completus videretur, nec quicquam amplius reſtaret, niſi ut Leges emendatae publicarentur, & Protector Societatis, quem tantisper certe, dum aerarium in Principatu Hennebergico eſſet, Serenisſimum Ducem Saxo-Cizenſem, Mauritium Guilielmum exorare decreverant, eligeretur.

§. VII.

Ex quibus patet, ſcopum Societatis hujus, praeter bonarum artium ac ſcientiarum incrementum, unice eo tendere, ut eruditorum defunctorum viduis ac orphanis proſpiciatur, eorum Scripta, Libri, numismata, inſtrumenta Mathematica, aliaque rariora conſerventur, ac denique vitae ipſorum laudabiliter peractae memoria typis publicis ad poſteros propagetur. Quem in finem ſingula ejusdem membra ordinarie duos quotannis Thaleros, &,

quoties Collegae Societatis hujus mors evenit, duodecim Groſſos aerario inferre tenentur. Cui augendo etiam Mecaenatum ac Patronorum liberalitas, Sociorumque ſcripta, aliaque arcana atque artificioſa inventa, non parum inſervient.

IIX.

Leges numero XXV. concernunt partim Societatem ipſam, omniaque in univerſum ejus Membra, partim Conſultores, Praeſidem, Adjunctos, Secretarium, & cujuslibet inſimul officium, partim aerarii adminiſtrationem atque incrementum. Eas omnes recenſere ſupervacuum nunc quidem arbitramur: praecipuarum tamen ſumma haec eſt: Integra Societas conſtat *Mecaenatibus* illuſtri loco natis, ad minimum 6 Imperiales, vel alia etiam Legata conferentibus, unde pauperiorum filiis ſtudiis addictis Stipendia vel Viatica ſolvantur; *Membris Ordinariis*, omnium Facultatum Eruditis, quorum tamen numerus ultra 50 aut 60, aetas ultra annos 50 non exſurgit; & *Expectantibus*, quorum numerus non definitus, Thalerum unum pro inſcriptione numerantibus, eo, quo inſcripti, ordine in Membrorum ordina-

riorum numerum recipiendis. Sigillum Societatis exhibet cranium ſive calvariam, unde ariſtae atque flores enaſcuntur, addito ſuperius nomine יהוה radiis incluſo, cum epigraphe: SOCIETAS CHRISTIANO-IOHANNEA IN SOLATIVM MORIENTIVM, ET SALVTEM VIVENTIVM, & Symbolo: MEMENTO CHARITATIS ET MORTIS. Quodvis Societatis membrum pro muneris ſui ratione inventum quoddam aut elaboratum dabit communi utilitati inſervitururn, in Theologicis, Jure, Medicina, Philoſophia, Hiſtoricis, Philologicis aut Mathematicis.

§. IX.

Beneficia haec ſunt: Membri Societatis defuncti Viduae aut orphanis primo receptionis anno ad ſepulturae impenſas numerantur duodecim Thaleri, ſecundo tredecim, & ſic porro, ita tamen, vt ultra viginti & unum Imperiales non excreſcant. Quinque annos ſi quis ſocietati interfuerit, & praeſtanda praeſtiterit, quinque praeterea quotannis, ubi ſeptem annis membrum fuerit, ſex, & ſic porro ad duodecim usque Imperiales in ſolatium viduis ac orphanis ex communi aerario ſolventur. In

 quo

quo tamen Conſultorum, Praeſidis, Adjunctorum, aliaque ratione de Societate bene meritorum, tum & illorum Membrorum, quorum res anguſta domi in vulgus nota, peculiaris ratio habebitur. Nec minus ubi defunctor. filiis gradibus Academicis ornari contigerit, aut filiae eruditis nupſerint, ſex Imperialibus, ubi alii vitae generi ſe manciparint, duobus ſaltem donabuntur. Porro & illorum Collegarum, qui vel belli, vel incendiorum, vel diluviorum, vel peſtis calamitate graviter afflicti, vel aliis malis, ſine culpa ſua, ad incitas fuerint redacti, ſi per quinque annos integros ſymbolas contulerint, damna, quantum pro aerarii modo licebit, levabuntur.

§. X.

Haec vero omnia vel ipſius Membra Societatis ἄτεκνα, vel defunctorum liberos, qui Beneficii hujus tulerunt fructum, ubi honoribus, vel haereditatibus, vel alia ratione opibus fuerint aucti, eo magis inſtigabunt, ut Collegarum pauperiorum liberos educandos ſuſcipiant, aut aerarium dono aliquo vel legato locupletent, Manuſcriptum etiam aliquod, aut librum egregium Societati relinquant, ab haeredibus

dibus ei tradendum. Quod ſi Collegarum quispiam ipſe libros ediderit, ſingulorum exemplar unum eidem donabit: quorum deinceps omnium, juſto a Praeſide ac Secretario catalogo comprehenſorum, uſus Collegis concedetur.

§. XI.

Singulari juramento Praeſes pariter ac Secretarius Societati obſtringuntur, ut de fide ipſorum eo minus dubitari queat. Aerario ille, quamdiu vivit, praeeſt; nec tamen ſolus illud aperit aut claudit, ſed Adjuncto ſemper aliquo aut Secretario praeſente, qui & nomina, ubi opus eſt, ſimul ſubſcribunt. Idem, Collega defuncto, orphanorum curam vel ipſe ſuſcipit, vel membrum eo nomine aliquod eligit, quod auxilio iis praeſto ſit; de cetero in caſibus dubiis Conſultores & Adjunctum ſuperiorem ſ. primarium, quorum conſilio utatur, ad manus habet. Conſultores, Praeſes Adjunctique ſecundum Circulos una cum Catalogo Membrorum alphabetico ordine deſcripti ſingulorum ſuffragiis eliguntur. Conſultores non conſilio ſolum adſunt Praeſidi, ejusque vices gerentibus, ſed & rationes inſimul adminiſtrati aerarii

cum Adjunctis examinant, easdemque ſubſcriptione ſua probant. Fatis ubi Praeſes functus fuerit, aut aliis de cauſis munus depoſuerit, Adjunctus interim primarius ſimul cum Adjuncto alio, eadem cum Praeſide urbe habitante, tantisper certe dum novus Praeſes eligatur, ſicut nec minus abſentis ejus munus ſuſtinet, inque dubiis caſibus cum Praeſide pariter ac Conſultoribus decernit, Sereniſſimi etiam, in cujus terris Praeſes aerariique adminiſtratores degunt, tum & Conſultorum, Praeſidis ipſius, Adjunctorum atque Secretarii defunctorum elogia vitasque deſcribit. Reliquorum Collegarum mortuorum vitas reliqui Adjuncti exponunt, typisque ſumtibus Societatis excudendas tradunt, ita tamen, ut ultra duas plagulas ſingulae non extendantur, rationes porro ab his, qui fiſcum moderantur, ſibi transmiſſas accurate perluſtrant, nominibusque ſuis ſubſcriptas Conſultoribus, Praeſidi, Adjunctoque primario, ut ratas eas eſſe jubeant, tradendas curant. Membra Societatis ſingula, addito cujusque receptionis anno atque die, ordine conſignat Secretarius, & praeter jam ſuperius memorata, Acta Societatis ſedulo colligit, tum & alia, quae opus ſunt, notat.

§. XII.

§. XII.

Apud ejus, in quo habitat, Circuli Adjunctum nomen primum, munus, aetatem, liberorumque numerum literis ſcriptis profiteri tenetur, qui in Societatem hancce cooptari cupit. Cujus ſi petiti compos fiat, & nomine & ſigillo legibus ſubſcribit. Receptus ſi quando a Praeſide, viduae aut orphanorum Collegae defuncti Proviſor fuerit conſtitutus, quae ſui muneris ſunt, ſtrenue obſervat, ac de cuſtodiendis ejus MSCptis, Bibliotheca, Numismatibus, Inſtrumentis Mathematicis, aliisque rarioribus, eſt ſollicitus.

§. XIII.

Ex illo, quo Societas haec floruit, tempore ad praeſentem annum tres jam Collegae fatis conceſſerunt. Primus *Chriſtianus Junkerus*, Dreſdenſis, Sereniſſ. Saxon. Ducum Hiſtoriographus, & Illuſtris Gymnaſii Altenburgenſis Director, † d. 19. Jun. 1714. alter *Henricus Neubauer*, Diaconus Ilmenavienſis, † d. 23. Dec. ejusdem anni: tertius denique *Johannes Kieslingius*, SS. Theol. Doctor, Paſtor & Superintendens Bornenſis, laudatae Societatis Adjunctus, † d. 12. Jun. 1715. v. *Miſcell. Lipſ. T. I. p. 380.* Singulorum vitae juxta Leges Societatis lin-

lingua Germanica, illius quidem ab *Immanuele Schadio*, Illuſtr. Gymnaſii Siluſiaci Rectore, Circuli I. Adjuncto; iſtius a *Salomone Deylingio*, Theol. Doctore, Paſtore ac Superintendente Pegavienſi, Circuli III. Adjuncto; hujus denique a *D. Davide Chriſtiano Valthero*, Conſiliario & Archiatro Schœnburgico, S. R. I. Academ. Caeſar. Leopold. Nat. Curioſor. Collega, & Practico Dresdenſi, Adjuncto Societatis hujus Primario, deſcriptae prodierunt.

OBSERVATIO LXIV.

ſiſtens

Reſponſionem M. IOAN. AUGUSTINI EGENOLFI, ad dubia Dn. M. Polycarpi Lyſeri.

§. I.

Publici juris quicunque ſua ſcripta faciunt, non omnes unum eundemque finem habent. Sunt, qui alios doce-

docere ſtudent, ſunt vero etiam, qui tantum in rei veritatem inquirere, alioſque ad idem, cui dediti ſunt, ſtudiorum genus excitare laborant. In poſterioribus, non in prioribus ego nomen meum profiteor. Gratisſimum proinde mihi fecerunt, quicunque dubia ſua circa meas de lingua Germana meditationes literis amice mecum communicarunt, aut etiam typis exprimi curarunt. Inter hos facile chorum ducit Cl. Dn. M. LYSERVS, Ampliſſ. Facult. Philoſophicæ in Academia Vitembergenſi Adjunctus dignisſimus, cujus dubia contra Hiſtoriam meam patriæ linguæ leguntur in *Miſcellan. Lipſienſibus, Tom. II. Obſerv. XXXVIII. p. 541.*

§. II. Equidem nec Dn. Autor, nec quisquam alius inficias ibit, dicta hæc dubia non omnia eſſe ejusdem momenti, quare reſponſione ad ſingula, vel ſuperſedebo, vel eam differam, usque dum commodior occaſio ſeſe obtulerit, & paululum otii mihi acceſſerit. Sic in derivatione Vocabulorum Germanicorum a vetuſtisſimis Celticis mea pace diſſentiat Cl. Dn. Lyſerus. Neque enim diffiteor, me magis exempli cauſa, vtque rationem meam in deducendis vocibus explicarem, exem-

plum de vocabulo V T cap. 3. libelli mei adduxiſſe, quam quod ſtatuerem, neminem ſalvo nomine eruditi aliter ſentire poſſe. Præterea monitus a Patronis & viris doctis, ipſe non nihil forte mutabo in meo derivandi modo. Quod tamen addit de voce SCHÜTTEN, non ignarus erit Cl. Vir, Septentrionalem Germaniæ plagam & inferiorem Saxoniam, non minus diverſis dialectis ſcatere, quam aliæ regiones iisdem repletæ ſunt. Probe novi, dictam vocem Brunſvicenſibus, aliisque horum vicinis eſſe obſcœnam; neque tamen etiam mihi obſcurum eſt, in Weſtphalia, quin ipſa partim Hollandia & Friſia, SCHÜTEN vel SCHÜTTEN idem valere ac Miſnicum SCHIESSEN. Quid, quod Hollandi, aſteriſmum illum, quem vulgo *Sagittarium* vocamus, SCHÜTTER appellare ſoleant? Germanos & Brachmanos, vel ut alii ſcribunt, Germanes & Brachmanes, non Perſarum, ſed Indorum fuiſſe Philoſophos, Dn. Lyſero monente, ingenue fateor. Regulam meam III. doctiſſimus Vir forte non impugnaſſet, ſi me ego ſatis explicuiſſem, atque addidiſſem; me in illa de *linguarum genio*, in Quarta vero de *nudis vocibus* agere. Ceterum mea

parum

parum intereſt, tempusque perderem, ſi anxius, ampliore bibliotheca deſtitutus inquirerem: quis fuerit *Annius* ille *Vetulonius*, cujus nullam aliam feci mentionem, quam quod nomen ejus in Schottelio me legiſſe teſtatus ſum. Atque ita etiam de cæteris levioribus dubiis ſentio.

§. III. Sed ad duo, eaque primaria, in præſentiarum reſpondebo. Profertur prius illorum his verbis: *p. 46. Videtur Quæſtio cap. IV. eſſe ſupervacanea, quippe quam nemo unquam affirmavit*, vid. Miſcell. Lipſ. Tom. II. p. 549. Putat igitur Cl. Dn. LYSERUS, 1.) quæſtionem, quam ventilavimus cap. IV. libelli mei, plane inutilem eſſe & ſupervacaneam. Statuit 2.) quoque neminem vnquam credidiſſe, ſtatuiſſe & ſcripſiſſe; quod hodiernæ linguæ, earumque initia, in confuſione Babylonica orta ſint. Alius forte moleſte ferret hoc dubium, quod plane explodere videtur omnia mea principia. Legerat enim ſine dubio Dn. Lyſerus, me in Præfatione opuſculi confeſſum eſſe, quod vnicus meus in conſcribenda hac prima parte ſcopus fuerit, vt probem: initia linguarum Europæarum non apud conditores turris Babylonicæ quærenda eſſe. Mihi vero illud

eſt

eſt longe acceptisſimum, quoniam ex hoc cognovi, hac in re virum doctum ita mecum ſentire, vt dubitet; an contraria opinio ab aliquo vnquam erudito defenſa ſit. Equidem difficile eſt, affirmare: neminem fovere vel foviſſe aliquam ſententiam, cum vita hominis non ſufficiat, ad omnes legendos librorum auctores, qui vel ad hoc, vel ad illud eruditionis genus animum applicarunt, neque vel inſtructisſima bibliotheca ſingulos exhibeat. Sed nos ad rem progrediemur.

§. IV. Quæſtio igitur dicti capitis IVti p. 46. ita ſe habet: *Ob die heutigen in Europa bekannten Sprachen bey dem Thurm-Bau zu Babel und erfolgten Straffe entſtanden?* Hanc quæſtionem p. 48. ita repeto & expono: *Ob der Urſprung der Teutſchen, Griechiſchen, und anderer Europæiſchen Sprachen, bey dem Babyloniſchen Thurm-Bau zu ſuchen ſey?* Quilibet exinde videt; me *non de linguis recentioribus*, qualis Hiſpanica & ſimiles, neque primario de linguis excultis, ſed de illis, quae *pro antiquisſimis vel matricibus*, vt nonnulli loquuntur, vulgo habentur, deque eorum exordiis, loqui. Sed forte hoc offendit Dn. Lyſerum, quod pag. 84. dixi: *Wer derohal-*

halben &c.&c. At hoc non niſi corollarium & conſequens eſt. Si enim nec Germana, nec Græca, aut Latina lingua in illa confuſione orta, multo minus illud de harum filiabus ſentiendum erit. Ad hanc itaque quæſtionem negative reſpondeo, atque ita tacite diſſentio ab omnibus, qui quærunt linguarum dictarum primordia in Babylonia. Hoc quod vnquam aliqui fecerint, Dn. Lyſerus claris, vt dixi, verbis negat.

§. V. Sed miror, ipſi non veniſſe in memoriam, quod ſine dubio legerat in Polyhiſtoris Saxonici noſtri doctiſſimo libro *de Cauſis Lingu. Hebr. pag. 10.* vbi Summe-Rev. Dn. Autor ſatis ingenioſe ita diſſerit: *Neque tamen ideo accedimus pervulgatæ multorum opinioni, qui in confuſione novas plane linguas, inauditis radicibus inſtructas, & cum primigenia nullo pacto convenientes prodiiſſe credunt. Nos vim verborum ſacrorum exacte retinentes confuſionem modorum loquendi factam credimus, quæ variis omnino modis accidit: Initio quidem* RADICUM INVERSIONE; *ſic cum radix* אב AB *lingua primæva* PATREM *notaret, retinuere illam quidam, qui in Oriente ſubſtiterunt, indeque ſuum* ABBA *formarunt;*

marunt; inverſa vero voce illi, qui poſtea migrando Celtæ Jonesque dicti ſunt, BA vel PA dixerunt, unde Celtarum PATER, Vater, FATHER, & Ionum ΠΑΤΗΡ, nec non familiare illud PAPA, PAPAS, PAPE, Pfaffe, deſcendunt. Porro VNIUS LITERÆ IMMUTATIONE: Sic qui in Scythicum orbem diſceſſerunt, poſito T pro B, in poſterum pro AB, AT dixerunt, a qua voce appellationes patris inter Scythicas gentes ATTA, ATTYA Hungarorum, OTEC Bohemorum, & OTACZ Dalmatorum, nec non familiare illud TATA originem trahunt. Deinde IN IPSA RERUM DENOMINATIONE enata confuſio eſt, dum quidam priſcæ earum appellationis obliti, alias ex proprietate aliqua rei, quæ nominanda erat, petitas ſubſtituerunt; ut, ſi quis pro lepore diceret, non ſuccurrente alio nomine, celeripedem. Et tandem ita pag. 12. concludit: Itaque rebus diligentius conſideratis exiſtimamus, ex confuſione Ebrææ linguæ ſequentes initio ſtatim enatas, quæ ab Hebræa latius diſceſſere, Celticam, filiorum Gomeri; Scythicam, poſterorum Magogi; Ionicam, natorum Javanis; Ægyptiam prolis Mizrami; Africam, nepotum Puti; Lydiacam, Nepotum Ludi, ac forſan alias quasdam;

dam; tum nonnullas Ebrææ magis affines; nempe Arabicam veterem inter Luſitas; Aramæam, cujus Geneſ. XXXI, 47. mentio fit, inter Aramitas; Perſicam inter Elamitas.

§. VI. Fere eadem ſentit Clariſſ. BORRICHIUS, *de cauſis diverſitatis linguarum,* ubi §. 5. initia plurima linguarum in hac extructione orta eſſe docet, non vero ipſas linguas, quæ ſucceſſu temporis tales factæ ſint. Deinceps §. 17. ſtatuit; in ſola Europa ad minimum 17. ejusmodi matrices vel fragmenta linguarum exiſtere, quæ antea exorta Babylone dixerat, vt Græca, Latina, Germana &c. Adducunt laudati viri multos & Eccleſiaſticos & Profanos ſcriptores, qui numerum linguarum in Babylonia ortarum definiunt, e quibus vnum tantum alterumve nobis licuit evolvere, & obſervavimus; quod citatorum virorum ſententiæ adſtipulatæ ſint verbis perſpicuis. Notata quoque eſt eadem opinio, quod ſcilicet multi putent, initia diverſarum linguarum quærenda eſſe in confuſione Babylonica, a RICARDO SIMONIO, verbis paululum liberioribus. Ita ille poſt cætera, in *Hiſtor. Cr. Vet. T. p. m. 80* dicit: *Sic ergo cum Nyſſeno linguarum confuſionem ad ipſum Deum referre poſſumus,* theo-

theologice loquendo, hominibus vero adſcribere ſecundum rei veritatem. Ubique regnat ſtylus iſte; *in Exodo Deus ait: ſe induraturum cor Pharaonis, ibidem tamen legitur: ſuum cor Pharaonem induraſſe.* Maxime vero mirum, quod Dn. Lyſerus non perrexerit legendo in dicto libelli mei cap. IV, vsque ad pag. 49, vbi vel P. citatis Kirchmayeri verbis intellexiſſet; me non fictam impugnare ſententiam. Quod ſi ipſi vel alii cuipiam volupe ſit, plures idem cum modo nominatis ſentientes evolvere autores, ille multos inveniet citatos in SCHOTTELII *Orat. III. in laudem Linguæ Germ. p. m. 62. ſeqq.* Juvabit quoque addere MORINI *Exerc. de lingu. Prima cap. 8. p. m. 38. ſeqq.* & WALTONUM *Diſſert. de linguis Orient.* §. 2. &c. &c.

§. 7. Alterum majoris momenti, quod Dn. LYSERI primum eſt ſtatim dubium, p. 13. & in Miſc. Lipſ. l. c. p. 547. hoc eſt: *Equidem de libris non lectis nec judicium ferre ſoleo. Videtur tamen pars operis Egenolfiani ſecunda literas Europæas omnes a Japheto ducere non poſſe. Nam literæ noſtræ debentur Romanis. Horum literæ Græcis, qui rurſus ſuas ex Aſia acceperunt a Phœnicibus.* Vt in priore dubio primam

par-

partem meæ hiſtoriæ exagitare videtur; ita hoc ſecundam, quæ volente Deo brevi proditura, in expoſitione literarum Japheticarum, id eſt, Runicarum maxime occupata erit, in qua ſententiæ meæ argumenta pluribus videbit. Interim paululum liberius Dn. Lyſerus aſſerit: *nos a Romanis accepiſſe literas*; quaſi hoc effatum tam certum ſit, vt nemo vnquam ei contradicere conatus ſit. Sed nos idem breviter examinabimus. Si omnia concedo, fabulis fidem habeo, & optimos Chronologos ſequor, Cadmus intulit literas Græciæ ſeculo a M. C. 25. At quicunque vel levi, quod ajunt, brachio examinabit cippos, quos RUDBECK, WORMIUS, aliique ſuppeditarunt, plurimos inter illos reperiet, multo majorem indicantes antiquitatem, quam dictum ſeculum, ab O. C. 25, & ad minimum, tria ſecula antiquiores quosdam eſſe obſervabit. Citari meretur hoc loco JOHANNES MAGNUS, qui libro 7. cap. 1. Hiſtor. ſuæ ita loquitur: *Eximiæ magnitudinis ſaxa veterum buſtis ac ſpecubus apud Gothos affixa, literarum formis inſculpta, perſuadere poſſunt, quod ante diluvium univerſale, vel paulo poſt, Gigantea virtute ibi erecta ſint.* Adducit hæc verba ſuo e fratre

OLAUS MAGNUS, Hiſtor. de gent. Sept. L. 1. cap. 36. hæc addens: *Ab antiquiſſimo tempore, hoc eſt, longe ante inventas literas latinas, & antequam Carmenta ex Græcia ad oſtia Tyberis, & Romanum ſolum cum Evandro perveniret, expulſisque Aborigitibus, gentem illam rudem ac plane ſylveſtrem mores & literas doceret, habuerunt Aquilonaria regna ſuas literas.* Juvabit quoque addere id, quod ex AVENTINO narrat SCHOTTELIUS Orat. VII. p. m. 79. Nimirum Darii cujusdam tempore Germanos Perſarum legato (Germanas) ad Darium dediſſe literas, hujus argumenti: „Germanos Perſarum Cæſari nil niſi lachrymas, dolorem, & omnia mala apprecari, mox miſere bacchaturos in ipſius „caput. Idem SCHOTTELIUS e Claudio Dureto adducit, fuiſſe quendam Epiſcopum Toledanum, SALICÆUM nomine, *qui a cru*, ut propria ipſius verba addam, *que l' Alphabet des lettres des Goths â été le premier des premieres, & des plus anciennes lettres*, e cap. 71. ejusd. Dureti adducit p. 80. hæc verba SCHOTT. *qu' un certain nommé Waſtbald auroit ecrit leur fait & geſtes de 758. ans, en leur propre langue, & ez Characteres tels, que nous*

les

les repreſentons cy aprés. Quos tamen characteres Schottelius non addit. Jungit verba cujusdam Juris Conſulti, nomine WEHNERI, quem in præfatione Cameralium ita loqui ait: *Lingua Germanica a Lingua Latina tum imprimis a literis & notis latinis omnino aliena & diverſa fuit, utpote quæ proprias ac Romanis incognitas quasdam contineat literas & diphthongos peculiares.* Concludit tandem AVENTINI & STEVINI conſenſu & ſuffragio prolixiore. Nos finem teſtimoniorum facimus verbis LAZII, quæ habet Lib. VIII. p. m. 451, de M. G. *Non audiendi*, inquit, *ſunt, qui ante annos 300 primum omnium linguam noſtram ſcribi ſolitam exiſtimant.*

§. VIII. Rationi eſt maxime conveniens traditio, (cujus veritatem alibi prolixius exponemus,) quam habent Islandi, conſervatores antiquitatum præſtantiſſimi, quippe primos Scandaviæ incolas non niſi duodecim literas ex Oriente ſecum adduxiſſe, quæ deinceps auctæ, ſucceſſu temporis ad XVI ſive numerum veterem creverint literarum Græcarum, quarum notitiam Septentrionales jam olim habuiſſe TORFÆUS demonſtravit. Literas illas, quibus vulgo in libris noſtris vtimur, a

Gothicis ortas notum eſt, & hoc probatur, quod Galli, Angli, Belgæ, aliique has, quibus nos perpetuo, Angli vero & Belgæ quandoque vtuntur, vulgo vocitent *Gothicas*. Hoc nomen vero ab eo tempore in vſu fuit apud exteros, præcipue vero Romanos, quo ULPHILAS N. T. in Gothicam linguam tranſtulit, quod hodienum habemus; id quod HIKESIUS aliique, qui de hac re ſcripſere, pluribus expoſuerunt.

§. IX. Quæritur vero: Unde acceperit *Ulphilas* literas? illum ipſas e vetuſtisſimis runicis efformaſſe, (quamvis nonnullas earum ad formam Græcarum literarum accommodaverit, alias quoque addiderit) jam olim probarunt Viri in hac literatura præſtantisſimi, e quibus nonnullorum juvabit addere teſtimonia. VOSSIUS de Art. Gramm. Lib. 1. cap. 9. inquit: *Lubens quidem illud dedero, quod Ulphilas Gothicas literas dicitur inveniſſe, id ex eo profectum videtur, quod antequam ille Biblia in Gothicam linguam tranſtuliſſet, paucis ex ea gente literæ erant cognitæ, ac propterea nec habere illas nationibus aliis crederetur.* Clarius VULCANIUS Lib. de literis & linguis Get. & Goth. p. m. 3. *Ego vero*, ait, *pace horum*

*borum auctorum Geticarum literarum vſum apud Getas longe ante Gulphilæ * tempora viguiſſe exiſtimaverim; ſed per Gulphilam Romanis primum innotuiſſe, quippe qui in linguam Gothicam Biblia ſacra converterit.* Facit quoq; huc locus HRABANI MAURI, Abbat. Fuldenſis, (cujus librũ de inventione linguarum inſeruit rebus ſuis Alemannicis Tom. II. p. m. 67. ſeqq. GOLDASTUS,) quanquam paululum obſcurus. *Literas*, ait, *quibus vtuntur Marcomanni, quos nos* Nordmannos *vocamus, infra ſcriptas habemus: a quibus originem* (ſcilicet ſi literas earum ſpectes,) *qui linguam Theodiſcam loquuntur, trahunt, cum quibus carmina ſua, incantationesque ac divinationes ſignificare procurant, qui adhuc paganis ritibus involvuntur.*

§. X. Sed optimus modus eſt convincendi animum ad rejiciendam inveteratam illam multorum opinionem, Germanos accepiſſe a Romanis literas, ſi antiquisſimas inſcriptiones ſedulo luſtramus oculo, atque conſideramus, quomodo vetuſtisſimæ runæ ſucceſſu temporis auctæ, contractæ, abbreviatæ, quod vulgo vocant,

 &

* Sic vocat Ulphilam.

& eo ipſo mutatæ ſint, donec ex illis Gothicæ, eque his Germanæ literæ provenerint. Quod ſi vero aliquis eorum copiam habere non poſſit, legat ſine præjudiciis *cap. 38. Atlanticæ Rudb. Tom. I.* & ſine dubio nobiscum ſentiet, quando ibi non modo Græcas & Latinas, ſed & Samaritanas & Punicas e Runicis deductas ingenioſe ſatis, nec forte minus vere, videbit. Obiter notamus noſtram de runis ſententiam, jam ante probatam eſſe ab OLAO VERELIO, Linguarum Sept. Profeſſ. Upſal. in Runographia ſua, qua ſe oppoſuit CONRINGIO, eandem cum Dn. LYSERO defendenti ſententiam. Ipſa eorum ſcripta nunquam vidi, ſed aliqualem controverſiæ hiſtoriam legi non ita pridem in RUDBEKII *Atlantica Tom. I. cap. 38.* §. 3. Conf. quoque Miſcell. Lipſ. Tom. I. Obſerv. XX. p. 250.

OBSER-

OBSERVATIO LXV.
IOAN. FRIDERICI WEIDLERI,

Math. Profeſſoris in Academia Vitembergenſi,

De

Aurora Boreali d. XVII. Mart. anni præſentis veſperi conſpecta.

NOn immerito nuperi borealis & veſpertini luminis ſplendor, tot, a quibus ſpectatum eſt, doctorum pariter ac indoctorum hominum conuertit in ſe admirationem. Oſtentauit enim, ſi quod aliud antea notatum eidem ſimile phaenomenon, ſingularem planeque ſtupendam fulgurantis materiae copiam, quae eo, quo claruit, tempore, vix ad ſuperas atmoſphaerae noſtrae regiones ſe recipere potuiſſe videbatur. Cum igitur etiam poſteritatis cauſa vtile cenſendum ſit, ſi plures ſpectaculi infrequentioris fide dignae obſeruationes conſeruentur; non veritus ſum, ea curioſis rerum naturalium ſcrutatoribus offerre, quae hic VITEMBERGAE a multis paulo attentius curatiusque notata ſunt.

I. Coepit, quantum reſcire potui, ſemihorio

 poſt

poſt horam VII. veſp. praeterlapſo, d. XVII. Mart. 2. Tota ferme coeli regio a Cauro (N. W.) in Borrhapeliotem (N. O.) nitore peregrini & inuſitati luminis reſplendeſcebat. 3. Idem tamen non vbiuis forte & aequabile, ſed maximam partem pallidum & tenue, multisque paſſim nubibus turbatum, apparebat. 4. Nubes tum, ob aeris a laudata regione in Borrhapeliotem effuſi impetum, inſtabiles, nonnunquam euadebant rariores; quandoque contra accumulatae, ſpiſſiores & obſcuriores reddebantur; perque nubes maxime rariora earundem extrema, borealis aurorae albor translucebat, quemadmodum Idem ſeſe contingit, cum Luna, poſt nubes haerens, ſuos per eas radios vehementius eiaculatur. 5. Arcus horizontis extremis ſuis innixi figura, alibi viſa, apud nos notata non eſt; obſidebant potius vtriusque finitoris plagas, frequentes ventisque varie coagmentatae, & mox rurſum diſtractae nubes. Praeterea erat lucida regio latior, circa quam curuatura zonae cuiusdam accurate terminatae aut parallelis ſegmentis definitae, qualem alii referunt, haud potuit hic loci obſervari. 6. Ex illo autem poſt nubes lucido tractu, fulgurationes omnium maxime mirabiles, ſequenti naſcebantur ratione. Scilicet, ſurgebant illae inſtar columnarum clariſſimo & fortiori lumine conſpicuarum; quae latitudinem brachio aequalem vbiuis fere eandem mentiebantur, & ab horizontis ſeptentrionali Cardine verſus Zenith protenſae longitudinem 12 vel 16 pedum apparentem monſtrabant; quales ſimul

mul tres, quatuor, nonnunquam & quinque vel ſex, non ſine contuentium ſtupore aliquoties emanabant, & non ſolum, vt dixi, a finitore verſus verticem, ſimili, quo ignes artificiales ſiue pyroboli, ſupera petunt, aequabili motu, tendebant; ſed etiam, parallelo, quo gaudebant, ſitu ſeruato, quaſi venti cuiusdam vi propulſae in Borrhapeliotem vertebantur. 7. Quamvis autem iam antea ex nubium, quae ſaepius lucido tractui obducebantur, obſcuriorum motu ſatis manifeſto intelligi, & oculis quoque diſtingui poſſet, quod lucis fons & ſedes multum ſupra nubium regionem eleuetur: idem tamen adhuc euidentius comprobabant longiores antea laudatae fulgurationes: hae enim aliquoties a transuerſa nubecula impeditae, vel potius tectae, ſeruato conſtanti motu & directione priori, poſt eam rurſum emergebant, atque ita manifeſtisſima dabant nubium infra poſitarum indicia. 8. Lucidi tractus medium ſeptentrionali cardini fere reſpondens ab horizonte diſtabat circiter 34°, & inde fulgurationes aſcendebant ad 39 & 40°. 9. Poſt Fulgurationes aliquoties obſeruatas, ſenſim paulatimque imminuebatur vigor lucis; fulgurationes deinceps ſequebantur paucae & imbecilles, & ſolum tractus laudati nitor aliqualis, vsque ad matutinum diei ſequentis tempus durabat. 10. Vigente adhuc memorato ſplendore, iſtiusmodi in plateis & locis patentioribus claritas oborta eſt, vt in conclaui ſeptentrionem ſpectante, extincta candela, menſae & [illegible] potuerint diſcerni [illegible] Affirmabatur a mul-

 tis,

ſis, praeteriti diei pomeridiano tempore tonitrua quaedam fuiſſe audita. 12. A militibus ſtationariis etiam d. 23. Mart. circa mediam noctem, ſimile verſus boream lumen, ſed tenue & paucum, quod poſt lenes fulgurationes mox euanuit, viſum eſt. Iüterbogae autem, noctis, paraſceuen Paſchatis inſecutae, hora 2. matut. praeter opinionem, comparuerunt primum in coelo nubes, nucleo obſcuro & margine valde lucido, quales & d. 17. Mart. plures conſpiciebantur, praeditae, has ſequebatur in ea regione & nitor notabilis, & aliquot, non diſſimiles nuperis, fulgurationes, quae poſt ſemihorium ceſſabant. De qua apparitione amicus quidam me reddidit certiorem, qui ex obſeruatorum ore, phaenomenorum conditionem paulo curioſius ſciſcitatus, illa relata accepit; idemque poterat ea omnia ex plebe percontari diſtinctius, quia nuperam auroram borealem diu diligenter fuerat contemplatus.

Haec de obſeruationibus *Vitembergae*, & in Vicinia noſtra, habitis explicata ſufficiant. Poteram nunc ipſius quoque ſpectaculi naturam & cauſas rimari & exponere; ſed idem ſatis iamiam abunde praeſtiterunt Celeberrimi ingenioſiſſimique Viri Dn. Conſil. WOLFFIVS, & Dn. D. WAGNERVS in peculiaribus pereruditis meteori memorati conſiderationibus. Pauca igitur tantum ſequentia ſuperioribus adiicio.

I. Colligimus ex dictis, copioſiſſimam fuiſſe lucis materiam, quae, poſtquam diuerſis temporibus ad ſupremas aeris noſtri regiones ſemper recepit,

cepit, & a vento, ignis particulas celerius agitante, & a ſolis, qui praeterito ſereno die luxerat, radiis validioribus, ſolui, motuque neceſſario inſtrui, ac deinceps nobis inſignia, quae vidimus, ſpectacula oſtendere potuit. Praecipue autem fulgurationes illae praegrandes ſolutae materiae elaſticae validam diffuſionem apertiſſime manifeſtabant.


II. Interea tamen omnino auxit ſplendoris vim, radiorum in vapores in frigida illa regione condenſatos, & quaſi congelatos, illapſorum reflexio; probe monente *Excell. D. Wagnero relat. ſuae p. 36.*

III. Altitudo φαινομένου ſingularis oculorum ſenſus obvia, inde etiam clare patuit, quia in tot longisſimo a ſe intervallo diſtinctis locis, eodem fere tempore viſum eſt. Conſtat enim idem & Edenburgi in Scotia, &, verſus meridiem, in extremis Occitaniae litoribus; verſus orientem vero Gedani ſimul eadem veſpera comparuiſſe. Iam ſi aſſumas Narbonam Occitaniae, cuius ſecund. *Ricciol.* Geogr. & Hydr. ref. p. 402. longitudo 25°. 20′. latitudo 43°. 6′. & Edenburgum cuius ſecund. eund. p. 397. longit. 19°. 12′. latit. 55°. 47′. deprehendes, (neglecto longitudinis leui 6°. 8′. diſcrimine) latitudinum differentiam 12°. 41′. quae conuerſa in milliar. Germ. dabit 190¼ mill. quam fere eandem diſtantiam reperio Gedani ab Edenburgo. Ex quo facili admodum negotio poſſet altitudo colligi, niſi refractionis in denſo aere maioris, quae multum phaenomenon illuſtre exhibuit, incertitudo obſtaret.

ret. Vnum quidem ſingulare, & non nimis latum, phaenomenon, á duobus ſpectatoribus, 12° diſſitis, viſum, elevandum ſupra terram eſſet 4. mill. Germanicis, vti calculus manifeſtat. Poſito puncto E, conſpicuo ſpectatoribus A & B, quorum diſtantia AB = 12°: erit DB = 6° = ang. DCB. cumque, vt aliunde notum, ang. B rectus ſit, erit alter DEB = 84°. ex quibus infero

vt Log. Sin. 84°.	9.9976143
ad latus 860.	2.9344984
	1.
Ita Sin. T.	
EC. prox. ad. 864. Mill.	2.9368841

ergo ſubducto ex EC radio DC, ſupereſt ED = 4. Mill. Germ.



Aſt nec ſingulare fuit nuperum lumen, ſed multi-

multiplex, & latisſimum; nec vno in loco haeſit: & ſpeciatim fulgurationes memoratae amplum aliquot graduum tractum peruagatae ſunt; vnde, mea ex ſententia, vix quarta altitudinis repertae pars nempe 1. mill. Germ. eidem concedenda videtur.

* * *

Poſtquam hae qualescunque obſeruationes iam in chartam coniectae, & Lipſiam transmiſſae erant: intelligo ex literis *Excell. Dn. Conſil. WOLFFII* d. 9. Iun. beneuole ad me datis, μετέωρον, nupero non abſimile, in Gallia a *Dn. Caſſini* d. 11. Apr. notatum fuiſſe; cum eodem tempore Iüterbogae, in eadem, quae ſeptemtriones ſpectat, coeli regione conſpiceretur. Quo ipſo rurſum euincitur, alte in atmoſphaera, a terra remotum, haeſiſſe fomitem ſplendoris: qui, ſi vel ex exhalationibus, nuper poſt incenſionem diffuſis, ſuperſtes, vel ex diſperſis rurſum collectus dicatur, non vtique meo iudicio aberrabitur. Diuerſam autem, diuerſis in locis, luminis materiam admittere non audeo; nam vnde illius copia, tam vaſtas aeris regiones occupans & illuſtrans, acquiri ex exhalationibus terreſtribus posſit, non video. Relatio Gedanenſis a *Cl.* PAVLO PATRE vulgata, de multiplici fulguratione materiae multa quidem habet, quae etiam, ex parte, hic loci obſervatis reſpondent: videtur tamen ſpectaculum Gedani noſtro paulo fuiſſe illuſtrius; & ſane apud nos nubium, illam, quae lumen monſtrabat, coeli regio-

regionem obſidentium quamplurimarum, & varie vento hinc inde commotarum, denſitas, magnam ſplendoris vim a nobis arcere & potuit & debuit. Ceterum deſidero, in breui illa relatione, altitudinis vt & plagarum accuratam determinationem; cuius notitia ad conditionem locumque phaenomeni rectius indagandum vtilis omnino eſt. Notari tamen praeter ea ex laudata relatione id debet; quod d. XXIII. Mart. aurora borea imbecilliori nitore imbuta redierit; quod item eodem die pomer. hor. II. ad IV. parhelii duo Gedani conſpecti fuerint.

Iam epilogi loco addam, pace B. L. verba PETRI GASSENDI, quibus in V. Peireſc. L. III. p. 196. ſimile noſtro ſuperiori phaenomenon deſcribit. *Peireſcius non potuit id prodigium perſpicere, quod non in ipſis modo caſtris, ſed Pariſiis etiam, & per totam Galliam, alibique viſum, ſtuporem creauit. Claritas nempe inſignis fuit, quae nocte ſequente diem duodecimam* (Oct. 1621.) *borealem coeli faciem ita occupauit, vt auroram clariſſimam per multas horas fuerit mentita. Id ſane mirum ſilente Luna; ſed mirabilius viſum eſt; vaporem ea regione fuſum, & ad polum vsque euectum, ſic fuiſſe diſtinctum in quaſdam veluti columnas albeſcenteis, & ſubobſcuras alternatim ſitas; vt, cum horizonti ad amuſſim forent, promouerentur lentiſſime ab oriente in occidentem.* (Contra ac in noſtro meteoro, ob venti contrariam agitationem, contigit.) *Denique miraculo fuit, ex albeſcentibus attolli breui ſpatio ad verticem vsque, pyramides quaſdam, ſiue obeliſcos valde*

de candidos; ipſisque conſiſtentibus, traiectos vapores, vt tenuisſimos, ita candidisſimos, motione adeo celeri, vt fulgetra imitarentur. Haec attingo, quia Peireſcius laetatus eſt, rem fuiſſe nobis obſeruatam; factusque inde eſt certior, nihil aliud fuiſſe, quam naturae luſum, quem apparatum bellicum, aut ideam exercitus multi fuerant interpretati. Addiderant ſane nonnulli, viſas ſibi inſtructas acies, incedentibus peditum equitumque ordinibus; ac poſtremo viſum conflictum, cum exploſione globorum e tormentariis fiſtulis. Mirum, quod non ſimul clangorem tubarum, clamoremque virum auditum depraedicauiſſent; quando eadem credulitas infirmitasque humana eſt, quae his figmentis locum facit.

Lomazii Dn. D. SCHMIDERVS obſervavit, quod radii tantum non ignei ex nube prorumpentes ad Zenith aſcenderint, *& eo ipſo momento*, quo in maxima ſua altitudine deſierunt, inferius ubi orti erant, evaneſcere & paullatim globorum inſtar provolutorum oculis ſubtrahi cœperint; ſtatim vero ac radius plane evanuerit, novum ex nube inferiori prorupiſſe, aſcendiſſe, & dicto modo evanuiſſe, usque dum novus denuo ortus ſit. Quod accuratum temporis momentum merito attendendum eſt.

OBSER-

OBSERVATIO LXVI.

ſiſtens

B. IOACH. FELLERI,

CYGNEI,

Flores pietatis erga Deum,

ex literis ipſius, ad *B. DAVMIVM* olim ſcriptis, collecti

a

M. GEORGIO ANDREA Binhold,

Rectore Cygnenſi.

IOACHIMVM FELLERVM, S.S. Theologiæ Licentiatum, in Academia Lipſienſi quondam Profeſſorem Poeſeos celeberrimum, & Bibliothecæ Paulinæ Præfectum, ad locos quosdam Virgilianos variæ eruditionis flores ſparſiſſe, vel ex ipſius libello an. 1681. Lipſiæ impreſſo ſatis conſtat. Mihi iam integrum fuerit, *ex literis Fellerianis*, ad celeberrimum quondam CHRIST. DAVMIVM exaratis, flores ſpargere Fellerianæ pietatis, oſtenſuro Felleri verbis, quantum Fellerus, tum erga Deum, tum erga proximum, tum & erga ſe ipſum, pietatem coluerit. In præſenti Tom. III. horum Miſcellaneorum tradam FLORES PIETATIS ERGA DEUM, reliquos autem flores pietatis tum *erga proximum,*

proximum, tum *erga ſemet ipſum*, futuris Tomis cum Deo reſeruabo.

A. 1658. d. 20. Dec. Cæterum me non vulgari via ſtabulum Bethlehemiticum laudâſſe Te doceo. Cogitanti mihi de Themate non ita uſitato, occurrebat ſimilitudo inter Chriſtophorum Columbum & Paſtores Bethlehemiticos, cum ille novum orbem primus, hi ſtabulum, ibique novum Regem invenire primi meruerint. Hinc comparationem inter ſtabulum & Americam inſtitui, & illud hoc longe & maius & auguſtius ſecundum omnes partes eſſe declaravi. Non diſplicuere hæc cogitata Thomaſio meo.

An. 59. d. 21. Martii. Sane, cur benignitatem Dei deprædicem, habeo maxime, ſi memini, quam mire caſtitas mea in tam vorticoſis ſyrtibus libidinum ſarta tecta fuerit ſervata. Pergat ille me porro ſervare &c.

An. 59. d. 1. Iul. Omnia ſcilicet fugacia & labilia in mundo, nihil perenne. Evolemus!

An. 59. d. 15. Iul. Videtur divina dextera priſtinos Palinuros ex navi excutere velle, & alios clavo præficere. Velle Dei ſit noſtrum quoque velle oportet.

An. 59. d. 27. Aug. Cæterum me monita tua plus quam paterna memori ſervaturum pectore credas. Non deſinam quippe cum LOESCHERO meo certare acriter in palæſtra ſcholaſtica. Labor omnia vincit improbus. Fortaſſe laurea ſequetur. O fiat! fiat! Interea rumoribus vulgi nihil me moveri patior, confidens, Deum me olim ex fece hac erepturum eſſe.

An. 1661. d. 5. Ian. Deo laus ſempiterna, qui miſericordiæ me adſpexit oculis. Precor ita pergat. - - Servet Deus Te, ſervet me, ſervet mentem utrique, nil ſibi conſcientem, nullâ culpâ exhorreſcentem.

An. 61. d. 24. Aug. Aquæ illæ extagnantes, neſcio quid infauſti orbi Miſnico portendant, damni tamen non ita multum ſenſit hæc Lipſia. Patriam verò ſic ſatis ab impetuoſo illo Neptuno concuſſam audio, audio hortum noſtrum plane everſum & ſubrutum eſſe. Cum Poëta hic dixerim:

Sicne, Pater Neptune, decet? Sicne ira Deorum
Sollicitat quoque ſæpa animos? Quæ cauſa furoris?

Sed potius Chriſtianum ita precari par eſt: *Aufer immenſam, Deus, aufer iram, & cruentatum cõbibe flagellum.*

An. 62. d. 7. Martii. Tantum ſic abeſt, ut Icario conatu alta petam, ut potius in ſecundis vel tertiis etiam conſiſtere non detrectem. Res tamen Deo permittenda, qui fatorum auriga ſummus eſt.

An. 66. Sed eſto, quod alius Con-Rectoris Thomani apud Lipſ. locum ſit nactus. Adhuc cœlum volvitur. Et mihi huc usque per Dei gratiam Lipſiæ degenti non deſunt ſubſidia decore & honeſte vivendi. Aderit tandem vocatus Jehova. Meam ego mihi mentem gratulor, quam Deus cuſtodiat. Ulyſſem ſane me ſimilem habeo, qui feliciter, pereuntibus aliis, Sirenes tot hactenus prætern avigavi. Curſum ulterius dirigat ſupremus Portunus.

An.

An. 1667. d. 30. Martii. Ita tempus ſcholis ejusmodi laboribus terendum; ſed eſto. Eſt & ſchola vinea Dei, in qua non niſi in laudem Dei laboratur. *Laboremus* itaque, ut meum faciam illud SEVERI Imperatoris.

An. 69. d. 6. Ian. Bis hoc anno ad functionem profeſſoriam denominatus, voto meo damnatus non fui. Et nuper quidem THOMASIVS ipſemet egregium teſtimonium, præter denominationem a Facultate factam, perhibuit mihi. Sed fruſtra. Quid tandem? Non animo deſpondendum, ſed Deo confitendum, in cujus manu noſtræ ſortes ſunt ſitæ.

An. 72. d. 8. Iun. Hoc ipſo die, hora matutina ſexta ſonante, mihi filius datus eſt ex piiſſima uxore, poſt difficillimum eumque triduanum partum, μεγάλη χάρις τῷ θεῷ. Faxit Numen ſupremum, ut adoleſcat feliciter, & pluribus gaudiis, quibus poſt nubila jam fruor, me beet. Pro incremento filioli mei, qui *Chriſtiani Friderici* nomen feret, ad Deum ſuſpira.

An. 72. d. 4. Aug. Ego certe me modulo meo hoc exiguo metior, & vix umbrulam in re poëtica agnoſco, tantum abeſt, ut me ſolibus, aut primæ magnitudinis ſtellis, in cerebrino poëtarum cœlo annumerem. Teſtium ſat mihi conſcientia mea eſt, quam ſolus introſpicit καρδιογνώςης:

- - an Damon? Sic claudit epiſtola - -
Ipſeque dum dubitat, me dubitare facit.
Pro Fidio infidam credor voluiſſe Lavernam:

Scilicet hic fida fructus amicitia,
Ite, & amicitia grandes ſupponite montes,
Quicquid id eſt facili credulitate cadit.
Bonum itaque
Deo confidere & non hominibus:
Ipſe faciet.

An. 72. d. 7. Septembr. Exaruit eheu! ceu floſculus, primitiæ & deliciæ meæ, *Chriſtianus Fridericus*, cujus matura morte vix dici poteſt, quam animo ſim conſternatus. Exaruit d. 5. Septembr. eaque hora, qua poſt novercantem Lucinam hunc mundum aſpexit, hora videlicet ſexta matutina, conſumtus a malo infantibus fatali, epilepſia & catharro ſuffocativo. Mihi in Dei τῷ *velle* acquieſcendum, cui & primitiæ debentur. Et vel ſymbolum illud meum inculcat: *Velle Dei ſit, velle meum*; Ipſe faciet. Vale, & allevamenta doloris mei precibus Tuis a Deo effligata.

An. 73. d. 22. Martii. Valdopere hoc pectus mors pientisſimæ fidisſimæque conſortis conturbavit. Cujus amorem, quo ſinceriorem ac conſtantiorem erga Te fuiſſe pernovi, hoc magis vicem doleo tuam, qui in imbelli illa ætate ſcipione veluti Tuo deſtitueris. Sed & Tu mortalium harum rerum inſtabilitatem exputabis, imo pelagus quoddam ſolatiorum, credo jam exhauſiſti, ut tenuiter fluentibus rivulis meis non habeas opus. Oro autem Deum immortalem, velit Spiritu ſolatii Tibi adeſſe, & viridem elargiri ſenectam, ut reipubl. literariæ bonum promovere quam diutisſime poſſis. Tu *Soliſſibiplacii*

cui iſtius - - - & duri hominis importunitatem inſigni contemtu vindica, ejusque nebulas Tuæ celebritatis ſplendori nihil officere poſſe perſuaſiſſimum Tibi habe. Vale & Dei voluntati Te totum reſigna.

An. 1673. d. 29. Mart. Interea & cum Chriſto reſurgente ex tumulo triſtitiæ ad liberiorem lætitiæ auram iterum emerge.

An. 73. d. 27. Septembr. Et ipſius matrem orabam anxie, ut rancorem omnem expueret animo, & in gratiam cum - - primo quoque die reverteretur. Et exorata eſt illa, laus Deo, prout ex literis Ephori veſtri (nam mater ipſa hoc ſcripſit) intellexi, non ſine ingenti mentis meæ tripudio.

An. 74. d. 4. Apr. Quid rerum agit Suffenus veſter? Num pruritu Te alioſque carpendi adhuc vexatur? Ita puto. Solent enim vitia in naturam veluti incorrigibilem quandam degenerare. Tu vero non ſciolis ac Zoilis hujusmodi, ſed Deo probare Te ſtude. Neque non ſaniora ſaniorum de Te ſunt judicia. Ille autem ſuo ſibi vitio viam ad altiora præcludet, bonos certe quosque reddet longe averſiſſimos.

An. 75. d. 20. Martii. Ita eſt. Satyram in me ſcribi fecerunt mercatores, cui a Studioſis reſponſum eſt egregie, & carmine non uno. Ego vero & Dei umbraculo & innocentiæ ſcuto obtectus Stoicum illud meum fecero. Non moveor, rem omnem juſtiſſimo judici (ipſe faciet) committens.

An. 76. d. 8. Apr. Sectionem cordis me ex-

peruum eſſe non mentior, ſi dixerim. Amiſi enim uxorem non pietate tantum & caſtimonia, ſed & fide conjugali nulli ſecundam. Et o me infelicem, cui tam rarum & carum [illegible] Deo ereptum eſt! Sed rivali noſtro reddendum fuit, quod ab eo acceperam. Enimvero, uti *Chryſoſtomus* alicubi ait, *Deus cardinalis noſter, qui nobiſcum veluti certat piarum conjugum poſſeſſione.* Solatii interim non parum percipio, tum ex aliorum amicorum, tum ex tuo affatu; pro quo & gratias ago humaniſſimas, Deum veneratus, ut panaceæ huic vires in pectore hoc explicet figatque.

Ani 1676, d. 19. Aug. Quam miſera viduorum ſit conditio, jam demum intelligo. Et uxoris meæ, pietate & virtutibus plane incomparabilis, obitum ne nunc quidem deflere deſino. Vel mentio ejus mihi illico exprimit lacrymas. Sed Deo cedendum, nobiſcum ita ludenti.

An. 77. d. 14. Ian. Ad DAV. WINTERUM. Quam illætabilis feraliſque annus proxime prætérlapſus mihi fuerit, vel me tacente, noſti probiſſime. In limine illius cum contumaciſſimo & periculoſiſſimo conflictabar morbo, & hoc vix dum ſuperato, triſtiſſimam experiebar διχοτομίαν, conſorte thalami vitæque fideliſſima in partu ſuccumbente. Cum fine equidem vitam finiit venerabilis Socer, RAPPOLTUS, grande illud non Academiæ tantum, ſed & rerum meorum præſidium & decus, & mihi adeo luctum luctu, dolorem dolore accumulavit. Quemadmodum autem poſt nubilatiſſimas tempeſtates cœlum deter-

detergitur tandem, & aliqua iterum lux periclitantibus apparet: ita nec ego deſpero, fore, ut poſt tot nubila ſoles candidi ac ſereni mihi illuceſcant.

An. 1677. d. 15. Iun. Poſt tot decumanas calamitates etiam ſocer THOMASIVS mihi ereptus eſt, grande cum totius Academiæ, tum mearum rerum præſidium atque decus. Adeo dolor dolorem, luctus luctum, & fluctus fluctum trudit. Quibus malis & hoc accedit, quod C. Soceri τῆ μακαρίτε, quæ mihi jure quodam debebatur, ab alio præter ſpem prærepta eſt. Sed & hoc concoquendum eſt.

Ut potiar, patior; venient lenimina tandem,
Namque Dei nondum eſt abbreviata manus.
Durior ære quidem ferroque videtur Olympus,
Sed poſt mille preces votaque mollis erit.

Ita nimirum me ipſum erigo. Et

Quid fueram? Dominus mihi ſortem immittit acerbam:
Velle mei Domini ſit quoque velle meum.

An. 77. d. 8. Octob. Perplexum me hactenus reddidit novi matrimonii meditatio, totumque adeo ab officio literario avocavit. Animum enim meum nunc huc, nunc illuc diviſi, jam honeſtatis, mox utilitatis argumento faſcinatus. Sed ſpero me tandem e creperis hiſce fluctibus eluctaturum. Et niſi omnia me fallunt, Thomaſia erit mea amaſia. Fata viam invenient. Quin ero, ut olim, ita olim Thomaſianus:

Thomaſianus eram officio ſtudioque perenni:
Nunc quoque conjugio Thomaſianus ero.

An. 1677. d. 15. Oct. Illud novum, mihi Thomaſiam, cujus IOHANNA nomen, d. 7. Octob. fuiſſe deſponſatam. Faxit Deus, ut matrimonium ſecundum, mihi ſit velle ſecundum.

Tantum!

OBSERVATIO LXVII.
M. JO. MICHAELIS VVEINRICHII,
Illuſtr. Lycei Meinung. Inſpect. & Rect.

De

Prima Tyri Origine.

VRbs TYRIORVM, veterum monumentis tam ſacris quam profanis celebrata valde, variisque fortunae caſibus adflicta, etſi non ejusdem ſit cum Sidone originis, peruetuſta tamen eſt, & digna, cujus primam originem, doctis hominibus vel ignoratam prorſus, vel multis dubiis implicitam, paulo adcuratius inquiramus. Prius vero de nominis cauſſa diſpiciendum, quam vrbis ipſius fata tangamus.

Apud

Apud STEPHANVM *de vrbibus* φοινίκης πόλις Σώρα legitur: neque raro nomen, *Sarra* occurrit & *Sarranus*; e. g. Sarrana viola apud COLVMELLAM lib. 9. cap. 4. Sarrana chlamys apud SIDONIVM, panegyr. Anthemii verſ. 6. &c. SERVIVS, itemque GELLIVS, ſic vrbem putant a piſce, *Sar*, dictam: ſed inepta plane ratione: & recte conjicit BOCHARTVS, Seruium duas vrbes, Sidonem & Tyrum, male confudiſſe, quae errandi feſtinatio & in aliis haud infrequens fuit Seruio.

HEINRICO BVNTINGIO in itinerario & chronico eccleſiaſtico totius Scripturae S. videtur nomen, Tyrus, haud multum abludere a graeco nomine τυρὸς, quod *caſeum* vulgo ſignificare arbitramur, cujus tamen rei rationem non ſatis perſpectam habemus, niſi velimus dicere, Tyrios, re pecuaria florente adductos, delicatiores caſeos crebro figuraſſe: ſed riſu potius digna haec deriuatio eſt. Vrbs enim graece τύρος, caſeus autem τυρὸς ſcribitur, quanquam non pertinaciter repugnemus, fieri potuiſſe, vt Graeci originem vocis vrbisque Tyri ignorantes, Tyrum vrbem vel a caſeo adpellatam crederent, vel ipſi ludibrii & joci cauſa nouum

 nomen

nomen *a caſeo* imponerent. Praeterea non legimus in hiſtoriis relatum, Tyrum caſei praeſtantia copiaque maxime celebratam fuiſſe; cujus alioquin ſtudia merceſque minoris pretii litteris celebrantur. Quod ſi vero Tyrus ex caſei artificio nomen acceperit; annon putares, inde argumentum enaſci contra eos, qui veteres Germanos ſui originem ad Phœnices Tyriosque referre jactant? Germanis enim priſcis caſei vſus incognitus plane fuit; quod fuſe admodum neque ingrate probauit CONRINGIVS de habitus corpor. Germanic. cauſſis p. 63-73. haud incongrue dixerim, omnia iſta vrbis nomina ex Phœnicio facta eſſe ſermone: cujus notitiam, & in legendis autoribus Graecis, & in omni mythologia nos juuare poſſe, JOANNES CLERICVS, lumen illud Belgii, in annotationibus ad Heſiodi Theogoniam praeclare oſtendit.

Phœnices & Ebraei vrbem צור adpellarunt, multis Scripturae locis dilucide teſtantibus: idque nomen in ſcriptis Rabbinorum etiam reperiri, docet LIGTHFOOTVS in Chronographica centuria ad Matthaeum c. 89. p. 155. & Syrus interpres verba Chriſti Matth. XI. comm. XXII.

eadem

eadem ratione tranſtulit. Hoc צור Tzur deinceps vario ore modoque in alias formas detortum eſt, vel ignorantiae culpa, vel labii aliarum gentium vitio, vt modo Sur, modo *Sarra*, modo *Tyr* vel *Tyrus*, efferetur.

Cognito nomine ad originem vrbis deſcendamus: vbi iterum diviſas videmus doctorum ſententias. Varia quidem fuiſſe oppida, & quatuor *Tyri* nomine celebrata judicat BOCHARTVS, *Scylacis* auctoritate commotus, quem Caryandenſem, Alexandri M. temporibus clarum commendat GERHARD JOANNES VOSSIVS de Philol. cap. XI. Miſſis aliis, Tyrum inſularem tantum intueamur, ejusque, quantum fieri poteſt, originem eruamus.

Sunt, qui Tyrum breui tempore poſt diuiſionem terrarum conditam exiſtimant a *Tyra*, Japheti filio, anno ante Chriſtum cIↄ.cc.lxx. & a *Joſua* poſt aliquot annorum centurias munitam amplificatamque. Vid. *Adrichomius* in theatro terrae ſanctae, & noua deſcriptio Aſiae lib. 2. c. XI. Quis vero non videt errore ſatis graui *Palaetyrum*, in continenti poſitam, cum *Tyro inſulari* permutatam eſſe? Haec antiquiſſima fuit, exiguae tamen auctoritatis, &

& per ſortem tribui Aſer adſcripta, cum tractus iſte ab Iſraëlitis occuparetur, Joſ. XIX. v. 29.

Alii, quorum Princeps eſt BOCHARTVS, in Phalog. lib. IV. cap. 35. f. 345. & in Canaan libr. 2. cap. 17. f. 860. contendunt, de Tyro ante tempora Dauidis nihil reperiri, ac breue eſſe interuallum ab ejus ortu vſque ad cladem Trojanam, annorum nempe LXV, praeſertim cum HOMERVS Sidonem celebrans, ne Tyrum quidem nominet, vt STRABO libr. XVI. aperte ſcribit: Ὅμηρος δὲ οὐδὲ μέμνηται τῆς Τύρου. Trogus econtrario JVSTINVS lib. XVIII. cap. III. p. m. 286. edit. Lugdun. anno 1670. ſic pro more ſuo hac de re commentatur: *poſt multos deinde annos a rege Aſcaloniorum expugnati* (*Sidonii*) *nauibus appulſi, Tyron vrbem ante annum Trojanae cladis condiderunt.* Quem vero per Aſcaloniorum regem intelligat, & annon grauiſſimos multipliceſque heic errores leviſſimis verbis inuoluat, diutius non licet inquirere.

Id manifeſtum, *Bochartum* a *Trogo* diſcrepare, & tamen neutri tuto calculum addi poſſe. Fingamus proxime ante cladem Trojanam natales Tyri collocandos eſſe:

eſſe: ergo fieri non potuit, vt Tyrus jam Dauidis aetate regni majeſtatem prae ſe ferret ampliſſimi? anno Periodi Julianae 3530. Trojam periiſſe, ſi vlla vnquam Trojae clades accidit, patefactum eſt ſatis illuſtriumque a STRAVCHIO, acutiſſimi ingenii viro, lib. IV. cap. XI. p. m. 447. Breuiar. Chronolog. Ex quo efficeretur: juxta Bochartum, Tyrum circa annum Periodi Julianae 3465 conditam eſſe. Primũ addamus annum Dauidis regis facti ex Periodo Jul. 3654, & ſtatim patebit, Dauidem CLXXXIX. annis poſt regnum accepiſſe, quam Tyrus inſtituta ſit. An vero putes, vrbem, & conditoribus, & naturae ſitu, & ſtudio nauigandi inclitam, ad Dauidis vſque tempora latere potuiſſe in obſcuro, neque caeteris gentibus ſuam operam probauiſſe.

SETHVS CALVISIVS, magnus ille Lipſienſium peritusque Chronologiae Magiſter, in opere ſuo Chronolog. fol. 17. Tyrum affirmat exſtructam eſſe anno mundi 2693. & anno ante Chriſtum natum 1255. C. ☉. 13. ☽. 18. Quibus vero ipſe nitatur argumentis, ego nondum in praeſenti dicam, infra rei cauſſam patefacturus. Saltem hoc modo multo antiquior erit Tyrus, quam putabamus ex ſententia Bocharti.

ti. Cum ergo nihil certi ex iis conſtet, quae hactenus in vtramque partem diſputata ſunt ac propoſita, dictu videtur commodiſſimum, Tyrum Inſulam iis temporibus incoli cœpiſſe, quibus Iſraëlitae ex Ægypti ergaſtulis elapſi, tot difficultatibus itineris ſuperatis, ad fines Phœniciae acceſſerunt.

Hi enim, quod reges atque vrbes, arma objicientes, ad internecionem redigebant, magnus reliquis Canaan atque Phoeniciae gentibus terror injiciebatur, vt complures fuga ſe ad ſalutem reciperent, hac inſcriptione cauſſam fugae indicantes: Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ: vid. PROCOPIVS, Seculi ſexti Hiſtoricus, lib. 2. Vandal. cap. 10. ex quo repetit EVAGRIVS lib. IV. cap. 18. Hiſtor. eccleſiaſt. & HVETIVS in Demonſtrat. Evangel. propoſ. IV. pag. 331. neque in omnibus fallitur POMPONIVS MELA lib. 2. cap. 6. Geograph. quod complures in Africa gentes a fugitiuis Phœnicibus deſcendere putat. Quod ſi vero Phœnices in Africam aufugerunt, veriti, ne ab Iſraëlitis trucidarentur; fieri etiam omnino potuit, vt in proximum mare ſe demitterent, ſpe certiſſima nixi, fore, vt a conti-

nenti

nenti terra defendantur munitiſſima vrbe Palaetyro, a tergo vero & lateribus fluctus maris aeſtuantes hoſtem, rei nauticae imperitum, procul depellant.

Succeſſu temporis homines in iſta rupe habitantes ſe ſe multiplicarunt, & cum negotiorum cura finitimis innoteſcerent, nomen ipſum a rupe acceperunt; quod exteri neſciebant, quo nomine caſas in petra exſtructas adpellarent. Haec fuere Tyri initia. Vti vero ex paruis res fatorum induſtria permagnae fieri poſſunt: ſic etiam Tyriorum rebus accidit.

Sidonii enim, ſuae vtilitati inſeruientes, ad commerciorum nauigationisque commoda augenda, nouae vrbis corpori ſanguinem, ſpiritusque, & vires addiderunt. Hoc quo tempore factum ſit, nunc indicandum paucis. JOSEPHO, inſigni rerum Judaicarum ſcriptori, etiamſi alii vix fidem habendam ducant, vid. PETRI BINCHII Chronologiae & Hiſtoriae Flavii Joſephi examen anno 1701. Hafniae in 4. editum: putarem tamen eum neque in omnibus reprehendendum, neque in quibusdam laude ſua defraudandum eſſe. Is enim, cui contigit, ex peruetuſtis monumentis, ex *Menandro* Epheſio,

ex *Dio*, ſcriptore Phoenicum hiſtoriae integerrimo, atque aliis hiſtoricis veram Tyriorum originem ac fata agnoſcere, haud dubitauit libr. VIII. cap. III. Antiqu. Judaic. haec memoriae prodere: ἀπὸ δὲ τῆς οἰκήσεως Τύρου εἰς τὴν οἰκοδομίαν τοῦ ναοῦ διαγεγόνει χρόνος ἐτῶν τεσσαράκοντα καὶ διακοσίων. Ex hac Joſephi relatione, ſi certis nitatur fundamentis, quis non videat, multo facilius eſſe ad diiudicandum, quo anno, aut qua mundi aetate Tyrus in vrbis formam redacta ſit. Fundamenta enim templi Salomon egit anno periodi Julianae 3697. Cycl. ☉. 1. ☽. 11. menſe Maio; ex quo numero ſi anni CCXL. auferantur, intelligimus plane, Tyrum anno periodi Julianae 3457. ann. LXXIII. ante excidium Trojae conditam eſſe atque inſtitutam.

Proinde neque *Trogus Juſtinus*, qui annum ante Trojanam cladem, neque BOCHARTVS, qui LXV. annos ante Tyrum coepiſſe adfirmant, rem acu tetigerunt: ſoli CALVISIO palmam gloriae relinquentes, qui, vt ſupra demonſtratum, annum mundi 2693. Cycl. ☉ 13. ☽ 18. indixit. Namque ſublatis 764 iuxta hypotheſin periodi Julianae ex numero anni Juliani 3457. ſuperſunt 2693. At vero

tantum

tantum abeſt, ut per οἴκησιν τύρα Joſephus primam loci occupationem intelligat, vt potius innuat, eo tempore locum vrbi habitandae accommodatum eſſe, domicilioque regis aut magiſtratus exornatum, cum antea Tyrus cogeretur Sidoni ſubmittere faſces. Tyrus iam inde ab anno periodi Julianae 3274. a Phoenicibus occupata, ſed nondum in formam ciuitatis redacta erat: indies acceſſiones factae, &, quod in republ. condenda accidit, a paruis initiis ingens ſurrexit corporis moles.

Variae initio fuerunt inſulae, in quibus vel capiendis piſcibus, vel exercendis nauibus homines operam dabant. In quibusdam adeo templa poſita erant, quod videmus exemplo templi in honorem Herculis poſiti, quem Herculem HVETIVS in Demonſtr. Euangel. Propoſ. IV. pag. 316. ſeq. ex Joſuae fatis rebusque geſtis egregie atque ingenioſe oſtendit, ipſum Joſuam fuiſſe; alii tamen ſuſpicantur, ex lingua Phoenicia, & quidem voce הרכול, vel potius חורכל, deriuandum eſſe, & ſignificare *mercatorem* quendam *fama celebrem:* ea quidem de cauſſa, quia Phoenices, mercaturam ſtrenue exercentes, in ipſa maris inſula praeſidi, quem finxerint

ex ingenio ſuo, mercaturae templum exſtruxerint, vt nauibus in patriam redeuntes ſtatim vota, in exteris locis nuncupata, ſoluerent.

Hoc templum Herculis initio in Inſula parua ſeparatum diu exſtitit, etiamſi iam reges Tyro praeeſſent, & tandem aggere facto ab Hiramo II. rege vrbi junctum dicitur καθ' ἑαυτὸ ἐν νήσῳ. vid. HERODOTVS in Euterpe, ſiue lib. II. p. m. 107. ipſe eiusdem templi ſpectator a verbis: καὶ θέλων τούτων πέρι σαφές τι εἰδέναι ἐξ ὧν οἷόν τε ἦν, ἔπλευσα καὶ εἰς τύρον τῆς Φοινίκης κ. τ. λ. Credibile ergo, Tyrum ad formam ciuitatis ſenſim coaluiſſe, & tandem Sidoniorum ope atque conſilio moenia adſciuiſſe, principes ac magiſtratus conſtituiſſe, & circa aetatem Gedeonis, Dei juſſu ac nomine temp. Iſraëlitarum adminiſtrantis, de quo & MARSHAMVS in Canon. Chron. fol. 304. ſedem regiam parare coepiſſe.

De ipſis Tyriorum regibus meminimus aliquot abhinc annis publico programmate diſſerere: quos tamen alibi adcuratius cum vniuerſa Tyriorum republ. proponemus.

OBSER-

OBSERVATIO LXVIII. GEAMOENI,

De Voluptate ſenſuum internorum, e rerum varietate perceptibili.

Summaria:

§ I. Locus Auguſtini de præſtantia hominis. Ratio brutorum.

§ II. Brutorum bruta voluptas. Notatur [illegible].

§ III. Hominum voluptas ex rerum varietate perceptibilis major ac brutorum.

§ IV. Senſus hominis interni. Voluptas eorum a rerum varietate ſimultanea. Varietas ſuccedanea magis afficit mentem.

§ V. Intellectus alternationem negotiorum amat. Eruditorum mores.

§ VI. Cauſa. D. Iohannis recreatio innocens. canis venaticus. otium ſegne. otium vigil. Statuarii, Pictores, varietatis amantes. Item Eruditi.

§ VII. Operum vaſtorum labor inſuavis. Grata ſcripta brevia. Cauſa. Luſitanis [illegible].

§ VIII. Vigor obtuſus. remedium. Exempla Auctorum multis annis operibus ſuis inſudantium. Muſculus. Bernhardi Lami. Eman. Theſaurus.

P. Vbertinus Carrara. Virgilius. Gaffarellus. Gronovius.

§. IX. Affectus communes mutabiles: Singulares quoque: apud fœminas: mares. affectuum frænum. mutatio hominis theologica.

§. X. Variæ conſuetudines, diverſi mores. imitatio perverſa. Plato curvus. Blæſus Ariſtoteles. Melanchthon peſſimè ſcribens. Lipſii Laconiſmi.

§. XI. Mores Principum. Poppææ capilli. Philippus Bonus capillorum demeſſor. Aulici Maximiliani II. Imperatoris. Galli regum exempla ſequuntur. Ludovicus XI literarum oſor. Franciſcus I. Muſarum Fautor. Idem ob vulnus capillos reſecat. La Valiere. Apicii ars coquinaria. nuces odoratæ per totam Galliam in exilium miſſæ, & reſtitutæ. ratio imitationis pravæ.

§. XII. Alamodalitas veſtiaria. Germanorum inconſtans veſtiendi mos feſtivè notatus: excuſatus: irriſus à Barclajo. Ruſtici circa Miſenas in re veſtiaria antiquum obtinentes. Ihre Pumphoſen.

§. XIII. Locus Zephan. I, v. 8. excuſſus. it. v. 9.

§. XIV. Deut. XXII, 5. Iſis ἀνδρόγυνος.

§. XV. Alamodalitas per ſe innocua; abuſu abominabilis.

§. XVI. Cleri Alamodalitas. Color veſtium ater: cæruleus apud Agrigentinos exoſus. Apud Iſiacos & gentiles ſacerdotum veſtes candidæ. Indignè [illegible] niger veſtitus. Color veſtium ſacerdotalium in prima eccleſia fuſcus. Pallia Philoſophorum. Tertulliani liber de pallio. Euſtathius Epiſcopus moris antiqui tenax. Chryſoſtomi veſtimenta fuſca.

fuſca. Atratæ veſtes Clericorum quando cœperint?

§. XVII. *Forma veſtium ſacerdotalium mutabilis. Collaria tubularia: plana: Barba: capilli: capillamenta: caputia: togæ manicatæ: cauſæ mutabilis formæ veſtium.*

§. XVIII. *Concluſio.*

§. I.

ELegantisſimus locus eſt D. Auguſtini: „*a*) *Non diſtas homo à pecore, niſi intel„lectu. Noli aliunde gloriari. De viribus „præſumis? à beſtiis vinceris: de pulchritudine „præſumis? quanta pulchritudo eſt in pennis pavo„nis! unde ergo melior? ex imagine Dei: ubi „imago Dei? in mente, in intellectu: Sic ergo „melior pecore, quia habes mentem, qua intelli„gas, quod non poteſt pecus intelligere.* Nimirum de præcellentia hominis loquitur magnus Pater, quâ cœtera animalia tantum præſtat,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Hanc potiſſimum in intellectu & ſanæ mentis ratiocinio ponit, quo bruta carent. Bruta quidem aliquid rationi analogum habent, quod Phyſici, uno verbo, *phantaſiam*, nuncupare ſolent; *b*) Hinc *Plutarchus*: *Elvero* interprete, *c*) ita ſcribit: „Proinde etiam animalia cœtera, quia tar„dius intelligunt, minus rectè ratiocinantur,

a) *Tract. 3. in Johannem Tom. 9. col. 23. C.*

b) *Clem. Timpler. empſychol. l. IV. de beſtiis c. 1. p. 557.*

c) *Hieron. Elverus deambul. vernal. p. 167.*

„ quam homo, non dicemus omni ratione atque
„ intelligentia carere; ſed eam poſſidere *turbi-*
„ *dam atque imbecillem*, ſicut oculum luſcioſum
„ & diſtortum, aſt μίμημα, ſcilicet *umbram, æmu-*
„ *lationem*, *ſeu qualemcunque rationis imagi-*
„ *nem*: *d*) Attamen veræ rationis omnino ſunt expertia bruta.

§. II.

Inde colligimus, voluptatem etiam, quam bruta ex rerum varietate ſenſus per externos capiunt, valde debilem, mancam, & ut verbo dicam, *vere brutam* eſſe. Apes, quæ

liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt Nectare cellas.

varietate quidem florum delectantur, & longe lateque, delibutis modo his, modo illis floſculis, divagantur: Verum nihil horum cum ratione faciunt, ſed ſolo naturæ inſtinctu agunt, quod agunt. Pavo oculata cauda admodum ſuperbire, & ingenti faſtu illam rotare dicitur: unde & *Naſo e*) canit:

Laudatas homini volucris Junonia pennas
Explicat, & forma muta ſuperbit avis.

Ferunt enim, quamprimum oculos ad tetros pedes deflectat, caudam variegatam ponere, quaſi ex contemplatione pedum reminiſcatur, ſe terræ filium eſſe: verum hæc omnia citra veritatis ſuffragium

d) *conſer. Gregorii Michaelis notæ in Gaffarelli Curioſit. inaudit. P. II. p. 440. 441.*

e) *Ovidius de medicam. fac.*

ſragium afferuntur: licet ea propter avis inſons ſuperborum emblema facta ſit, & præceptor tumidorum, qui, titillante faſtu, more pavonis, ad terram, remedii loco, deſpicere jubentur. *f*) Superbia enim morbus, pudor autem virtus, ad animam rationalem pertinent, qua bruta carent. *Cauſa* igitur *phyſica, non moralis*, ſubeſt, quando pavo, inclinato capite, caudæ gemmatæ ſyrma demittit. Hoc enim, beneficio nervorum, propter æquilibrium fieri ſolet, damit der Leib nicht aus dem Gewichte komme. Idem Galli noſtri Africani toties faciunt, quoties, cauda circulata, frumentum de pavimento tollere volunt. Sic dantur animalia quædam, quæ certos colores amant, alios vero averſantur. De columbis *Ovidius:*

Aſpicis ut veniant ad candida tecta columbæ,
Accipiat nullas ſordida turris aves.

Notum eſt, Meleagrides colore rubro irritari, albo autem araneas impenſe delectari: inde fit, ut hæ ſolertisſimæ Arachnes Gnatæ è reticulata domo prorepentes nullibi diutius ac in pura charta vel linteolo albo commorentur, uti è frequentioribus maculis, propter diuturniorem manſionem ibi relictis, videre licet. Chamæleon omnium colorum ſimilitudinem exprimit, præterquam albi, cui aſſentatorem ideo *Alciatus* venuſtè aſſimilat canens: *g*)

f) *Picinelli mund. Symbol. Tom. I. L. IV. c. 51. p. 315.*
g) *Andr. Alciat. Emblem. 53. p. 127.*

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram
Reciprocat Chamæleon;
Et mutat faciem varios ſumitque colores,
Præter rubrum vel candidum:
Sic & adulator populari veſcitur aura,
Hiansque cuncta devorat,
Et ſolum mores imitatur Principis atros,
Albi & pudici neſcius.

Tandem cernes, animalia jam frigore, jam tepore gaudere: nunc luſitant in aprico, mox umbram petunt: Qui ſic vero? Hæc omnia ſolo naturæ ductu connato faciunt, & rationem, cur ita faciant, prorſus neſciunt: quippe hoc ad intellectum pertinet, quo deſtituuntur. *Auguſtini* enim ſententia firmiſſimo talo ſtat, homines à brutis intellectu maxime diſcerni. Quanquam Dominus *Baro de Cherbury* diſcrimen non in intellectu, ſed potius *libero arbitrio* ponat. Scribit enim Libr. de religione Gentilium, p. 121. *malum culpa non aliunde devenire, quam ab arbitrio illo omnibus ingenito inſitoque, quod, tanquam bonum eximium, Deus Opt. Max. nobis largitus eſt; ex quo etiam magis a belluis, quam ipſo intellectu diſtinguimur.* Sane perperam. Namque belluæ intellectu æque ac libero arbitrio, quod operatio mentis & voluntatis eſt, carent, proinde utroque ab homine diſtinguuntur.

§. III.

Homine igitur ſolummodo intellectu gaudente, ſequitur, eum quoque è varietate rerum multo majorem voluptatem capere, ac bruta, ratione

tione deſtituta. Nam voluptas brutorum è varietate rerum percepta tantum in ſenſibus externis ſubſiſtit, illosque movet: at in homine per ſenſus externos, quaſi vehiculum quoddam, illa ad intimiores animæ receſſus pertranſit,& ibi cum ratione conjuncta incredibili dulcedine mentem demulcet, utut ratio noſtra ſit vel ſana vel inſana, & affectibus obnoxia. Quamobrem, cum *Tom. II. Miſcellaneorum Lipſienſium* nonnulla *de voluptate ſenſuum externorum* e rerum varietate perceptibili dixerimus *Obſ. XLVIII. p. 677. ſeqq.* animus eſt, jam ad *ſenſus interiores* progreſſum facere, atque demonſtrare, *quantum & iſti e rerum varietate delectamentum capiant.*

§. IV.

Internæ ſeu ſuperiores nobilioresque animæ facultates ſunt *intellectus,& voluntas. Intellectus* objecta capit, perpendit, dijudicat: *Voluntas* cupit, eligit. *b*) Et quidem facultates hæ inſigniter quidem *varietate rerum ſimultanea* delectantur: Scilicet bibliotheca variis libris inſtructa, pratum innumeris floribus luxurians, hortus variis arborum generibus conſitus, & id genus alia, animum oppido afficiunt. Nam intellectus per ſenſus externos objecta varia, quaſi in ſpeculo præſentes, confuſe licet & tumultuarie, capit, conſiderat, & eligibilia judicat: tunc ſtatim & voluntas in illa fertur, cupit; & ad delectationem

b) *Magnif.* Dn. D. Löſcher Evangel. Zehenden *P. II. Dec. IX. p.* 179.

ſuam eligit, quæ intellectus calculo ſuo adprobavit. Quæcunque enim menti noſtræ probabilia & voluntati accepta videntur, ea quoque delectationem afferunt eo majorem, quod mens noſtra rationalis cauſam reddere poteſt, cur iſta placeant, id quod bruta facere nequeunt. Nam brutorum voluptas tantummodo in phantaſia, ut ſupra diximus; hominum autem in ipſa anima rationali ſedem locavit. Fatendum tamen eſt, conſummatiorem ſenſuum internorum voluptatem eſſe e *varietate rerum ſeu negotiorum ſucceſſiva* propullulantem. Scilicet, quando diverſæ res ſeu negotia animum non ſimul occupant & diſtrahunt, ſed per temporis intervalla ſibi invicem ſuccedunt. Paucisſimis enim a Natura datum eſt, ut plurimas res ſimul advertere, perpendere, atque peragere poſſint. Sicut de *Julio Caſare* memoriæ proditum eſt, illum 7. literas de rebus diverſiſſimis totidem amanuenſibus absque hæſitatione in calamum dictitare potuiſſe. Plerumque

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Nam temporis quadam mora opus eſt, & intellectus rem præſentem in ſe recipiat, receptam perpendat, perpenſam judicet, judicatam adprobet: Obrutus autem multitudine rerum ſimultanea ſingulas neque capere diſtincte, neque recte perpendere, vel ſolide dijudicare poteſt. Spatio autem ad deliberandum dato, rem ſecundum cauſas cognoſcere, & voluntati, quam eligibilem ducit, proponere ſolet. Cum igitur hoc in mutatione rerum vel negotiorum ſolum

habeat

habeat locum, clariſſime eluceſcit, facultates animæ nobiliores *varietate* rerum & negotiorum *ſucceſſiva* magis, quam *ſimultanea* delectari.

§. V.

Hinc nobis natura ad rerum ac negotiorum mutationem propenſis facillime præſentium rerum faſtidium obrepit. Modo ſtreperorum corona ſodalium gaudemus, modo ſodalitia tantopere fugimus, ut cum Domitiano vix muſcam commenſalem patiamur. Es hindert uns flugs bisweilen eine Fliege an der Wand. Jam ſeria tractamus, mox vero ſeriorum tædium nos ita occupat, ut de gravibus differentes rebus vix ferre queamus: quin potius increpemus iſtos cum Xerxe, Perſarum Rege, qui purpuratum de brevitate vitæ coram ſe ſermocinantem cohibuit, *mittamus*, inquiens, *odioſa, cum jucunda præ manibus habeamus*. Hodie fert animus pergræcari: Notum eſt dicterium Archiæ Thebani: *in craſtinum ſeria. i)* Cras curis gravioribus reperimur immerſi. Principes fuere, qui ſingulorum νυχθημέρων horas ita partiti ſunt, ut 8. horas ſomno, 8. negotiis publicis, totidemque corporis curæ impenderent. Et recte hoc: nam

quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Eruditos, amabo intuere: an ſemper meditantur, legunt, diſputant, diſcunt, docent, ſcribillant, carmina pangunt, vel otiantur? minime

geri-

i) *Corn. Nep. in Pelopida.*

gentium; ſed hæc omnia per vices tractant, quod

- - - *amant alterna Camœnæ.*

§. VI.

Animi vigor uni rei ſolum diutius intentus remittit, & mentis acumen hebeſcit, ni varietate quaſi acuatur. Quemadmodum enim funda in gyrum aliquoties acta fortiſſime jaculatur: ſic animus per varias rerum vices vires circum acquirit eundo, & ingenium a mutatione rerum & negotiorum ſumit incrementum. Quæcunque autem animum noſtrum juvant, illa & delectant; ſicut ea, quæ nocent, ſana mens averſari ſolet. Ferunt *Divo Johanni Evangeliſtæ* aviculam ſuaviſſime cantillantem in deliciis fuiſſe. Cum hoc illi naſutulus quidam exprobraret, juſſit hominem arcum ſuum intendere, atque tentum aliquot horis tenere: ille autem renuit dicens, arcum nimis diu tentum vitium capere, & vim fortiter jaculandi amittere. Atqui, inquit Johannes, & animus noſter interdum remiſſione quadam opus habet. Picinellus hoc elegantiſſimo emblemate deſignavit, *k*) canem pingens venaticum, humi cubantem, cum lemmate:

otior ut ocyor.

Nimirum

otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis.

Neque tamen hoc loco ſegne illud otium intelligimus, quo vulgus iners diebus feriatis utplurimum ſepultum jacet, ubi plane nihil ipſius animus

k) *Mund. Symbol. l. V. c. 14. §. 98.*

mus agit torpeſcens, ni forte malum quid agat; Sed otium vigil & tale, quo per variationem negotiorum & objectorum animus delaſſatus re-focillatur, & ad fixa & conſueta munia vaſti haud raro laboris alacrior redditur. Sic Eruditorum otia negotia varia eſſe ſolent. Naturæ heic ductus inprimis in infantibus apparet. Hi crepundiorum variationem & diverſitatem valde amant. Infantes pupis, viri negotiis ludunt. Natura abhorret, Siſyphi ſaxum volvere, & ſtudio concatenato ſemper idem agere: officinas modo Statuariorum vel Pictorum ingredere. Cernes utrobique icones hominum, brutorum imagines varias tantum ruditer delineatas, effigies multas, quibus adhuc ultima manus deeſt, opera denique plura nondum ad umbilicum perducta: Qui ſic vero? Artifici moleſtum eſt, & mentem & manum una re ſolum tot diebus delaſſare: gratior variatio. Eundem & plurimi Eruditi morem tenent, haut ſine fructu. Nam ingeniorum cos eſt negotiorum variatio.

§. VII.

Obſervabis Autores quosdam vaſtiſſima edidiſſe volumina, verum plane irata Pallade: rurſus alios vix paucas in lucem dediſſe pagellas, adeo propitio Phœbo, ut tota Muſarum cohors illis aſſurrexerit. Unde vero iſtud? Natura varietatis amans à ſe impetrare vix poteſt, ut ſine tædio aliquot menſes vel totos annos uni ſolum operi inſudet. Hinc apud aliquos vaſtorum voluminum Autores principia fervent, medium

tepet, ultima frigent. Id quod Hiſpanis interdum evenire, eruditi jam dudum obſervarunt. Et quid? ſi Luſitanum illum eadem fata manerent, qui Ulyſſibonæ opus multorum tomorum editurus eſt, uti ex Novellis literariis non ita pridem didicimus. In anteceſſum titulum libri evulgavit, portento & montibus parturientibus haud abſimilem, dignus propterea, ut in Charlataneria ad marginem notetur.

§. VIII.

Quemadmodum enim animalcula omiſſo aculeo torpent: ſic & ingenia nonnulla, in operis principio, aculeo quaſi relicto, admodum lente poſtea procedunt, & vigore ſuo deſtituuntur. Hoc viri magni ſecum perpendentes, priusquam opera vaſta, mentis utero concepta, annorū multorum obſtetricante ſudore, pariunt, per ſuperfœtationem quaſi prægnantes, varii argumenti ſcripta breviuſcula enituntur, ne vigor animi, ad opera prægrandia neceſſarius, aſſidua in unam rem meditatione frigeſcat. *Wolfgangus Muſculus* locos communes edidit, opus plane divinum quidem, judice *Paravicino*, l) verum toto decennio elaboratum. *Bernhardus Lami* tractatui de templo Hieroſolymitano 30 annis inſudavit. *Emanuel Theſaurus* Ideæ argutæ & ingenioſæ dictionis ſtudium 40 annorum impen-

dit.

l) *Vincent. Paravicin. ſingulo de Vir. erudit. claris, Cent. II. p. 87.*

dit. *m) P. Vbertinus Carrara*, Soc. Jeſu, Columbum, ſeu carmen epicum de novo orbe detecto 1715 Romæ edidit, ſane plus quam Elephantinum partum, 40 enim annos operi elucubrando inſumſit, & ſic Maronem ipſum, cujus Æneida imitatus eſſe dicitur, multis paraſangis poſt ſe reliquit, *n)* qui Bucolica triennio, Georgica ſeptennio, Æneida undecim annis abſolviſſe legitur. Inter ſcripta *Jac. Gaffarelli* inedita recenſetur ejus Hiſtoria mundi ſubterranei 30 annorum itinere per varias orbis terrarum partes obſervata & concinnata. *o)* Nuperrime *Dn. Gronovius* ſua in Herodotum commentaria in lucem emiſit, & quidem, uti ex Actis Erudito r. Lipſienſ. cernere licet, Muſis non adeo propitiis, licet & illis 40 annorum laborem conſecrârit. Verum anne putandum, Viros hos clariſſimos interea temporis, dum vaſta illa opera, immenſo pene temporis ſpatio, concinnarunt, plane nihil aliud Muſinatos eſſe, ut cum *Barbaris* loquar; contrarium ſane facile evincunt anni editionibus aliorum ingenii monumentorum ab ipſis editorum adpoſiti.

§. IX.

m) Novell. Litter. Lipſ. Num. XXI. pag. 82. Num. XXII. p. 85. Num. XXVI. p. 101.

n) Frid. Taubm. Prolegom. in libr. Æneid. p. 300.

o) Vid. Præfat. Curioſitat. inaudit. Gaffarelli præmiſſ.

§. IX.

Vidimus hactenus *intellectum* noſtrum mutatione rerum ſeu negotiorum ſæpe gaudere. Verum neque VOLUNTATIS alia eſt ratio. *Affectus* animæ nepotes, voluntatis numeroſa proles, omnino inter ſe facile permutantur. Amorem odium ſequitur: indignationi placatus animus ſuccedit: gaudium excipit luctus, & timorem ſpes melior decutit. Qui ita? Mens inſtabilis ſemper fluctuat: affectus ſunt fluctus in hoc importuoſo mari. Equidem luctus atque timor mentem non ornant, ſed onerant: idcirco natura illos non appetit, ſed fugit; attamen iisdem preſſa eo ardentius mutationem exoptat, gaudium & opem anhelat. Præter communes affectus, ſingulares quoque inveniuntur, non apud cunctos, aliquos tamen, emergibiles *p)*. Ambitio ſcilicet, iracundia, avaritia, amor impurus. Affectus hi haud raro ſibi invicem ſuccedunt, & alius alium principatu dejicere tentat. Hominem nobis proponamus mediocris fortunæ, quem auri fames improba vexat. Satur divitiis, ſitit honores. Geld und Gut hab ich gnung/ aber an Ehre fehlt mirs noch; ſagte jene Bürgers-Frau. Honore redempto, iracundia incipit dominari. Nam cum anguſtæ prioris fortunæ ſocii Vejoves novos plerumque contemnant, iſti ſuperbia elati injuriam acceptam acerbiſſime vindicare ſolent, vel, ſi forte deſunt, in quos ſæviant, animi impoten-

p) *Magnif.* Dn. D. Lœſcher *evangel. Zehen. P. II. p. 181.*

potentia in turpes libidines dilabuntur, cum Caracalla rati, ſibi, rebus ſic ſtantibus, licere, quicquid libet. En alternantes affectuum tempeſtates in cordis ſalo! Exæſtuat hoc mare quidem citius in ſexu ſequiori: varium & mutabile ſemper foemina. Die Weiber haben lange Röcke und kurtze Sinne. Sed & viros hic Euripus ſæpe abripit. Apud utrumque ſexum exundationi huic affectuum fides, per charitatem efficax, eſt obex. Gratisſima Numini & nobis perquam ſalutaris quoque eſt illa mutatio, quando mentis caligini divina illuminatio, & morti ſpirituali vitæ gratia, ſuccedunt. Hinc Apoſtolus: Ἀποθέσθαι ὑμᾶς, κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν, τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης. Ἀνανεοῦσθαι δὲ τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν, Καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον. Epheſ. IV, 22. 23. 24. Sed iſta mutatio non a nobis, ſed in nobis, a Spiritu Sancto perficitur, quæ tamen ſcholis Theologorum ſunt relinquenda.

§. X.

Mores etiam & conſuetudines hominum oppido variare, certum eſt. Talis variatio, licet maximam partem τῆς κακοζηλίας progenies ſit, animū tamen tenet, & valde delectat. Fieri poteſt, ut iſti mores partim illaudabiles, partim ridiculi, partim manifeſte ſint flagitioſi, illos tamen ſerviles animæ lubentisſime adſciſcunt, & ſibi impenſe placent, ſi, exemplo quodam illuſtri, vel ineptire vel peccare poſſunt. Sic Plato, quia lu-

nato incedebat dorſo, ejus diſcipuli hoc ſtudioſe imitabantur. Ariſtoteles literam caninam pronunciare non poterat, idcirco & auditores illius blæſitiem ſimulabant. Melanchthon literas ſcribendo pingebat diſtortas, & tantum non illegibiles; multi tunc temporis ſtudioſi peſſime ſcribere, non ſine ſtomacho ipſius, ſummo ſtudio affectabant. *qq)* Lipſius dicendi genere rotundo, laconico excellebat, ſine pari quidem; attamen multos ſuo jam tempore nactus eſt imitatores inſulſos. In hos omnes *Horatius: rr)*

O imitatorum ſervum pecus, ut mihi ſæpe
Riſum, ſæpe bilem, veſtri movere tumultus.

§. XI.

Imprimis vero Principum mores trahuntur in exemplum. Siquidem, ut *Vellejus* judicat, *ss)* „facere recte cives ſuos princeps optimus faciendo docet, cumque ſit imperio maximus, „exemplo major eſt.

— — — componitur orbis tt)
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Sabinæ

qq) Val. Herberg. Trauerb. *P. I. p. 401.*
rr) Horat. Epiſt. L. I. epiſt. 19.
ss) Vellej. Paterculus, Hiſt. Rom. lib. II. c. 126
tt) Claudianus in panag. de 4. Conſul. Honor.

Sabina Poppæa, olim a Nerone Cæſ. ad inſaniam usque adamata, capillos ſuccinei coloris aluit. Imperatore igitur in gratiam amaſiæ crines flaveſcentes maxime laudante, factum eſt, ut Romanæ puellæ ea tempeſtate colorem ſuccineum magno ſtudio affectarent, non ſolum in capillis, ſed & reliquo corporis ornatu. Imo ſuccino ipſi antea parvo venali immane pretium acceſſit, poſtquam Principi Amatori in pretio eſſe cœpit. Verum ad propiora nos tempora conferamus. Philippus bonus, Burgundiæ Dux, contra morem tunc temporis receptum comam radebat, Nobiles raſuram principis ſtatim imitabantur. Sic in aula Maximiliani Imperatoris optimi familiares Cæſareæ Majeſtatis colorem, veſtitus, *uu)* formam poculorum, aliarumque rerum, quibus Imperator uti ſolebat, imitati ſunt: Nec non fœminæ illuſtriores, quæ conſpiciebant in Auguſta; ita, ut pelliceæ veſtes & aliæ res, alioquin tanquam nimis vulgares neglectæ, in majori pretio haberentur, eo quod & Imperator & Auguſta iis uti non dedignarentur. Præcipue Galli ad bonos vel malos Principis mores etiam in rebus minimis ſe ſtudioſiſſime componere ſolent. Cum *Ludovicus XI.* Galliæ Rex, Carolum filium vetuiſſet latine quicquam ſcire, præter hoc unum: *Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare,* forte propter valetudinis imbecillitatem, conſilium hoc Regis nobiles regni adeo male interpretati ſunt, ut nullum literarum genus non

T 2 contem-

uu) *Camer. Hor. ſucciſ. Cent. I. cap. 66.*

contemſerint. Econtrario *Franciſco I.* litera[s] literatosque ſummo ſtudio fovente, plerique Nobilium Muſas iterum ſunt amplexi. Idem Franciſcus cum ob vulnus capitis facilius curan[-] dum capillos demeteret, mox omnes aulici tonſ[a] capita oſtentare, laudi ſibi duxerunt. Audiviſſe me e Viro quodam nobili, jamdudum pie defuncto, memini, ea tempeſtate, qua *Ludovicus XIV* pellicem *la Valiere* perdite amabat, Lutetiis commorante, illuſtri hoc peccato Gallos ita fascinatos fuiſſe, ut vix equiſo eſſet, qui non conſultum ſibi putaret, concubinam alere. Ridiculum eſt, quod Dn. Auctor der gelehrten Neuigkeiten *xx)* e Gallico quodam ſcriptore adducit, qui evincere conatus eſt, verum guſtum hodie in tota Gallia exulare, quia cibi non ad leges Cælii Apicii, celeberrimi apud Romanos Gulonis olim, culinarias coquerentur. Ille refert, juſcula olim apud Gallos frequenter nucibus odoratis condita fuiſſe; verum cum Regi variolis ægro juſculum tale vomitum cieret, & exinde nuces illas Rex plane averſaretur, iſtas non ſolum nobilibus aulicis, ſed & in tota Gallia adeo abominabiles ab eo tempore fuiſſe, ut nemo, citra ſtomachi injuriam, odorem modo illarum ferre potuerit. Rege autem poſt triginta annos edendis iſtis rurſus paulatim aſſuefacto, nuces miſellas, a ſubditis quaſi ab exillio revocatas, iterum in pretio haberi.

Scili-

xx) Num. XV. 1716. p. 59.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Utq; Ducum lituos ſic mores caſtra ſequuntur. yy)

Viden' ergo, quomodo mores noſtri & conſuetudines ad mores aliorum varientur, haud ſine magno animi corrupti delectamento. Nam animis ſervili adulatione erga potentes vel *prava complacentia* erga amicos imbutus, zz) ad aliorum mores ſuos indiſcriminatim accommodat, & mutat, damit man nur für einen complaiſanten Menſchen gehalten werde.

§. XII.

Reſtat, ut de variabili veſtiendi modo paucula addamus. Nam ALAMODALITAS *in veſtitu* totam fere Europam ineſcavit: Cumprimis noſtri Germani apud exteros male audiunt, quod veſtiendi ritum ſingulis prope annis varient. Notum eſt dicterium Pictoris cujusdam, quem Imperator Turca juſſerat ſingularum nationum veſtitus penicillo ſibi ob oculos ponere: paruit artifex non inficetus, cunctasque gentes ſuo modo inveſtitos pinxit, ſolos Germanos nudos, panni faſciculum brachio geſtantes, delineavit. Cauſam interrogatus, *Germani*, inquit, *quotannis ferme veſtitus rationem variant. Nudos ergo cum panno pinxi, ut liberum illis relinquerem, ſe eo pro lubitu veſtiendi.* Et ſane negari non

yy) *Claudian. paneg. I. De laudibus Stillicon.*

zz) *Magnif.* Dn. D. Loeſcher *evangel. Xden P. IV. p.* 105.

poteſt, Germanos noſtros Alamodalitate veſtium maxime delectari. Neque hoc bellicoſæ Genti vitio verti debet; quæ fortitudinis admiratrix veſtium habitum ab illis plerumque mutuata eſt, quos gloria belli cœteros anteire vidit. Hiſpanis ſub Carolo V. rerum potientibus, ad morem illorum veſtes ſuas aptabat, id quod e picturis illorum temporum manifeſte liquet. *Gallis* poſtea armorum fama celeberrimis, Gallicæ etiam veſtes apud nos in pretio haberi cœptæ, quod facile nobis condonari poterit, cum Alamodalitas veſtiaria, in Gallia ſedem figens, totam fere Europam ſub jugum miſerit, licet Barclajus gentes conterminas, tanquam Gallorum ſimias, hanc ob rem ſalſe irrideat, *vicinæ*, inquiens, *aa*) *gentes ridiculo errore deceptæ; ad illorum quoque mores per earundem veſtium ac motuum variam imitationem putant accedere; ignaræ, leporis & gratiæ virtute, in nonnullis hominibus uno genio cuncta placere, in aliis autem, in quibus natura ad hos mutabiles habitus propitia non eſt, ejusdem venuſtatis imitationem & curam ingratam ac ludicram eſſe.* Malunt autem Germani noſtri hodie ab aliis veſtium formam accipere, quam ipſi excogitandis illarum modis, cum detrimento temporis, immorari. Neque tamen *Alamodalitati* Gallicæ ſacramento quodam ſe obſtrinxere, ita, ut non pro lubitu aliarum gentium veſtibus uti ſolerent. Moſchorum veſtes talares fœminæ quoque nobiliores juxta ac mares non

aa) *Barclajus icon. anim. c. 3. p. m. 27. 28.*

non faſtidiverunt, poſtquam hodie ſub Sereniſſimo Principe nobis fœderato priſcam iſti feritatem dedidicere. Nec Suecorum, licet hoſtium, ſaga Saxones aſpernantur, quia ſolenne noſtris, eorum habitum imitari, quos laude bellica florere videmus. Sunt tamen ruſtici quibusdam Saxoniæ locis, præſertim circa Miſenas, antiquiſſimam urbem, uti nobis a peritis morum iſtorum traditum eſt, majorum in veſtiendo conſuetudinis tenacisſimi, adeo ut illi variationem ſeu mutationem modorum veſtiariorum plane reſpuere videantur; verum, re paulo accuratius perpenſa, hi quoque omnium maxime, ſi qui alii, *Alamodalitati* parere dicuntur. Nam licet muliebris ſexus præcipue figuram veſtium a majoribus traditam mordicus teneat, materia tamen ornatusque veſtium ſingulis prope annis non ſine inſigni luxu, & propudioſa pecuniæ profuſione, variat. Mares vero non tam materiam, quam figuram veſtium ſubinde mutant, id quod curioſo harum rerum obſervatori ad oculum patet. Nam pileorum, ſagulorum, pectoraliumque, longe jam alia ratio eſt, ac paucis abhinc annis fuit. Solæ caligæ longæ latæque adhuc antiquum obtinent. Die groſſen weiten Pumphoſen trägt der Bauersmann noch immer. Credo ob ſingulare commodum, quod hoc veſtimenti genus induentibus æſtivo tempore præſtat, follium inſtar æſtum arcendo. Verum unde noſtris tantus amor hujus *Alamodalitatis?* Natura varietatis ubique amans: naturæ

enim vim facere videntur, qui Alamodalitatem veſtium plane antiquandam, triſti ſupercilio contendunt. Intellectus enim per oculos veſtium variationem percipit, hanc genio noſtro, ad mutationem ſemper proclivi, admodum convenire perpendit; porro Alamodalitatem in veſtitu cum grano ſalis acceptam, neque ſacro codice, neque jure civili prohibitam videt. Nam leges veſtiariæ vel ſumtuariæ non libertatem ſe hoc vel illo modo veſtiendi tollunt, ſed tantum luxum veſtium coërcent. Sic ſacræ paginæ nullibi, quod ſciam, veſtium variationem iteratam, ſed tantummodo accedentem prodigalitatem, ſuperbiam, & ſi qua heic contra honeſtatem fiunt, prohibent.

§. XIII.

Dominus quidem, ſe omnes *indumento peregrino indutos*, viſitare velle minatur, Zephan. I, 8. alle, die ein fremd Kleid tragen: Verum ſententiarum divortia in loco hoc explicando probe ſunt attendenda. Quidam per indutos veſte peregrina intelligunt Judæos, qui, patrio more relicto, una cum religione, Ægyptiis Babyloniisque, quorum gratiam ambiebant, in veſtitu ſe conformabant: ita *Tarnovius*, *Lutherusque* bb) hunc locum interpretati ſunt. Alii volunt, Deum ad interdictum Levit. XIX, 19. de veſtibus, lanâ linoque mixtis, reſpicere. Sic Vinarien-

bb) Luther. Tom. VII. Altenb. fol. 680. Tarnov. Comment. in Prophet. min. h. l.

rienſes: die ein fremd Kleid tragen, ſo wieder GOttes Gebot, Levit. XIX, 19. aus ſeinen und wöllin gemacht. Neque tamen deſunt, qui hæc verba ad Sacerdotes idololatricos pertinere dicunt, *cc)* apud Judæos veſtibus inter ſacrificandum exoticis uſos. Hunc facit gloſſa Lutheri interlinearis: in ihrem Götzen-Dienſt, Chor-Kappen ꝛc. denn ſie haben ſonderliche weiſſe Opffer-Kleider geſtifftet, den Gott zu Jeruſalem zum Verdrieß. Sententiam eligas harum, quamcunque velis, parum refert. Nam ſecundum primam ſententiam taxantur, qui ex levitate animi mutata fide, veſtitum etiam in gentilium gratiam mutabant, & ſic libertate veſtiariâ peſſime abutebantur. Lex vero Levit. XIX, 19. ad politiam Judaicam tantum pertinet. Ultima autem ſententia ſacerdotes idololatras ſub jugum iræ divinæ mittit: atque hanc & nos, ſalvo tamen aliorum judicio, amplectimur, atque credimus, Spiritum S. hic maxime Sacerdotibus minari, qui, exuto Deo patrio, inter ſacrificandum veſtes etiam ſacras ab Ipſo præceptas exuebant, & peregrino habitu ſacra faciebant. Huic ſententiæ tam antecedentia textus, quam conſequentia favent. Nam v. 4. Sacrificulis ſeductoribus: v. 5. 6. populo ſeducto pœna denunciatur: v. 7. tempus horrendæ pœnæ determinatur: v. 8. denominantur ſpeciatim maxime puniendi, Magnates ac Principes, populum ſcandalizantes, & omnes peregrinum veſtitum gerentes, h. e. ſacerdotes

 impii,

cc) Pol. Synopſ. Bibl. Critic. h. l.

impii, qui neglectis ſacris veſtibus, a DEO Exod. XXVIII, 2. demandatis, peregrino habitu ſacrificabant. Hi v. 9. porro deſcribuntur a more quodam ſuperſtitioſo atque malitiâ. Auch will ich zu derſelben Zeit die heimſuchen, ſo über die Schwelle ſpringen, die ihrer Herren Hauß füllen mit Rauben und Trügen. Sane ſaltus ſuper limen inſignem ſuperſtitionem redolet, miniſtris idololatricis iſtarum regionum perquam familiarem, poſtquam Dagon, Philiſtæorum Idolum, in limine templi truncato capite, coram arca fœderis, martyrium quaſi, ex mente illorum, paſſum fuit, atque hoc pacto cuncta templorum limina ſanctificavit, ut in poſterum ſacrificuli aliique ingredientes vel egredientes limen templi pedibus attingere religioni ſibi ducerent. *dd)* De miniſtris Dagoniticis certe Scriptura hoc diſerte affirmat 1. Sam. V, 5. Darum treten die Prieſter Dagon, und alle, die in Dagons Hauß gehen, nicht auf die Schwelle Dagons zu Asdod, biß auf dieſen Tag. Quæ conſuetudo deinde & apud cœteros invaluit. Sane nihil novi, a liminis tactu in egreſſu vel ingreſſu, ſuperſtitione invaleſcente, ſibi cavere. Apud Romanos nova nupta, e patris domo egrediens, limen non tangebat; ne magicis pharmacis lædi poſſet, quæ ſub limine ad deſtruendam conjugum vel concordiam, vel vim ge-

nita-

dd) Conf. M. Greg. Mich. not. in Gaffarelli Curioſit. P. I. p. 56.

nitalem defodi ſolebant a veneficis. *ee)* Compertum habeo, puerperas quasdam, a ſuperſtitioſis obſtetricibus infatuatas, ex plebis purificationis ſuæ diebus, e domo primum prodeuntes ſollicite caviſſe, ne egrediundo limen tangerent. Quidni ergo ſacrificuli, in mnemoſynon calamitatis, Deaſtro ſuo olim immiſſæ, a calcando templi limine abſtinuerint? applaudit paraphraſis chaldaica, quæ hæc verba: *tranſilientem ſuper limen*, exponit: ſuper omnes, qui vadunt in legibus Philiſtæorum. Optime etiam huc quadrant, quæ pone ſequuntur: die ihrer Herren Hauß füllen mit Rauben und Trügen. Nam hoc proprium erat falſorum Prophetarum, ut rapinis & impoſturis variis Præpoſitorum ſuorum domus implerent. Sic de Phariſæis Chriſtus ipſe: Matth. XXIII, 14. Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι. Stante hac hypotheſi, Dominus Zephan. I, 8. non indiſcriminatim omnibus veſte peregrina utentibus, ſed tantum impiis ſacerdotibus veſtitu peregrino templum profanantibus graviſſimas pœnas minatur.

§. XIV.

Conferri cum hoc loco etiam meretur Devt. XXII, 5. Ubi Deus interdixit, ne vir veſtem muliebrem, aut mulier virilem geſtet, hoc enim eſſe *abomi-*

ee) Joh. Mich. Dilherr. Diſpp. academ. Tom. I. pag. 801.

impii, qui neglectis ... æ in ſc... Exod. XXVIII, 2. ... ium ſacrificabant. Hi ... more quodam ſupe... will ich zu derſelb... die Schwelle ſp... füllen mit Ro... ſuper limen ... miniſtris ... quam fam... rum Ido... coram ... ementito habitu ſacra facerent. Illorum ...o *Veneris* ſimulacrum fuit corpore tem...ate muliebri, cum ſceptro tamen & natura ...rili, quod ἀφρόδιτον vocant: gg) cui *viri in* *veſte muliebri, mulieres in virili veſte ſacrificant.*
„ Aſſyrii etiam hoc ritu Venerem coluere. Hinc
„ *Julius Firmicus*, ſacerdotum ſuorum chorus, in-
„ quit, *bb*) ei aliter ſervire non poteſt, niſi effœ-
„ minent vultum, cutem poliant, & *virilem ſexum*
„ *ornatu muliebri dedecorent.* ii) Quid, ſi igitur dice-

ff) *Phil. Zeſius in notis* zu ſeiner *Aſſenat p. 368.* *Confer. etiam omnino diſſertat.* de Promiſcua veſtium utriusque ſexus uſurpatione, ... *Kandlero Lipſiæ ſub Præſidio viri Clariſſ.* Dni M. Caroli Frid. Pezoldi, *1702 habita, p. 11. 12.*

gg) *Honorat. Servius ad lib. 2. Æneid.*

hh) *De errore profan. relig. p. 6.*

ii) *Vid. etiam M. Gregor. Mich. not. in Gaffarelli Curioſ. inaud. P. I. p. 53. 54.*

diceremus, Judæos in gratiam Aſſyriorum, quorum arma reformidabant, vel etiam ut Deos eorum ſibi propitios redderent, idololatria tempore Zephaniæ Prophetæ ingraveſcente, muliebri habitu Babyloniæ Veneri quoque immolaſſe, atque eo verba: die ein fremd Kleid tragen, in textu pertinere, ita, ut *aliena*, h. l. idem ſint ac Devt. XXII, 5. *vetita* veſtes. Sic alienæ mulieres Eſr. X, 2. aliena altaria, 2 Paral. XIV, 3. alieni Dii, Gen. XXXV, 2. Devt. XXXI, 16. alienus ignis Lev. X, 1. Num. III, 4. pro vetitis habentur. Verum e diverticulo in viam.

§. XV.

Supra diximus, intellectum noſtrum judicare, Alamodalitatem veſtiariam per ſe eſſe bonam, & quia bona, eligibilem. Voluntas ergo ab intellectu edocta cupit illa frui, nec renuit, ſe ad morem ſeculi in veſtitu accommodare. Inſons tamen hæc & tolerabilis voluptas actutum in vitium abominabile vertitur, quam primum, intellectu prædominantis phantaſiæ nebulis involuto, & voluntate pariter voluptatum infecta veneno, illa ſuperbiæ, luxuriæ, aut libidini, fomitem præbet. Abuſu autem ſublato, *Alamodalitas veſtiaria* vitio caret, utpote in ipſa natura fundata. Neque etiam judicii imbecillitatem arguit, cum ea rejicimus, quæ uno vel altero anno placuere: quin potius acumen ac libertas illius exinde emergit, dum, poſthabitis antiquis, nova ſeliguntur, quæ commodiora, vel venuſtiora, vel & aptiora videntur. Alias omnes judicii

imbe-

imbecillitate laborarent, qui variatione ac permutatione rerum, naturæ inſtinctu, gaudent. Quod ſi vero quis ſingulis menſibus, vel quæ nudius tertius modo placuerat, veſtimenti figuram mutare vellet, næ, illum novaturientis & levis animi hominem ſi quis dixerit, non magnopere refragabimur.

§. XVI.

Cœterum ſi plane tollenda nec toleranda per ſe Alamodalitas veſtiaria eſſet, ſane miniſtros eccleſiæ illam cane & angue pejus fugere oporteret, quippe quibus τὸ συσχηματίζεσθε τῷ αἰῶνι τούτῳ Rom. XII, 2. omnium minime convenit. Jam vero apud hos etiam Alamodalitatem quandam in veſtitu, tam quoad colorem, quam figuram, deprehendimus. Colorem quod attinet, Clerus noſter in Germania atrate incedit: at in Pannonia eccleſiæ miniſtri cæruleo panno ſe inveſtire dicuntur. Utrobique mos regionis ita jubet: ländlich, ſittlich. Cæruleus quidem color olim civibus Agrigentinis *kk*) adeo exoſus fuit, ut nemini veſtimenta ſic colorata geſtare permitterent, quia Phalaridis, immaniſſimi apud eos Tyranni, ſatellites iſthoc colore in ſubligaculis uſi fuerant: gratiſſimus tamen hodie Suecis eſt; & quia olim quoque Matronis Romanis tempore luctus in uſu fuit, indignus haud eſt, quo etiam a Clericis, provinciali conſuetudine ita ferren-

kk) *Alexand. ab Alexandro dier. gen. Lib. VI. cap. 18.*

ſeruuſe, in pretio habeatur. Nigræ tamen veſtes per multa retro ſecula ſacrorum Antiſtitibus quaſi peculiares fuere. Mira hæc res eſt. Conſtat enim in cultu Levitico nigro colori locum plane non fuiſſe, ſed ſacerdotes albis indutos veſtibus ſacra peregiſſe. *ll*) Tantummodo ſacerdotes, qui illegitimi aut inepti ad obeunda Altaris miniſteria judicabantur a Synedrio, *nigra veſte* induebantur; Verum fallor, an priſca eccleſia hoc pacto antiſtites ſuos a Synagogæ Judaicæ miniſtris diſcriminare voluit, & quidem id eo magis, quia gentilium quoque ſacrificuli ut plurimum idolis ſuis veſte pura, i. e. alba ſive candida, immolare ſolebant. Ante ſeculum IV ſacerdotes vix colorem certum pro veſtimentis ſuis conſtanter elegerunt. Primis ſeculis a Laico Clerus non niſi ſanctitate vitæ, dignoſci voluit, potuit. Veriſſimum eſt, illos veſtium luxuriam, prout decebat, aſpernatos, more plebejo in latina eccleſia ſe veſtiviſſe. Veſtes autem plebejæ erant ea tempeſtate fuſci vel ſubnigri coloris ſchwarz-braun, unde turba pullatorum apud *Suetonium* *mm*) & diſcrimen inter *candidatos* & *pullatos*. Iſti erant cives honeſtioris ordinis, hi infima plebs & pauperrimi, quales ſe Chriſtiani primi eſſe, maxime vero Clerici, profitebantur. Ergo primi V. E. miniſtri veſti-

ll) *Vid. Summe-Rev.* Dn. D. Salom. Deylingii *obſerv. S. P. II. obſerv. XIII. p. 137.*

mm) *In Auguſt. c. 40.*

veſtibus nigricantis vel fuſci coloris uſi ſunt. Schwartz-braun iſt die allererſte Mode der Geiſtlichen geweſen. Imitabantur philoſophos Cynicos, Pythagoreos, Stoicos, alioſque, qui ſanctiorem philoſophiam profeſſi ab imperita hominum turba pallio plerumque detrito, obſoleto, fuſcoq; diſtingui volebant, non quod cuncti tam pauperes eſſent, ſed quod opes pompamq; mundi vanam philoſopho vero ſpernendam & calcandam eſſe, hoc indumento docere vellent: Sic ſacerdotes & Aſcetæ fuſcâ veſte induti ſignificare volebant, ſe non amplius de hoc mundo eſſe. *Tertullianus Afer*, nobilis genere, Presbyter Carthaginienſis, tale pallium ſumens popularium ſuorum reprehenſionem incurrit; quapropter apologiam pro pallio conſcripſit, quæ etiamnum inter opera ipſius extat. Epiſcopi etiam indumenta fuſca geſtarunt. Hinc *Euſtatius*, Sebaſtenorum Epiſcopus, Conſtantini tempore, videns hunc veſtiendi colorem apud Clerum obſoleſcere, Epiſcopos & Presbyteros ad hoc *φαιόχρουν* revocare, magno ſtudio laboravit, teſte *Socrate*, mm) Er hat die alte Mode mit Gewalt wieder aufbringen wollen. *Baronius* in Annalibus oo) narrat, *D. Chryſoſtomum* morti proximum, demum fuſcam veſtem exuere, & albâ indui voluiſſe. Fuſcam tamen veſtium ſacerdotalium colorem a Conſtantini M. tempore, monachatu cre-

mm) Hiſt. Eccleſ. lib. II. cap. 43.
oo) Ad ann. Chriſti 407.

creſcente, paulatim in nigrum transmutatum. *Cl. Calvœrius* putat, *pp*) quo clerici ſe plane mundo jam mortuos eſſe, & propter vitæ humanæ miſerias cottidie in luctu verſari, teſtatum voluere. Hinc etiam eccleſiæ noſtræ inſtauratores ſacrum hunc Clero colorem eſſe juſſerunt. Schwartz iſt nun in Freud und Leyd der Geiſtlichen ihr Ehren-Kleid, anzudeuten, daß, nach S. Pauli Exempel, ſie der Welt, und die Welt ihnen, gecreutziget ſeyn ſolle, Galat. VI, 14.

§. XVII.

Alamodaliſitatem etiam, quoad formam veſtium, aliisque in rebus Clerus noſter haut aſpernatus eſt. Priſcis temporibus paulo poſt Reformationem B. Lutheri eccleſiæ miniſtri collaria tubularia Duten-Krauſen, ſibi circumdabant, quæ haut dubie à ſecularibus, tempore Caroli V. his utentibus, mutuati ſunt. His collaria plana Uberſchläge ſucceſſere, figura quoque admodum variabili. *qq*) Etenim illa mox oblonga, ſpythamæa, mox brevia & decurtata, jam palmaria, jam vero tres digitos vix latitudine ſuperantia, apparuere oris modo ſemidigitalibus, modo latioribus: hæc vel acubus capitatis jugo collari nigro, vel filamentis candidæ faſciæ collum ambientis aſſuuntur. Poſterius inventum *B. Spenero* deberi, ſunt qui affirmant. Barbam prolixam alere vel radere, comam nutrire aut reſecare, prout mos ſeculi tulit variabilis, turpitudini ſibi non duxere

pp) *Ritual. P. II ſect. 3. cap. 29.*

qq) *v. Dn. L. Urb. God. Siberus de Collarib. Cleric.*

re clerici: Imo & capillamentis ſine ſcandalo uti cœperunt, poſtquam hanc conſuetudinem Eruditorum valetudini valde conducibilem eſſe, ſunt perſuaſi. Patrum noſtrorum memoria caputia, ſeu mavis, Capitia geſtabant, à tergo duabus plicis ſat magnis inſignia ſine manicis, quæ ſubuculæ erant aſſutæ zweyfaltige Hartz-Kappen ohne Ermeſ. Hæc poſtea cum togis manicatis permutarunt. Neque hæ ſemper eandem formam retinuere, dum modo laxiores, modo ſtrictiores, modo longiores, modo breviores ex ſeculi ingenio ſunt factæ. Cum enim ad minimum ſingulis luſtris inſignis veſtium mutatio accidere ſoleat, Clerus quoque eam, *modo honeſtati & gravitati non repugnet*, imitari pene cogitur, ni affectatæ ſingularitatis notam cum multorum offenſione & riſu incurrere malit. Sed plura hac de re impræſentiarum dicere non vacat. Præſtat hoc argumentum aliis exercitatioribus relinquere.

§. XVIII.

Ex hactenus dictis autem ſufficienter patere arbitror, *veſtium Alamodalitatem, naturæ, ad mutationem ſemper inclinantis, chariſſimam alumnam*, modo luxus & turpitudo abſit, *facile tolerari poſſe:* imo argumento eſſe illam, *ſenſus* etiam *internos*, in varietatem & variationem ſeu mutationem rerum, naturali quodam pulſu, magna cum voluptate ferri. Id quod minime mirandum: ipſe enim homo ſingulis annis, imo ſingulis ferme diebus mutatur; quidni in rebus extra ſe poſitis variationem rerum quærat, amet, affectet? Tantum.

OBSER-

LOLLUS
Franconiae Deaſter.



OBSERVATIO LXIX.

JO. HENR. BOCRISII,

Philoſ. Natural. P. P.
Gymnaſ. Svinfurt. Con-Rect. ut &
Societat. Scient. Pruſſo-Berol. Reg. Socii,
De

Lollo, veteri Franconiæ Deaſtro,

cujus veſtigia in agro Svinfurtenſi occurrunt.

Figuram exhibet Frontiſpicium hujus Tomi.

QVemadmodum antiquis temporibus tota *Germania* idolorum cultui ſe devoverat; ita & *Franconia* ſuos habebat Deaſtros, quos cæca ratione colebat. De *Diis Germanorum* jam non eſt dicendi locus, cum id alii jam præſtiterint. 1) Immo *Franconiæ* quoque

V 2

1) *Inſtar omnium ſunt* Eliæ Schedii *de diis Germanorum Syngrammata IV, quæ poſt Auctoris obitum in lucem edidit Pater ejus* Georgius Schedius, *& valde rara facta ſunt. add.* Philippus Cluverus *in Germania antiqua, ubi tamen neſcio an aliquis ipſi pollicem premet, quod C. XXIX. aſſerat, Germanos ſub Solis, Lunæ & Ignis nominibus SS. Trinitatem veneratos eſſe. Plures vid. apud* Dn. D. FABRICIUM Bibliogr. antiquar. p. 253.

que idola prolixius adducere a re poſita alienum eſt. Interim pauca ſaltem commemoraſſe juvabit. Omnium autem maxime *Dianam* coluerunt, ceu cujus cultum a *Celtis* ſive *Gallis* acceperunt. 2) Hinc in pervetuſto Chronico *Noribergenſi*, manu deſcripto, hæc leguntur verba: Und auf dießmahl, (nehmlich da das Schloß zu Nürnberg nicht lange nach Druſi Zeiten erbauet worden,) iſt Teutſchland nicht Chriſtliches Glaubens geweſt, und in dieſem Schloß hat die Abgöttin Diana einen Tempel gehabt. Ita Fanum in monte *Herbipoli* Dianæ ſacrum *S. Bonifacius* Mariæ ſemper virgini dedicavit, quod templum Chriſtianorum in Germania primum fuiſſe dicitur. 3) Tale quoque *Dianæ* delubrum in ipſa urbe *Herbipolenſi* fuit, ubi jam monaſterium novum extructum eſt. 4) Porro & *Plutonis* & *Martis* numina demiſſe adorabant. Sicuti enim *Dianam* venerabantur, quod montibus & Sylvis accolentes in venationibus proſperos ſucceſſus ſibi exoptabant; ita *Marti* quoque ſuus tribuebatur honos, quod bello fortes, armisque exercitati, hoſtiumque victores eſſe cupiebant. Quod ad *Plutonem* attinet, ſunt nonnulli (quos inter pertinet CONR. CELTES, *Svinfurtenſis*,) qui *Herbipolim* ab hoc Idolo nomen ſuum ducere arbitrantur, dum *Pluto* græce Ἔρεβος appellatur, inde iſtud

2) *Plutarchus* de virtut. mulier. p. 257.

3) Dn. EYRINGIUS diſſ. de ort. & progr. relig. Chriſt. in Franc. §. X.

4) *Anonymus* deſcript. circul. Francon. p. 61.

iſtud nomen ortum eſſe, & *Herbipolim* nihil aliud eſſe quam *urbem Plutonis* contendentes. Sed hos alii (forte non immerito) rident, ab herbis præſtantioribus, ibidem largius procreſcentibus, vel muſto generoſiori originem vocis derivandam eſſe rectius ſtatuentis. 5) Nullus dubito, quin & in urbe *Svinfurtenſi* aliqua veſtigia iſtiusmodi Idolorum deprehenderemus, niſi iſta civitas, quæ temporibus priſcis idolorum cultui dedita erat, An. 1253, alii 1254 *Herbipolenſibus* & *Hennebergenſibus* grave bellum inter ſe gerentibus, penitus deleta, alioque loco plane nova ædificata eſſet. 6) Hinc cum ea civitatis, quam nunc incolimus, ſit felicitas, ut nullum idolum eam commaculaverit, cum a meris Chriſtianis ſit exſtructa, veſtigia quoque nulla deaſtorum Gentilium offenduntur. Interim in tractu quodam *Svinfurtenſi*, Mœnum fere lambente, aliquod indicium hodienum occurrit, dum vetus eſt traditio, ibidem idolum quoddam a *Franconiæ* incolis cultum fuiſſe, quod LOLLUS, ſive LALLUS, ſive LOELLUS vocatum ſit, unde ipſe regionis tractus, qui jam vitibus arboribus-

V 3 que

5) *Laurent. Friſe* Chronic. Herbipol. edit. Ludwig. p. 395. *Nicol. Serarius* in S. Kiliano p. 977.

6) *Erat hoc tempus, quo urbs hæc* Svinfurtum in exilio, Schweinfurth im Elend, vocabatur. De his prolixe diſſerit Excell. Dn. HöHN Hiſtor. Coburg. P. II. p. 22. *Spangenberg* Chronic. Henneberg. p. 124.

que amœniſsime ſuperbit, das Lohla diceretur. Ajunt autem, fuiſſe *ſtatuam aneam adoleſcentis, crinibus flavis* artificioſe tortis picti, *pollice & indice dextera manus linguam apprehendentis, reliquis digitis in altum porrectis: ſiniſtra* autem *manu poculum vini, ſpicis triticeis* immiſtis præferentis, & *de collo appenſa papaverum capita geſtantis.* Ita enim figuram ejus delineatam legi in Chronico quodam *Svinfurtenſi*, antiquitus manu deſcripto. Forte igitur quis non erraverit, ſi tali ratione hunc Deaſtrum ſiſteret, qua formam ejus hic depictam vides. *Sicambrorum*, qui iidem cum *Francis* erant, dum *Franconia* eorum erat Colonia, 7) hoc idolum fuit, cui juxta ſtatuam in luco quodam 8) verſus ripam Mœni ara erecta fuit,

7) Illuſtris Dn. COCCEJUS Jur. publ. p. 84. *Hoc etiam patet ex alloquio, quo* Remigius *Epiſcopus erga* Clodovæum *Franciæ Regem, ſacro fonte abluendum, uſus eſt:* Mitis depone colla, Sicamber; adora, quod incendiſti; incende, quod adoraſti. *Gregor. Turonenſ.* Hiſtor. Franc. Lib. II. C. XXXI.

8) *De Lucis, cur præcipue Gentiles ad cultum Deorum uſi ſint, vid.* GOODWIN Moſ. & Aar. p. 177. Dn. CALVOER ritual. eccleſiaſt. Lib. II. Sect. I. C. I. §. 4. *Sane lucorum uſus pro templis vetuſtiſſimus fuit, nec noſtro tempore plane exolevit. Obtinet enim hodienum non tantum inter gentes quaſdam* Indicas, *ſed & inter Chriſtianos quoſdam Europæ Septentrionales, ethniciſmi veſtigia adhuc*

fuit, ſepto circumdata, ubi uvas & ſpicas certis diebus ſacrificii loco obtulerunt. Sicuti autem fere omnes Gentilium Deaſtri ita fuerunt comparati, ut per figuras externas res altioris indaginis & haud raro doctrinas morales repræſentare voluerint; ita & in LOLLO noſtro facile explicatio & applicatio fieri poterit, ſi paulo curatius rem inſpiciamus. Et quis quæſo non videt, *Francos* 9) per hoc idolum *tranquillitatem*, laudabilem ſecuritatem, & uno verbo αὐτάρκειαν præfigurare, ſimulque demonſtrare voluiſſe, quæ media ad hanc felicitatem perducant. *Capita* enim *papaverum* ſigna ſunt ſecuritatis, quietis, & tranquillitatis, quia ſomnum inducunt, curasque fugant. 10) Ad quæ bona iis ſolum aditus

apud ſe retinentes. D. FABRICIUS *l. c. p.* 289. Dn. ESCHENBACHII V. C. Exercitatio de conſecrat. Gentil. lucis *inter Diſſertatt. Ejus junctim editas p.* 133 - 214. *invenienda.*

9) *Gratum* Francorum *nomen. Nam neque* a Franco *Rege quodam, neque à ficto* Hectoris Trojani *filio, neque* a Franceſca, *haſta genere, ſed* a libertate *nomen adepti ſunt, qua nihil eſt nobilius. Inde eſt* die Freyen Francken; *item* Franck und Frey, *quod utrumque idem ac* libere *notat. Hinc bene inquit* SCHWEDERUS Jur. Publ. p. 72. Francus Germanice liberum ſonat hominem, nempe idem eſt, quod Frey/ & Franciſia libertatem ſignificat: Franciſſare ve-

patet, qui ſufficienti victu ad vitam tranſigendam neceſſario fruuntur, quique ſimul quoad commercia cum aliis hominibus labia ſua compeſcere, & *linguæ ſuæ frena* ita dirigere norunt, ut ea modo loquatur, quæ opus ſunt, & in vita communi proficiunt, contra vero reticeat, quæ minus conducunt, ſed potius obſunt. Omnibus enim patet, quanta mala impotentia linguæ progeneret, quod prolixe diduxit *Divus Jacobus*, 11) unde & ex Ebrææ gentis doctoribus *R. Schimeon* fil. *Gamal*, pulchre præcepit: לא מצאתי לגוף טוב אלא שתיקה *Non inveni quicquam corpori utilius taciturnitate*. 12) Cum igitur in hiſce rebus

ro idem eſt, ac in libertatem ſe aſſerere. *Hanc derivationem approbat* B. LUDOLPHUS Commentar. ad Hiſtor. Æthiop. p. 57. DAV. CHYTRÆUS Chron. Sax. p. 15. 16. *aliique innumeri, quos copioſe allegat* Dn. EYRING l. c. §. 1.

10) Hanc ob cauſam *Dianæ* quoque capita papaverum circa collum appenderunt, quia ſomno & nocti præeſt, vid. Nerreter *in not. ad* Roſſæi Juden- und Heyden-Tempel, p. 844. Immo hicce LOLLUS ex aliis idolorum inſignibus conſutus eſſe videtur, dum eos poculum vini a *Baccho*, ſpicas a *Cerere*, capita papaverum a *Diana* &c. deſumſiſſe, haud parum probabile eſt.

11) *Epiſt. c. III.*

12) *Pirke avoth. p. m. 5.*

rebus ſummam felicitatem collocarent, nullum dubium eſt, quin & hunc deaſtrum eo colerent, ut ſibi eadem bona largiretur. Hæc enim omnia cum ſimplicitate Veterum convenire videntur. Poſtea nomen LOLLI apud Francos Chriſtianos, ex odio erga ipſum, in vocabulum contumelioſum degeneravit, ut hodienum hominem inſulſum einen groſʒen Loll vocitarent; ſicuti & cum *Krodone* Saxonum, ac Büſterich Thuringorum aliorumque Deaſtris accidit. 13) Jam optandum eſſet, ut accurate primum tempus expiſcari poſſemus, quo hocce Idolum *Franconiæ* una cum aliis deletum eſſet, totaque regio ad fidem Chriſtianam converti cœpiſſet. Neutiquam enim tam audacter aſſerendum, acſi ante tempora *S. Kiliani* & *S. Bonifacii* nullus Chriſtianus in *Franconia* inveniendus fuiſſet, quam opinionem mecum multi alii ſemper maximopere deteſtati ſunt, & *hos*, qui ita ſtatuunt, *in miſero errore verſari, ſuamque rerum antiquarum inſcitiam prodere* ait DN. WEINRICH, Inſpector *Meinung.* 14) Jam Sec. enim IV. & V. in *Franconia* fuiſſe, qui Chriſti dogmata amplexi ſint, & idola gentilium ritusque eorum vehementer odio habuerint, teſtatur *Spangenbergius*, cum inquit; 15) Es

V 5 ſind

13) Alb. Krantzius *rer. Saxon. Lib. II. p. 99.* Nerreter *l. c. p. 1084.*

14) Diſſertat. qua primum religionis ſtatum in tractu *Hennebergenſi* exhibet.

15) l. c. p. 42.

ſind ja bißweilen auch långſt vor der Stifftung des Biſthumbs Wirtzburg etliche fromme Chriſten unter denen Heyden in Franckenland geweſen / wie man denn ſchreibt / daß Hugwalt um das Jahr Chriſti 580 und deſſen Sohn Gottfried A. 600 gute Chriſten geweſen. Ut enim taceam, quod Spiritus S. affirmet, jam *Pauli* ætate in omnem terrarum orbem, qua habitatus erat, Chriſti doctrinam penetraſſe, 16) id modo adducam, quod regnante CLODOVÆO clariſſima *Francorum* ad Chriſti ſacra converſio acciderit, qui ſvaſu uxoris CLOTHILDIS permotus eſt, præſertim cum lautam victoriam reportaret, ut primus ex ea gente Chriſto nomen daret, & una cum pluribus proceribus a REMIGIO baptizaretur. 17) *Quandoquidem*

16) Col. I. v. 6.

17) Circa hunc baptiſmum peculiare quidpiam ac prorſus eximium accidit, dum cœlitus per columbam oleum in ampulla demiſſum fuit, ſi CHIFFLETIO credendum, qui peculiarem disquiſitionem de *Ampulla Rhemenſi* conſcripſit: Sed bene DN. D. BUDDEUS: *Neque vero ampullam iſtam Rhemenſem aliud quidpiam, quam vulgi turbamentum, ut Tacitus loquitur, vel vanum inaneque commentum, ad auctoritatem Regibus conciliandam, excogitatum fuiſſe, perſvadere mihi potero.* Parerga Hiſtor. Theol. p. 302.

dem itaque præfecti ſive Duces Franconiæ in regno Francorum non inter poſtremos eſſent, hos quoque abjectâ inani ſuperſtitione Chriſto manus dediſſe non parum probabile videtur, inquit DN. EYRING. 18) *S. Kilianum* enim cum Sociis ſuis & popularibus *Colonato* & *Thodnano*, ut & *S. Bonifacium* plenariam & perquam notabilem *Francorum* converſionem poſtmodum inſtituiſſe, nemo eſt, qui dubitat. Quod autem primos annos, miniſtros converſionis, atque occaſionem adeo exquiſite non cognoſcamus, in cauſa eſt, quia hiſtoria rerum eccleſiaſticarum *Franconiæ* antiquæ adhuc deeſt, quemadmodum, quod ad res civiles attinet, eam pari modo recte deſiderat DN. BECKIUS, 19) quoniam hæc regio aut nullos aut rudes imprudentesque nacta fuit ſcriptores, qui ſimul multa luce earent, quam illi alias in juribus cognoſcendis, & in controverſiis decidendis, aliisque rebus memoria dignis explicandis nobis affundere poſſent. Et hoc ſane graviter dolendum, cum neminem fugiat, *Franconiam* noſtram ſemper egregiis rerum geſtarum monumentis conſpicuam fuiſſe, quæ ſane omnia digna fuiſſent, ut accuratiori ſtudio conſignata & illuſtrata legi poſſent.

LOLLUS, capitibus papaverum ornatus, laborem celeberrimi Dn. D. LOCHNERI, Medici Norici experientisſimi, de *Papavere ex omni antiquitate eruto* illuſtrat, cujus ibi nulla fit mentio.

OBSER-

18) l. c. §. V.
19) Diſſert. *de Ducatu Franconiæ p. 8.*

OBSERVATIO LXX.

M. PAUL. CHRISTIAN. HILSCHERI,

SS. Theol. Baccalaurei, & Eccleſiæ Palæo-Dreſdenſis Paſtoris,

de

veteri monumento,

in templo Paulino, quod Lipſiæ eſt, ante Reformationem religionis poſito,

conjecturæ.

ETſi non omnia vetuſtatis monumenta digna ſint, quæ conſerventur, eorum tamen multa ita ſunt comparata, ut operæ pretium fuerit, ea vindicare ab interitu. Atque his annumeranda puto, quæ in publico loco omnium oculis ſunt expoſita. Admodum enim veriſimile fit, quod non temere, ſed conſulto, certumque in uſum fuerint erecta, adeoque, ſi vel ingenio quoque, & arte deſtituantur, rei tamen geſtæ, aut obſervandæ ſigna ſint, & muta interpretamenta. Dabo nunc exemplum e PAULINO, quod olim LIPSIÆ fuit, MONASTERIO.

Cum

Cum ante viginti, & quod excurrit, annos ſtudiorum cauſâ ea in urbe degerem, ſemel iterumque hæſitabundus conſideravi picturas, quibus emporium, organo pnevmatico factum, exornatum fuit. Vetuſtas operis, ſimplicitasque artis, ac univerſa inventionis ratio, illa tempora loquebatur, quæ præceſſerunt æram repurgatæ religionis, figuræ autem ſingulæ occultum habere ſenſum, & ſtatum iſtius ſeculi, futuroſque rerum eventus, ſignificare videbantur mihi. Quæ cum ante annos non ita multos *ad majorem Templo ſplendorem conciliandum abolitæ fuerint*, non pœnitet me olim deſcripſiſſe eas, & hic poſtliminio in lucem producere. Ita autem ſeſe habebant:

Tab. I.

Monachum, atra veſte indutum, ſignatumque in fronte *nigra ſtella*, conſpiciendum præbebat. Siniſtra manu crumenam, dextra nummulos tenebat, inter tres pauperes diſtribuendos.

Tab. II.

Mulierem, triplici corona inſignem, & in lecto decumbentem, referebat. Ante eam *Monachus* modo dictus, in tergo portans templum, conſiſtebat, qui

Tab. III.

Tab. III.

Denuo comparebat cum fœmina, Sanctitatis nimbo notata, colloquens. In conſpectu urbs, ſuper quam fulmina e nubibus a Deo emiſſa.

Tab. IV.

Chriſtus, in cruce pendens, & circa eum ſacrificulorum examen, libros & cruces manibus complexum.

Tab. V.

Fœmina, tab. II. memorata, ſed ſine corona in lecto ſiſtebatur. Ante eam *monachus*, ſupra nominatus, in genua procumbens. Prope eum *Maria*, aſpergillo inſtructa, cui *ſanctula* vas luſtrali aqua repletum miniſtrabat.

Tab. VI.

Maria, cæruleo pallio magnam monachorum copiam tegebat, inque ſuam eos tutelam gratioſa recipiens, pro eis intercedebat apud Deum patrem. Poſt eam *monachus* iſte in genua procumbens.

Tab. VII.

Eadem *fœmina* iterum in lecto reclinata manus decuſſatim poſitas ſuper mammas habebat. Accedebat *Maria* cum duabus fœminis lacrymabunda, & in crines ejus invo-

involabat. In cœlo angelus lugubrem veſtem, ſive nigrum cucullum, oſtentans.

Tab. IIX.

Ad menſam *monachus* ille ſtellatus cum duobus aliis ſui ordinis ſedens precabatur. Appoſita erant in cœnam piſces, & vitrum vino repletum. Ab utroque latere angelus in caniſtro panem aſportans.

Tab. IX.

Duo atrati *monachi*, quorum alter, cum monſtro depugnans, reportabat victoriam.

Tab. X.

Equus excuſſum ſeſſorem poſterioribus pedibus calcitrans. A tergo *monachus* ille ſtelliger multitudini hominum, inter quos duo rubro habitu inſigniter diſtincti, concionabatur.

Tab. XI.

Coram facie *ſtelliferi monachi* varii generis homines humi procumbebant, eidemque extenſis manibus ſupplicabant.

Tab. XII.

Monachus, e cathedra verba faciens ad populum, qui in medio areæ igniculum excitaverat.

Tab. XIII.

Tab. XIII.

In nubibus *Deus Pater* cum *Maria* Virgine. In terra funus albo linteamine in ſarcophago repoſitum. Circumſiſtebant lugentes. Juxta duæ ſcalæ in cœlum erectæ.

Explicatio.

Potiores partes in hac ſcena MONACHUS tenet, *ſtella in fronte notabilis*, indiciumque facit toties recurrendo, connexam hic repræſentari hiſtoriam. FOEMINA *triplici corona* conſpicua, poſtmodum vero *ſine ea lecto defixa*, luſtralique aqua purganda, ac denique pœnitentis geſtus præ ſe ferens, ad decantatam illam traditionem de Johanna Papiſſa pertinere cenſeri poterat; ſed malim arbitrari, ſchemate illo corruptos Papæ illius temporis, effœminatosque, ac dignitate, officioque incongruos plane mores, inſimulque emendationem curiæ Romanæ ſumme neceſſariam denotari. Quod vero opus iſtud reformandæ eccleſiæ per monachum ſuſcipiatur, ac ipſa etiam MARIA luſtrando, indignandoque, proque populo intercedendo ſuppetias ferat, ad ſcorias illius ſeculi, quo hæc depicta fuerunt, referendum judico. Ut meam igitur hoc

de-

de monumento ſententiam exponam, VATICINIVM puto DE CORRIGENDO PER VIRVM EXIMIVM STATV ECCLESIÆ, qui tunc erat, plane deplorando. Siſtitur enim:

Tab. I. Vir non ordine ſolum, & habitu, ſed animo quoque religioſus,& liberalitate erga pauperes conſpicuus, imprimis autem ſignata in fronte ſtella notabilis,ac divinitus quaſi ad hoc opus deſtinatus. Is

Tab. II. Miſerrimam Eccleſiæ (templo humeris impoſito ſignificatæ) conditionem curæ cordique habens,accedit Papam, (ex inſigni triplicis coronæ cognoſcendum, ſed ob luxuriam, dormitione in lecto, & muliebri forma notatum, rerum ſuarum plane ſecurum) eundemque officii monet, ac e veterno excitare allaborat. Quod cum fruſtra agat,

Tab. III. divinum judicium, regno Pontificis Rom. imminens, expendit cum fœmina, in colloquium veniente. Interim

Tab. IV. Cœtus piorum Salvatori in cruce pro hominibus ſatisfacienti, afflictiſſimum Eccleſiæ ſtatum commendat, & auxilium ejus venerabundus implorat.

Tab. V. Papa voluptatibus immerſus dignitatem ſuam, & imperium, quod in

reges & univerſum magiſtratum hactenus uſurpaverat, culpa ſua amittens, ſine corona apparet, pro cujus pœnitentia non ſolum monachus in genua procumbens DEUM ſolicitat, ſed Maria etiam nihil non agit, ut ad meliorem frugem perducat eum, & luſtrali aqua purgare cupit peccatorem. Sed, ut neque ſuis in hac religionis tempeſtate deeſſe videretur,

Tab. VI. in tutelam recipit eos, eorumque cauſam apud DEUM perorat, cui ſe ſocium dat monachus, & flexo poplite preces amice conjungit. Etſi vero

Tab. VII. clinica illa, ab angelo in nubibus ferente cucullum ad agendam pœnitentiam invitata, emendationem improbæ vitæ videatur habere in animo; fraudulenter tamen cum faciat, a B. Virgine non ſine lacrymis, & ſumma indignatione corripitur. Quæ, dum ita geruntur,

Tab. IIX. monachus iſte cum ſociis divina providentia gaudet, & angelorum miniſterio perfruitur, cui

Tab. IX. alii pii homines ſe jungunt, & pro communi cauſa feliciter contra monſtrum decertant. Adeſt etiam Deus e machina. Seſſor enim, quem

Tab. X. eqvus excutit, & calcitrat, haud obſcu-

obſcure innuit tyrannum, Saulis inſtar adverſus Eccleſiam furentem, ſed a truculento conſilio vi cœlitus facta prohibitum; Monacho interim docente verbum Dei, & applauſum non ſolum apud plebejos homines, ſed magnates etiam, principesque viros, ferente. Indeque

Tab. XI. multitudo, divinum opus agnoſcens, ulteriorem informationem anhelat, ac æternum numen ob beneficium, opera iſtius monachi ad ſe devolutum, ſupplici ore & manu veneratur. Atque ſic

Tab. XII. ſalutaris verbi prædicatio incrementa capit, & animi auditorum igne divini amoris magis magisque incaleſcunt. Hæc dum fiunt, ecce

Tab. XIII. clinica mulier, ex inſanabili morbo tandem funus facta, publicum in feretro ſpectaculum præbet, magnumque luctum & deſiderium baſiatoribus poſt ſe relinquit. Deus autem, cum B. Virgine e cœlo proſpiciens, viam ad ſalutem conſequendam appoſitis ad cœlum ſcalis patefacit, & ad æterna gaudia homines invitat.

Hæc mihi in mentem venerunt;
Lectori meliora non invideo.

OBSERVATIO LXXI.
POLYCARP. LYSERI,
Facult. Philoſ. Witteb. Adſeſſor.
exhibens
CONSILIUM
de
nouis Ephemeridibus literatis, iisque uniuerſalibus conſcribendis.

Quo maiori Ephemeridum copia orbis laborat eruditus, eo minus conſilio meo uidetur habere opus. Nolo nunc inſtituti rationes multas allegare. Id ſolum moneo, ipſam hanc multitudinem facere, ut eiusmodi conſilia agitem. Miſſis uariis, quae hanc in rem obſeruari poterant, regulas aliquas afferam, quas in hodiernis ephemeridibus nonnullis negligi video. Ex harum enim notitia de utilitate *noui* cuiusdam *Ephemeridum generis*, atque de ratione illud conficiendi ſatis conſtabit.

I. De

I. De Autoribus Ephemeridum.

I. Non uni cuidam labor hic imponendus, ſed *Societas* ſi coëat, rectius ſcopo ſatisfiet. Sunt multa, quae in orbe literato geruntur, quaeque ab uno colligi, & in ordinem conuenientem redigi uix poſſent. Sunt uarii argumenti ſcripta, quae prodeunt, quaeque ab homine certis tantum in ſcientiis uerſato apte ſingula diiudicari nequeunt.

II. Locum ſeligat ſocietas *ubertate ſubſidiorum affluentem*, & commercio literario idoneum, ita ut noua cito ſatis aduolare undique valeant.

III. Una quamuis in urbe ſubſiſtens ſocietas *ſuos* tamen *in omnibus academiis & excellentioribus* ſaltem *ciuitatibus habeat amicos*, qui recenter euulgata tranſmittant, & quae agantur, ſignificent.

II. De elaboratione Ephemeridum.

I. Scopus earum ſit *uniuerſalis*. Hinc & eruditorum & librorum notitia exſtet. Ad ſcripta etiam refero diſputationes academicas, programmata, & huiusmodi plura. Latent enim in minutioribus ſcriptis ſingularia ſaepe, quae in volumi-

nibus maioris molis fruſtra quaeſiueris.

II. Hiſtoria librorum duplex eſt, alia *titulorum* alia *contentorum.* Illa ſufficit, ſi nec noua nec ſingularia nigrum exhibet, atque ex ſolo rubro de ſcripti ratione iudicium ferri poteſt.

III. Contentorum ſi opus ſit recenſione, fiat illa ſine ambagibus. Exulent praefamina & allotria alia.

IV. Recenſio ſit *hiſtorica, non* amica & *panegyrica.* Praeſtat laudanda commemorare, quam lectorem vel invitum in ſcriptoris admirationem trahere. Namque ſuſpectae ualde ſunt ſuorum aut patronorum aut amicorum laudes, eaeque extortae nonnunquam & emendicatae.

V. Cenſurae, correctiones, ſupplementa, refutationes, ſcommata & floſculi vulgares huiusmodi nullum hic inueniant locum. Nuda relatio hiſtorica lectorem non ineruditum ſatis de praeſtantia ſcripti informabit. Quis non improbet, quod nonnulli in ferendis iudiciis prudentes & modeſtos ſe minime gerunt, ſed variis incitati inuidiae ſtimulis *ſcriptorem potius, quam ſcriptum petunt.* Librum non omnibus modis perfectum furiis lacerare, & in orcum plane detrudere; omnia eius-

eiusdem uiri ſcripta eodem ſeueritatis dente rodere; imo aliquorum naeuos ſingulis eius ordinis aut loci uiris tribuere, arrogantiam prodit & temeritatem. Judicent alii, quid de epiphonemate illo cuiusdam cenſoris: *Aber was kan von Wittenberg anders kommen!* ſit ſentiendum. Habet & Witteberga veros ſapientiae alumnos. Cave autem, ne ex prudentia eorum, qui paradoxis & nouitatibus innoteſcere non geſtiunt, inſcitiam colligas. At haeretificatio eſt, quae autorem pungit. Poſſem hanc in rem afferre aliqua, quae hoc argumentum illuſtrant. Sed non expedit talia prolixius noſſe. Sciat tamen Cenſor, recte fieri, quae eccleſiae ſartae tectae ſeruandae gratia ſuſcipiuntur, ad eaque Theologos Wittebergenſes legibus publicis Dei & Principum obſtringi. Ridiculum eſt, ea carpere, quae mutare nequeas; crimen, ea impugnare, quae ab optimo magiſtratu praecipiuntur. Quicquid huius ſit, aequus haud foret, qui ob id, quod aliqui, Halae enutriti, contemtum legum diuinarum & humanarum prae ſe ferunt, exclamaret; *Aber was kan von Halle anders kommen!* Quis enim ignorat, tot inſigni eruditione, pru-

dentia & pietate conſpicuos viros; quas Hala fovet, quosque iuſtus rerum arbiter admiratur, atque ueneratur. Abſint ex noſtris Ephemeridibus huiusmodi ad hiſtoriam literatam non facientia.

VI. Ad aliena, ex ephemeridibus noſtris eliminanda, pertinent etiam *integra ſcripta & obſeruata*, quae quoniam ad hiſtoriam nil faciunt, rectius *miſcellaneorum collectionibus* ſeruantur.

VII. *Ordo* obſeruari poſſet, quem materiae & diſciplinae ſuggerunt, ſed quoniam hic difficultatis multum habet, praeſtat *chronologicus* & *locorum alphabeticus*. Reliqua, & ſi nullus obſervetur ordo, *indices accurati* facile ſupplent.

VIII. *Lingua* adhibeatur *latina*, quippe quae inſtituto & uniuerſali eruditorum utilitati maxime uidetur eſſe conueniens. Stylus ob recenſentium diuerſitatem non poſſet non eſſe inaequalis, cui morbo, ſi quem offenderet, membrum aliquod ſocietatis ſingulorum relationes poliens remedium ferret.

III. De euulgatione Ephemeridum.

Quae ad formam, tempus, foliorum numerum, & huius generis accidentalia plura perti-

pertinent, ſocietatis arbitrio relicta ſunto. Quod autem, quando *per partes* eduntur acta literati orbis, certus earum numerus cuivis anno dicari nequeat, ſatis apparet, cum unus altero ſit vel feracior vel ſterilior. Quae reſtant obſeruanda *ipſa praxis* ſuggeret.

* * *

Paralipomena ad conſilium de actis literariis uniuerſalioribus.

Quoniam Vir quidam Clariſſimus, quo cum conſilium meum communicaui, nonnulla beniuole monuit, lubens arripio anſam, atque mentem meam ulterius explicare conabor.

I. Refert conſilium meum inter *conſilia optanda*, ſed *non* aut *vix ſperanda.* Sit ita. Non eam ob cauſam conſilia ſuggeruntur, ut neceſſario & confeſtim ea exequamur. Noſtris ſaepe temporibus perficiuntur, quae maiores dudum optauerant, at ob difficultates plurimas ne inchoauerant quidem. Itaque *tempori & occaſioni opportuniori ſeruanda* ſunt, quibus

 adhuc

adhuc plura obſtant. Conſilium tamen, quod propoſui, ſperandum eſſe, ſequentia credo probabunt.

II. Fateor, omnium conſiliorum eam eſſe aut eſſe poſſe naturam, ut illud ſuadeant, quod omnium optimum & perfectisſimum eſt. Non eam ob cauſam, ut res expoſita *primo ictu* ad ἀκμὴν *perducatur*, ſed ut *ſenſim ſenſimque* ædificii inſtar fundetur, exſtruatur & ornetur. Itaque non verendum eſt, ſocietatem, quam optaui, aut eius Directorem rem omnem primo momento ad ideam perfectiſſimam eſſe formaturum, atque, ſin hoc ſuccederet, de euentu deſperaturum. Non in utero materno viri euadimus, ſed aetate prouectiores.

III. En methodum, qua ſimpliciori modo inchoata acta mea literaria ſenſim perficerentur. Initium fiat *repetitione & in ſummam aliquam collectione* earum rerum, quae in ſingulis ephemeridibus nunc prodeuntibus ſiſtuntur. Hic labor ab unico, quod patet, ſatis commode perficeretur. Accedant deinde *ſocii*, qui commercium literarium inter ſe partientes, loca primum celebriora, eaque ſola, homumque noua curent. Inuitentur academiae, ut

ut publica autoritate conſtituant, qui ad ſocietatis ſedem recenter evulgata ablegent, ac *memorabilia nuntient.* Deinde, ſi inſtitutum incrementum ceperit, plura alia facile & praeſidia & compendia excogitabuntur a prudentioribus ſocietatis membris.

IV. Dudum ea, quae ſuggeſſi, in nonnullis ephemeridibus obſervata fuiſſe non exiſtimarem. Quis ignorat inſtituto *actorum eruditorum Lipſienſium*, quae obiiciuntur, non repugnare recenſionem librorum ex titulo ſatis notorum, cenſuram autorum, commendationem ſcriptorum, obſervationes alias recenſionibus inſperſas, integrorum ſcriptorum minutiorum, epiſtolarum &c. communicationem, ſtyli diverſitatem, & plura, quae conſpectus mearum ephemeridum non admittit. Eadem acta nullam diſſertationum, ſcriptorum eriſticorum, & plurimorum aliorum faciunt mentionem, quae tamen a nobis non negliguntur. Verbo: ſcopus Actorum Eruditor. Lipſ. alius plane eſt, quam praeſentis inſtituti. Si quis ordine reliquas ephemerides luſtraverit, ſcopum illarum a noſtro diverſum eſſe deprehendet.

V. *Ne mole ſua opus ruat* cautiones ſuperius a me datae prohibent. Feci periculum, atque omnia illa, quae in hodiernis Ephemeridibus XII partes conſtituunt, vix ad unius, imo ne eius quidem magnitudinem accedere, ſi mea methodo narrentur, obſervavi.

VI. Non erunt meae Ephemerides *Calendarium perpetuum* rerum privatarum a literatis geſtarum. Huiusmodi enim ſi annotari merentur *biographis* relinquenda. Hinc nuda & breviſſima uiciſſitudinum, quae literatis obtigerunt, publicarum narratio neminem unquam offendere poterit.

VII. Addo recenſionem ſcriptorum, praeſertim eriſticorum, non ita eſſe inſtituendam, ut ſcommata in autores vibrata repetantur, ſed ut ſolum generalioribus de ſcopo ſcripti lectores informentur. Quae ſane ratio neminem offendet, cum munerum mutationes, negotiaque publice geſta, & literatas literatorum actiones noſſe multum interſit.

VIII. Denique repeto, quae iam monui, quaeque ad omnium conſiliorum executionem requiruntur, ne ſcilicet quis putet, regulis ſuppeditatis rem omnem abſol-

abſolvi, easque nec ſuppleri, nec corrigi, imo ad tempus negligi debere. Directorum prudentia, propria experientia, variaeque occaſiones rectiora forte & commodiora ſuggerent. Si quis tamen cum Clariſſimo obiiciente fecerit, atque meas meditationes ſupervacaneas, aut effectu carituras exiſtimaverit, me non habebit repugnantem, certe cogitationes ſuas non acrius defendentem, aliisve obtrudentem.

Clariſſ. noſtri Dn. M. LYSERI cogitationes eo fere tendunt, quo Excellentiſſ. noſter Dn. D. JOAN. BURCHARDUS MENCKENIUS, Vir de re litteraria, & rebus ad Eruditionem ſpectantibus immortaliter meritus, digitum intendiſſe viſus eſt, dum in Actis Erudit. Lipſ. menſe Julio MDCCXVI. p. 336. indicavit, ſi pari, qua hactenus, felicitate Relationes Cl. Dn. M. KRAUSII, de omnibus, quae ſuperiori anno laude memoratuque digna per orbem eruditum contigerunt, in unum colligantur, fore, ut *paulatim condendis Annalibus Litterariis locupletisſimis* materia ſuppeditetur.

OBSER-

OBSERVATIO LXXII.

M. IOAN. GEORGII WALCHII,

ſiſtens

Vindicias variarum emendationum & interpretationum Lactantii,

quibus

præmiſſus eſt ſermo

de

Scepticiſmo critico.

§. I.

PHiloſophia, quæ *generalis* ſane *eruditio* eſt, magnam adfert vtilitatem elegantiori litteraturæ, quippe quæ ſine illius ope ac beneficio haud rite excoli, nec ad veriorem vitæ vſum conformari poteſt. media eſt via, quæ cultores ſuos partim a *pædantiſmo* & a *charlataniſmo*, partim a *galantiſmo*, vt ita dicam, deducit, & rationem demonſtrat, qua verum muſæ huius

huius fructum guſtare poſſimus. permulti omnino ſunt, qui diligentiæ, quam huius humanitatis litteraturæ conſecrant, modum excedunt, adeo, vt aliis doctrinarum diſciplinis, in primis philoſophiæ, a quibus ſuauiſſima bona in corporis animique ſalutem redundant, nullum adtribuant pretium. qui iuuentuti, bonis litteris inſtituendæ, præſunt, eorum quidem munus eſt, ingenia eleganti muſa polire atque alere, ſed quum ipſum eorum ingenium a philoſophia alienum eſt, neque indolem huius doctrinæ elegantioris, neque rationem excolendi iſtam, rite poſſunt demonſtrare. quis quæſo philologiam, quæ logices præſidio munita eſt; quis artem loquendi, quæ cum logica & doctrina morum vinculis & propinquitatis & ſummæ coniunctionis coniuncta, & quis quæſo artem critices ſine verioris philoſophiæ ope percipere cogitet? bone DEUS! abundat orbis eruditus eiusmodi ingeniis criticis, quæ feſtos dies libris manu exaratis conſecrant ſine pietate; quæ cruentiſſima ineunt prælia ſine ſanguine, quæ pugnant pro nugarum commodis ſine hoſte; quæ continenti ſpiritu, fracta interdum, inclinata atque vlulanti voce clamant: Io triump-

triumphe! ſine triumpho, & adhuc dulciſſimo pædantiſmi ſeruitutis iugo oppreſſa, quæ alios ex tenebris errorum in lucem vocare ſibi ſumunt, quum ipſa lateant craſſis occultata & circumfuſa tenebris, quæ denique integritatis omnisque amicitiæ ſpeciem præ ſe habere adfectant, quamuis ab omni animi candore ſint aliena, & pectus impleuerint inuidia, quæ ſolet lacerare plerosque. vtinam eiusmodi ingenia philoſophiæ luce eſſent inluminata, vt cognoſcere poſſent, non eam vim eſſe atque excellentiam artis critices, vt illius cauſſa acriter pugnent & alios, qui ab eorum diſcrepant ſententiis, adcuſent ſtatim errorum, confer CLERICVM *in Parrhaſian. tom. I. pag. 250. 251.* paucis hoc inluſtrabo, de SCEPTICISMO CRITICO diſputaturus.

§. II. Primum breuiter diſputandum eſt de nominibus, deinde ad rem ipſam aduertamus animum. ſcepticiſmus eſt vox græca, quæ ἀπὸ τῦ σκέπτεσθαι, id eſt, *conſiderare, ambigere*, deriuatur. dicitur quoque inſtitutio ζητητικὴ ἀπὸ τῦ ζητεῖν, quia ſceptici olim *ſemper quærebant*; item ἀπορητικὴ, ἀπὸ τῦ ἀπορεῖν, quoniam perpetuo *dubitabant*; ἐφεκτικὴ, ἀπὸ τῦ ἐπέχειν, teſte

teſte SVIDA, item Pyrrhoniana, a Pyrrhone, qui *in omnibus hæſitaſſe* dicitur, a quo & ſceptici Pyrrhonii dicebantur. quantum diſcrimen ſit inter *Pyrrhonios* & *academicos* philoſophos, id heic exponere nobis haud in animo eſt, confer VOSSIVM de ſectis philoſ. *cap. XX. num. 8.* IONSIVM *de ſcriptor. hiſtor. philoſoph. III. 6. 8.* HORNIVM *hiſtor. philoſ. III. c. 18. 20.* id obſeruamus, quod varia ſint ſcepticiſmi genera, ſiue ad ipſas *res*, de quibus diſputatur, ſiue ad ipſum *modum* dubitandi reſpiciamus, quæ fuſius expoſuerunt BVDDEVS *de ſcepticiſmo morali* p. 211. analect. hiſtor. philoſ. CHAVVINVS *Lexic. philoſ. p. 587. edit. 2.* heic ſcepticiſmus criticus eſt, qui *certitudinem artis criticæ in dubium vocat, immo negat, aliquid certi beneficio artis huius poſſe definiri.*

§. III. Ad vocem *critices* quod adtinet, illius varia quoque ſignificatio vſu recepta eſt. refertur iſta modo ad res, modo ad verba: ratione verborum iterum duplici ſumitur ſententia, cuius altera eſt *latior*, ita vt & philologiam de locutionum auctoritate & ſignificationibus complectatur; altera *ſtrictior* de emendatione locorum, quæ male ſana ſunt, confer CAROLI

diſſert. de criticis, quam præmiſit animadverſ. in A. Gell. & Curtium; MAVSSACI *diſſert. de Harpocrat.* additam Lexic. Harpocr. VOSSIVM *de arte grammatic. I. 1, 6.* SCIOPPIVM *de arte critica pr.* WOWERVM *de polymathia*; HOFMANNVM *Lexic. vniuerſali tom. I. pag. 550.* PITISCVM *ad Sueton. de inluſtrib. grammatic. p. 1079. edit. 2.* in præſens eiusmodi artem criticam intelligimus, *quæ loca corrupta priſtinæ integritati reſtituere laborat*, cuius doctrina, cognitio & vſus conſiderari poteſt. itaque ars critica eſt pars philologiæ, quæ tradit præcepta genuina auctorum loca corrupta emendandi; aliena vero remouendi ope partim librorum manu ſcriptorum, partim ingenii, ita, vt contexta atque adeo emendata oratio primæ & genuinæ auctorum ſcripturæ, ſiue ad ſolum ſermonem, ſiue ad res ſimul ſpectet, reſpondeat.

§. IV. Primum ars critica dicitur *pars philologiæ*. omnis eruditio noſtra eſt vel generalis, vel ſpecialis: iſta eſt, qua vtitur ſpecialis, quaeue ad ſpecialem debet adcommodari, & complectitur philoſophiam ac litteras humaniores. philoſophia eſt eruditio generalis vera: Patres eccleſiæ

chri-

chriſtianam religionem philoſophiam vocarunt, CHRYSOSTOMVS *homil. LXIV. in Matth.* EVSEBIVS *H. E. II. 15.* & alii, de quibus videas IONSIVM *de ſcriptoribus hiſtor. philoſ. III. 4. num. 3.* BVDDEVM *introd. ad hiſtor. philoſ. Ebræor. §. XXIII. not. (e.)* litteratura humanior haud in cenſu veræ eruditionis, ſed inſtrumenti loco debet haberi, quæ philologia & hiſtoria continetur. Philologiæ quatuor ſunt partes, grammatica, rhetorica, philologia ſtrictius dicta & critica, quas alio loco dedimus inluſtratas, itaque philologia eſt pars eruditionis generalis, quæ eruditioni ſpeciali theologiæ, medicinæ, & iurisprudentiæ partim maxime neceſſaria eſt, partim magnam adfert vtilitatem, confer HEVMANNI *parerga critica p. 4. 5.* hinc de critica doctrina PAVLVS MERVLA præfat. Ennii ſui: *Vix eſt, vt critici in aliis etiam non excellant. ſunt ſummi ſæpe iuris-conſulti, ſunt præſtantiſſimi plurimum hiſtorici, ſunt inſignes aliquando philoſophi: ab theologiæ ſecretis minime abhorrent. medicorum præcepta nequaquam ab iis ignorantur: peruolitant & peruolutant omnia.* vide ESCHENBACHIVM *diſſ. acad. p. 217.* quidquid eſt ſcientiæ & diſciplinæ cuiusdam, id

dependet ab eiusdem argumento. critices argumenta ſunt verba, quæ haud confundas cum exercitatione critices, quippe quæ rationis ope haud carere poteſt. ex quibus id efficitur, vt critica ad philologiæ claſſem referatur, quoniam iſta in verbis, philoſophia vero in rebus verſatur. criticus igitur, veluti criticus nec fructu nec gloria veræ eruditionis fruitur. philologiæ partes, grammatica, rhetorica, philologia ſtrictius dicta & critica ita coniunctæ ſunt, vt altera alterius auxilio egeat: quibus patet, quod critices cultor colere debeat reliquas philologiæ partes. immo philologia coniuncta eſt cum diſciplina logices ob vinculum inter cogitationes & verba, adeo vt Logica a cultura critices nequeat ſeparari. denique philologiæ maxima momenta, ſiue vocum auctoritatem, ſiue ſignificationem reſpiciamus, dependent ab vſu, qui ſæpe multum dubius eſt.

§. V. Media, quibus critica ars vtitur, ſunt partim *codices manu exarati*, partim *ſola criticorum ingenia*. Primum codices manu ſcripti diuerſa ſunt ætate & ſcriptura, vt adeo non eadem valeant auctoritate, nec quisque ea ſit præditus facultate, vt illos fructuoſo ſucceſſu poſſit adire. multum

inter-

intereſt rei criticæ, vt quis ipſe ſcriptis libris vtatur, quoniam variantes lectiones, quæ aliena nituntur fide, quendam in dubitationem poſſunt adducere. illi, qui ex huiusmodi libris feliciori auſpicio proficere cogitat, rei litterariæ vetuſtioris cognitio ineſſe debet, vt diuerſa ſcripturæ & litterarum, quibus vſi ſunt veteres, genera habeat perſpecta exploratatque: confer MABILLONIVM de *re diplomatica*, & STRVVIVM *actis litterar. faſcicul. I. pr.* deinde codices ſcripti, vel vetuſtisſimi ſunt corrupti, namque librarii, etiam antiqui, mendoſe ſcripſerunt libros. MARTIALIS *epigr. II. 8.*

Si qua videbuntur chartis tibi, lector, in iſtis
Siue obſcura nimis, ſiue latina parum;
Non meus eſt error, nocuit librarius illis,
Dum properat verſus adnumerare tibi.

A. GELLIVS, N. A. VII. 20. extr. *qui ebrios autem Catullum dixiſſe putant, aut* ebrioſos, (*nam id quoque temere ſcriptum inuenitur*) *in libros ſcilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt*, adde WOWERVM de *polymathia c. XVIII.* du FRESNE *præf. gloſſar. latin. p. 6. n. 6.* CLERICVM *arte critic. p. III. ſect. 1. cap. 1. ſeqq.* quod ſi ita eſt, ſicuti eſt, iterum ſubinde artis critices

 certi-

certitudo aliqua ex parte tollitur. quidquid corruptum eſt, illud nos poteſt fallere, nec poteſt eſſe principium, ex quo certi quid definiatur. ſed critici prudentis eſt, probatas ſcripturas ex libris ſcriptis eligere, inquies? non deeſt, quod poteſt reſponderi. dantur diſcrepantes ſcripturæ, quæ eiusdem ſunt ſententiæ nec ex ſcribendi genere certum peti poteſt argumentum, quod controuerſiam componat. quodſi diuerſæ lectiones haud certum, nec confirmatum auctoris ſenſum produnt, ex ipſius argumenti indole iudicari debet, ais, vt quid cuique lectioni inſit, cognoſcamus? diſtinguamus quæſo inter ipſas animi cogitationes auctoris cuiusdam, & inter ipſum modum, quo iſtas ſermone ſuo declarauerit. poſſumus percipere cogitationes & ſenſus auctoris, ſed dubium adhuc eſt, num his locutionibus, hoc formularum ordine, quem libri noſtri præ ſe habent, illas expſicauerit, quod paullo poſt clarius patebit. verum enim vero tantum abeſt, vt plane negem; libros hos aliquem vtilitatis fructum præbere, vt profitear ingenua mente, eos interdum multum ad emendationem probabilem, quamuis non maxime certam, conferre, vt iſta demonſtrari poſſint. PETRUS

PETRVS AVRELIVS reſponſ. de canone Arauſicano ad SIRMONDVM tom. III. p. 291. *debetur manuſcriptis eatenus fides, qua lux maior & rerum grauiorum explorata ratio nihil obſtat; debetur in dubiis, quum veritas aliunde nulla cernitur: debetur cum eorum authoritas nulla inſigniori præponderatur; debetur denique cum nihil eſt, quo eorum errorem aperte coarguamus. alioquin, ſi vel dilucida ratio, vel ſanctior authoritas, multo magis ſi rerum diuinarum decreta, maiorumque religio reclament, nemo eſt, quin manuſcriptorum codicum, non modo paucorum, ſed plurium etiam, ſeu voces ſeu clamores, ſeu quaſcunque conſenſiones longe aſpernandas reſpuendasque videat, & primum eorum vnius, vel alterius errorem in ceteros manare potuiſſe fateatur. nam qui hoc negare velit, in eum eruditorum omnium conſenſu conferentur illæ voces, quibus tu eos, qui aliquot tuorum manuſcriptorum fidem eleuare audeant, aſperſiſti. non enim ſubeſſe manuſcriptis idoneum criticum, ſed præeſſe decet, moderari, iudicare, regere, nec imperitorum plurium ſcribarum veterno, eruditorum hominum iudicia, rerumque ſummarum amplitudinem mancipare. hoc demum eſt gnauum eſſe criticum, prudentem, eruditum,*

elegantem. nil criticum eſſe adtinet; hypercriticum eſſe neceſſe eſt, qui vere criticus eſſe velit, tam iudicio, quam nomine, tam re quam officio. qui enim nil niſi criticus ſit, mere criticus, Κενοκριτικὸς *litterularum & formularum grammaticus auceps, ſecularis litteraturæ quadam notitia tumidus magis quam plenus, theologiæ ſanctorumque patrum ſcientia leuiter tinctus, totus litteræ, totus chartæ ſeruus, hunc criticorum omnis natio & in primis theologorum criticorum e choro ſuo exiget, neque tali* ἀκρισίᾳ *venerandum critici nomen inquinari patietur. rerum iuxta & litterarum peritum eſſe oportet; qui hoc nomen quærat, & iudicio præterea ſummo quodam, quæ ipſa critici notio eſt, præcellentem. quem horum quodpiam deficiat, hunc manuſcriptorum codicum copia magis implicabit, quam iuuabit: quo pauciores euoluet, hoc ſibi minus & aliis oberit: tam publicum quieſcendo demerebitur, quam alii laborando.*

§. VI. Ex his dictis conligi poteſt, quid ſit *charlataniſmus* & *pædantiſmus criticus*, vt ita dicam. quibus vitiis laborans, non hac vtitur oratione? accedite critices patroni, fautores & ſtudioſi, & perluſtrate, quid in hoc auctore præſtiterim: ego

ego conlegi tot codices manuſcriptos vetuſtate & proba fide clariſſimos, quos monimenta omnis pietatis cultu digna eſſe teſtor: ſummo numini pias & incredibiles perſoluo gratias pro hoc codicum beneficio, & illi, qui huius vel illius libri mihi fecit copiam, aut variantes conlegit ſcripturas, teſtor gratiſſimum animum, cuius ſtudia erga me ſemper publice prædicabo. ego eieci tot errores, quos alii interpretes introduxerant: ego auctorem hunc grauiſſimis & peſtilentiſſimis morbis, liberaui: ego ſic caſtigaui, vt mihi plane perſuadeam, nihil a me eſſe relictum. bonum caput, iudicii morbis grauiſſime adflictum ac iacens! dii malum tuum criticom auerruncent! hos efficies placatos, ſi illis codicem tuum antiquiſſimum, cuius litterarum ductus exeſi ſunt, offeras pietate & ſanctitate ad ſacrificium. accedamus ad ipſas animaduerſiones huiusmodi critici. vah quantum ineptiarum! offerunt ſeſe nugæ variantium ſcripturarum: produnt magna pompa formulæ criticæ: *ſic codex meus. recte.. ſic ego emendo. ſic lege. recte.* ſequuntur formulæ cenſoriæ: *hic errauit, hic lapſus eſt, hic locum hunc apertum non intellexit: ineptias, nugas excluſit: emendauit*

 ſine

ſine codice. diſcedas quaeſo ab iis, quae emendarunt caſtigaruntque. te adcuſabunt hi imperatores & reges verborum crimine laeſae maieſtatis criticae, & bellum hoſtile, quamuis haud cruentum, tibi indicent. GRAVINA *Orat. III. p.* 137. recte dicit: *itaque ars critica, quae diſcrimen erat veritatis & temporum atque falx errorum, nunc ſeditionum litterarum fomes ac turbo ingeniorum euaſit:* & MENCKENIVS noſter declamat. *de charlatan. p.* 104. *ſiue graecus ſiue latinus ſcriptor proponatur, non tam id agunt, vt ſcite & appoſite dicta euoluant ac nitori ſuo reddant, quam vt nodum quaerant in ſcirpo, & ad manuſcriptos codices confugiant, variasque lectiones nullo habito delectu cumulent, tum vero vrere, ſecare, & nihil a virgula cenſoria intacta relinquere. & quanta quaeſo litigia, quanta bella exoriuntur, ſi ab iſtis hypercriticis & pantocriticis vel latum vnguem diſceſſeris?*

§. VII. Alterum medium, quo critici in emendandi negotio vtuntur, eſt ipſum eorum *ingenium.* vox ingenii varia ſignificatione valet, vide BVDDEVM *de cultura ingenii c. 1. n. 8.* in ſelect. *iur. nat. & gent. p.* 302. *& inſtit. theol. moral.* I, 1, 5, 13. *not.* criticis adtribuimus eiusmodi ingenium, quod

quod dicitur ſecunda intellectus noſtri facultas, quodue Deus a memoria & iudicio diſtinxit. illud efficit eiusmodi rerum compoſitiones & diuiſiones, quæ ſunt probabiles & poſſunt fieri. verum iudicium vtitur definitione & diuiſione, quarum vi compoſitiones illius ac diuiſiones neceſſariæ ſunt, quod acute more ſuo oſtendit RVDIGERVS noſter de *ſenſu veri & falſi lib. 1. c. 2. & philoſoph. ſynthetic. p. 17. edit. 3.* datur in emendatione critica *probabilitas*, nulla demonſtratio. namque hæc incipit a ſenſione & progreditur ad ideas, hinc ad definitionem, porro adfirmationem & negationem, ac denique ad ratiocinationem. quod munus et opus eſt iudicii, nec ad criticam artem poteſt adplicari. ſed quid eſt probabilitas? eſt ratiocinatio, qua ex plurium ſenſionum conuenientia cum hypotheſi ab ingenio ſuppeditata concludimus ad veritatem hypotheſeos. dantur variæ probabilitatis ſpecies; datur quoque probabilitas ambigua, quæ in hac emendatione critica locum ſuum habet.

§. VIII. Hæc, quæ de probabilitate ambigua emendationis criticæ obſeruaui, inluſtriora, quanquam breuibus, reddam. critici emendant opera ingenii ſui loca male

male ſana, vt partim ſcribendi generi, partim ipſi argumento & rerum ſententiæ auctoris cuiusdam conſulant. quod ad ſermonem adtinet, id agunt, vt illius virtutes, caſtitatem, perſpicuitatem, ſuauitatem, proprietatem auctori reſtituant. ſit exemplum ſcriptor quidam romanus, qui felici latinæ linguæ æuo clarus, ipſe romane ac pure ſcripſit, aut cuius oratio caſta & pura eſt, quamuis eius ætate latinitatis nitor cœperit exſpirare. in huiusmodi ſcriptore caſtigando ac emendando quum verſentur critici, & deprehendant formulas, nec ſatis latinas voces, item iuncturas vocum rariores, quæ ſaltim a conſuetudine dicendi auctoris recedunt, quid agunt hæc animantia critica? clamant voce ad ſonum criticum inflexa: *hæc vox eſt barbara, haud digna noſtro auctore: hæc vox non conuenit cum ſcribendi indole auctoris, qui aliis locis hac ratione loquitur: itaque ita lege, ita ſcribe, ita emenda, hæc dele, hæc adde.* verum en modo victorem! qui fugitiuus abit. audias modo, victor critice! vidiſti indolem latinæ linguæ & ſtili veterum ſcriptorum per tranſennam. quis ſcriptorum tales dicendi leges ſibi præſcribat, vt ſemper certa quadam ratione & ad menſuram mathema-

thematicam adcommodata adcuratius loquatur? quis eſt ex antiquitatis eruditæ auctoribus, qui non formulas rariores interdum admiſerit? nonne alia lingua romanorum fuit docta, alia plebeia? nonne aliam interdum vſurparunt loquendo, aliam ſcribendo? aliud eſt *grammatice*, aliud *romane* ſcribere. SVETONIVS de Auguſto cap. LXXXVII. *quotidiano ſermone quædam frequentius & notabiliter vſurpaſſe eum, litteræ ipſius autographæ oſtentant.* adde du FRESNE *præfat. gloſſar. latin. n. 57. ſqq.* MORHOFIVM *de Patauinitate Liuiana cap. VI. ſqq.* cuius verba epiſtola de latinitate in digeſtis *p. 606. diſſertat.* ſtudioſe legi merentur: *in digeſtis multa reperiuntur contra grammaticam, quod ſi tibi domini profeſſores vtraque manu largiuntur, & tamen vincant? quid ſi de Cicerone, aliisque optimis auctoribus, hæc aſſerere non vereantur? quid ſi ex Quinctiliano ipſisque grammaticis tibi oſtendant, aliud eſſe grammatice, aliud latine ſcribere, optimosque grammaticos peſſimos ſæpe eſſe oratores & poëtas? grammaticorum plerorumque, ne quid neſcias, mi G. ineptum eſt & ieiunum ingenium, quorum vita & ſpiritus omnis in regulis vertitur: ita non attendunt ſæpe, quæ ab optimis*

mis auctoribus & quomodo dicantur, dummodo iſti axiomata forment, & pædagogiam ſuam exerceant. male profecto cum bonis auctoribus ageretur, ſi ſub eorum ferulas reuocandi. latius patet latinitas, quam vt exiguis includi queat præceptis. minutis illa ſatrapis, pueris, & pædagogis ſcribuntur, non eruditis, qui quotidie quædam obſeruant ſingularia in auctoribus, nec grammaticorum regulis communibus cenſenda. quorum iſtum, ſi opus eſſet, tibi indiculum texere liceret. in ſolo Cicerone olim tot ſingularia notauit Statilius, vt iuſtum illi volumen conficerent. cenſeri boni auctores non ex grammaticis, ſed hi ex illis debent. quod ſi huiusmodi criticis loca quædam haud ſatis clara adparent, mutant verborum ordinem, addunt, abiiciunt, vt perſpicuitatem auctoris, quam abeſſe putant, ad priorem lucem reuocent. ſed caue, ne tuum & auctoris tui caput vnum atque idem eſſe credas. exiſtimas loca nonnulla obſcure eſſe conſignata? verum vnde probas ſcriptorem tuum ſemper tam clare & tam perſpicue ſcripſiſſe, vt nihil reliquerit, quod egeat interpretamento? eadem eſt ſuauitatis ratio, cuius in cerebro ſuo regulas fingunt, & ad illas monimenta veterum adcommodant, quamuis nun-

nunquam poſſint probare, quod certis numeri cuiusdam legibus adſtricti fuerint. magis mirari licet, quæ ſint a medicis criticis animaduerſa morborum genera in rebus ipſis, quum beneficio ampliſſimæ phantaſiæ conligunt loca, in quibus auctor ſibi contradicat, quæ omni ſententia careant, & quibus inſint, vti dicuntur, gloſſemata. hiſce locis, quæ infirma atque ægra valetudine eſſe opinantur, medicina ſubuenire ſemper parati & promti ſunt, quamuis plura ad necem, quam ad ſalutem conferant. demonſtres mihi criticorum princeps, primum quod veteres auctores eo ſtilo omnia tradiderint, vt ſuauiſſimo ordine ſemper cohæreant, deinde, quod nunquam ſuperflua quædam interpoſuerint, quæ ipſi rei haud neceſſaria & ab aliena manu addita tibi videntur, & quod denique vna ratione & vno modo mentis ſuæ cogitationes prodiderint. perſuadeas tibi, multa emendanda, reformanda & caſtiganda eſſe, ſi veterum capita tuo capite velis metiri: confer grauiſſimum CLERICVM *in bibl. choiſ. tom. XXVI. p. 266.* quo loco meminit Horatii, RICHARDI BENTLEII, & ſaluberrima critices præcepta tradit. facili negotio ex his iudicari poteſt, quod his emen-

emendationibus criticis interdum proba-bilitas ambigua, plerumque vero *poſſibili-tas*, vt philoſophorum voce vtar, inſit. quo-modo quis, quæſo, loca corrupta ope ſolius ingenii ita emendare ſuſtineat, vt primæ auctorum ſcripturæ reſpondeant, præcipue quum illius linguæ eſt amplitudo, qua vſi ſunt veteres ſcriptores? hæc veritatis ſtu-dio, cui vnice debemus inuigilare, excita-tus tradidi. non nulla aduerſus me ipſum diſſerui, quæ cum variis emendationibus, quas antea tentaui, haud conuenire viden-tur. ſed litteris ſapientiæ deditum decet emendare, retractare, quæ minus ſunt vera & probabilitati repugnant. quo de nomi-ne data occaſione ſpecimen mearum re-tractationum in lucem proferam, lætitiis veritatis huius lætus.

§. IX. Quum iam clauſulam obſervatio-ni huic adieciſſem, deprehendi ſupra *p. 115.* *Tomo hoc tertio* Miſcellaneorum Lipſien-ſium adverſus me eſſe diſputatum. ille, qui contra me arma tulit, eſt vir nobiliſſi-mus & clariſſimus IO. LUDOLPHUS BÜ-NEMANNUS, Gymnaſii Mindenſis ad Vi-ſurgim Rector, fautor & mihi amicus o-mni honoris cultu colendus. cuius inge-nii excellentia, ſtudia erga bonas litteras, in

ma-

maiorem locum promouendas, morum integritas, & alia merita in politiores muſas, beneficio litterarum CL. FREYERI ad me perſcriptarum ſatis & ſuper cognita mihi ſunt. ad cauſſam quod adtinet, de qua mihi dixit diem, iſta eſt partim critica, partim philologica, adeoque ſalus verborum, quæ omnino ſarta tectaque debet haberi. edidi Lactantium notis & meis & aliorum inluminatum, ita vt ſcholarum vtilitati conſulam. CL. BüNEMANNUS, cuius doctrinam magni facio, iam ante me conſilium ceperat de renouando Lactantio, cuius ipſe diatriba de Lactantio eiusdemque ſtilo p. 48. honorificam feci mentionem, prout ingenuæ mentis ſtudioſos decet: *ex litteris ad me ſcriptis percepi, eſſe quendam virum, ingenio & doctrina elegantisſima, qui conſilium ceperit, Cellarii obſeruationes augendi, eiusdemque editionem noua exhibendi forma: quod conſilium vt habeat feliciorem ſucceſſum, ipſe opto.* Vt pateat, quid præſtiterit in emendando inluſtrandoque Cicerone chriſtiano, protulit exempla quædam induſtriæ ſuæ, quibus præſcripſit titulum: *Lactantii Firmiani ex LX. amplius MSS. & editionibus illuſtrati ſpecimina;* iisque etiam libris manu exara-

tis, quibus jam alii grauiſſimi viri vſi ſunt. dedit ſibi operam VIR optimus, partim generatim de leuiore opera mea, quam in Lactantium inluſtrandum contuli, iudicare, partim ſpeciatim in loca quædam a me caſtigata & explicata inquirere. diſputat contra me modeſte & pro more illorum, qui omnia placide agunt, & quamuis interdum lubidini ſuæ indulſiſſe videantur, eos tamen ita excuſare poſſumus, vt omnem culpam in adfectus, quibus mortales aliquid dare ſolent, & feſtinationem transferamus.

§. X. Hæc de grauiſſima litteraria quæſtione noſtra ſufficiant. pati poſſum, ſi quis a me diſſentiat, nec ægre fero, quum quis contra me venit, ut refutet, ſi id amice & ſine animi acerbitate faciat. Id ſemper opto, natura ita ferente, vt tranquillam vitam agam, a contentionibus cum aliis, tum litterariis alienam, nec quisquam otium turbet meum. inprimis deteſtor bella critica & eorum ingenia, quæ dum laudant, irrident & cauillantur, quæ nemo bonus amare poteſt, ſed fugit potius, quoniam litteræ humaniores humaniter, hoc eſt, ſine ſugillatione ac ſine ineptiis facetiisque percolantur. quibus de cauſſis mihi

erat in animo, continere me, nihilque reſpondere, & tempus meum quiete tranquilleque melioribus ſtudiis conſecrare, præcipue quum verioris artis critices periti facile videant, quæ ſint illa crimina, quæ obiectat Clariſſimus Bünemannus. qui ipſe pro ſtudio pietatis & innocentiæ animi non poteſt non iniqua ferre mente, ſi in turbas & controuerſias, quæ verborum iura & ſalutem reſpiciunt, deuocetur. ſed tamen, optime & doctiſſime Bunemanne, ſalua fide & amicitia, quæ inter litterarum cultores ſtabilienda eſt, conſeruanda & confirmanda, rem noſtram breuiter & modeſte componamus.

§. XI. Primum emendat quædã operarum vitia diatrib. de Lactantio, quum numeri interdum mendoſe poſiti ſunt, e. g. *p. 120.* obſeruat, quod codex quidam Cantabr. manu ſcriptus non 1365. ſed 1465. ſit exaratus. euoluat quæſo cl. & optimus Bünemannus *p. 47. diatrib.* quo loco error hic iam emendatus eſt. quæ vitioſa, quum me eo tempore abſente, in typographia irrepſerint, ab ingenio meo plane ſunt aliena. de cetero gratias ei ago maximas, quod hæc publice facili negotio emendauerit, quæ iam priuatim a me erant emendata.

p. 127. diſcrepat Cl. Bünemannus a iudicio meo, quod diatrib. *p. 46.* de *Xyſti Betuleii* commentariis in Lactantium his verbis tuleram: Betuleii *commentarii non ſunt contemnendi: ſæpe inluſtrant loca, quæ ſunt ſubobſcura, & ſatis indicant, ingenium Betuleii litteris his bene expolitum fuiſſe.* namque dicit, Betuleium *textum nunquam fere emendaſſe, neque Latinitatis, cuius prima debet eſſe, ullam habuiſſe rationem.* verum eſt, quod dixi, nec a veritate remotum eſt, quod dixit Bünemannus. certo reſpectu editio quædam & laudari & reprehendi poteſt.

p. 131. miratur Bünemannus doctiſſimus, me varias lectiones, quas Gallæus extremo commentar. ſuorum ſubiunxit, haud reſpexiſſe. errat Cl. Bünemannus & dicit, quod haud verum eſt. unicum exemplum proferam, p. 113. edit. meæ ita ſcripſi: *adi Gallæi editionem p. 95. & appendic. var. lection.*

p. 132. iudicat de ipſa mea editione Lactantii. primum dicit, *ſe & meas & ſuas notas comparaſſe, illasque ab his plane diuerſas vidiſſe.* concedo totum argumentum, optime Bünemanne, ſed ſaluis meis animadverſionibus. capita ſunt diuerſa. finis, cuius cauſſa facimus aliquid, poteſt eſſe diuerſus. deinde monet, *me voluiſſe Lactantium exhibere*

bere

bere emendatiſſimum, quamvis huic meæ editioni magna inſit copia vitiorum typographicorum. & hoc crimen cum ipſo adcuſatore facile repelli poteſt. Cl. & amicus mihi Bünemannus per tranſennam verba præfationis meæ vidit: ſcripſi ita: *eam ingreſſus ſum viam, vt ſcriptorem criticorum cura emendatiſſimum proferrem.* quibus verbis non hoc adfirmo, quod Lactantius mea cura prodierit in lucem emendatiſſimus, ſed quod auctor hic aliorum criticorum cura adhuc maxime caſtigatus & emendatus fuerit, quorum exempla plerumque ipſe ſim ſecutus. ſed ais, quomodo Lactantius maxime emendatus eſſe poteſt, quum tam multa emendanda, reſtituenda, caſtiganda, explicanda ingenio meo ſint relicta, quod ex his ſpeciminibus conligi poteſt? quot noua capita critica, tot nouæ emendationes, quot noui codices ſcripti, tot noui morbi, tot nouæ curationes. quibus de cauſſis perſuadeas Tibi, Te quoq; multa eſſe relicturum, quæ alii emendanda eſſe, exiſtimabunt. Tu autem pro more boni critici omnia ad regulas probabilitatis & poſſibilitatis, vt philoſophi dicunt, adcommodare laborabis. tertium dicit, me inluſtraſſe latinitatem. ſed cur Cl. Bünemannus alia momenta & alia

terpretationum mearum genera ſilentio prætermittit? falſiſſimum eſſe, me tantum inluſtraſſe latinitatem Lactantii, primus adſpectus docet. iterum iterumque falſiſſimum eſt, quum ait: *Vtinam vero non ita magnam vbiuis fidem habuiſſet Krebſii diſſertationi de ſtilo Lactantii, qui nulla antiquiori in Fabri theſauro, quam Lactantii obſeruata auctoritate, illico voces tales Lactantianas fecit.* Vtinam Bünemannus vbiuis veritatem dixiſſet! quum conlegerim & obſeruauerim rariores Lactantii voces, dicit illas, mea quaſi ſententia, voces Lactantianas, en! quæ dixi p. 59. diatrib. *ſuam ſibi fecit Latinitatem poëticam atque eccleſiaſticam, & vſus eſt vocibus nouæ ſignificationis & vſus rarioris*: paulo poſt: *quæ impura in Lactantii monimentis tum a nobis, tum ab aliis obſeruata fuerunt, exhibebo.* latinitas Lactantii rarior, & latinitas Lactantiana, quæ Lactantio eſt propria, opinor, differunt. noli mirari, lector beneuole, Cl. & ampliſſimum Bünemannum, cui omnia bona corporis & animi precor, ita ſine iuſtis cauſſis de Lactantio meo iudicaſſe. editio mea eſt nouiſſima. Sapienti ſat!

p. 139. reprehendit lectionem, quam I, 7. cum aliis ſecutus ſum: *optimum in nobis ani-*

nimam debeamus; & putat, optime alios abieciſſe *animam*. prouocat primum ad libros nonnullos ſcriptos, quibus alios codices ſcriptos oppono, item ad quasdam editiones, quibus etiam alias editiones oppono. nunquam poteſt probari, omnibus MSS. codicibus deeſſe *animam*, prout ille antiquisſimus, cuius variantes lectiones ad me a viro quodam doctisſimo transmiſſæ ſunt, hanc vocem habet. quid inde ſequitur? id ſequitur, vt hoc loco de diſcrepante ſcriptura ex ſcriptis libris nihil certi posſit definiri. id Bünemannus obſeruans, fugit ad conſuetudinem dicendi Senecæ, ex cuius libris exhortationum hæc verba ſint petita. primum peto, velis clare mihi demonſtrare, etiam hæc verba pertinere ad locum Senecæ, cuius libri exhortationum perierunt. deinde peto, velis mihi demonſtrare fundamentum huius tuæ ratiocinationis: *ſi Seneca* (ponamus, hæc verba eſſe Senecæ) *duobus aliis locis ita loquitur, ſequitur, vt etiam hoc loco ita loquatur*. nihil certi ſubinde poteſt demonſtrari, quamuis aliquid probabilitatis, maxime ambiguæ, cui autem h. l. nondum fauere poſſum, quoniam alia dubia adhuc reſtant. quibus

de cauſſis huic ſpecimini obſeruat. Cl. Bünemanni adiiciamus: *τὸ poſſe.*

p. 140. reprehendit I, 14. hanc Lactantii mei emendationem: *eosque e muro circumegit; e muro* i. e. *in muro.* audiamus eius rationes: primum dicit: *ſed ita muri ſatis lati fingendi eſſent, in quibus potuiſſent circumagi Saturnus & Ops.* hoc dubium loca obſeruationis noſtræ remouere poſſunt. Cæſar. B. G. II, 13, *pueri mulieresque ex muro paſſis manibus ſuo more pacem a romanis petierunt.* Virgilius X, 262. *clamorem ad ſidera tollunt Dardanidæ e muris.* non neceſſe eſt, plura ex antiquitatum hiſtoriis addere. pergit noſter Bünemannus: *quid? quod iam comprehenſi erant.* probetur, *τὸ circumagi & comprehenſum eſſe* eſſe ſibi oppoſita.

Ibid. reprehendit, I, 15. hanc ſcripturam: *quibus putaret vſuram eſſe iuſtam & ſapientem.* adcuſat me de hac lectione erroris: *nullus,* ait, *hic vſuræ locus eſt, & quis vſuram dixerit ſapientem?* videtur, quod neque a Bünemanno, neque a me locus hic rectius emendatus fuerit. probabile eſt, verba hæc: *quo in opere Platonem ſecutus eſt, leges voluit ponere, quibus putaret vſuram eſſe iuſtam & ſapientem* ſapere gloſſema. nam

antea

antea ſimpliciter dixit: *quid? quod idem dicit in libris de republica, idem de gloria: item in Tuſculanis.* nec eſt, quod quærat: *quis vſuram dixerit ſapientem?* id conſtat ex notisſima vocis *ſapientis* ſignificatione e. g. *ſapiens excuſatio, ſapiens moderatio.* qualis igitur hic error eſt? quid eſt error? error eſt iudicii: in emendatione critica locum habet ingenium: recepi vulgarem lectionem, quam Bünemannus haud probabili emendatione emendauit: iam illam reſtitui: attamen me adcuſauit erroris: quis igitur maioris criminis critici reus eſt?

p. 141. caſtigare conatur notam meam ad hæc II, 5. verba: *tamen illa deos eſſe exiſtimant, ingrati aduerſus beneficia diuina, qui Deo & patri indulgentisſimo ſua ſibi;* obſeruaui, his uerbis aut ineſſe hebraiſmum; ſed Bünemannus cenſuram ſuam addit, me fruſtra hic finxiſſe hebraiſmum, cuius Lactantius fuerit ignarus: res ſalua eſt, doctisſime Bünemanne: proxime peculiari diſputatione de *hebraiſmis latinæ linguæ* demonſtrabo, te finxiſſe, Lactantium fuiſſe ignarum huius loquendi conſuetudinis: aut deleri poſſe τὸ *ſibi;* quod autem debere retineri, Bünemannus ex multis exemplis probare, ſibi dedit operam, ex quibus ali-

qua probabilitatis ſpecies conflari poteſt. ſed tamen non intellexit hunc dicendi morem. ſubeſt ellipſis, vti grammatici loquuntur.

p. 142. II, 8. *de prophetis* reprehendit me cum Betuleio, Sparckio, quod per prophetas hic intellexerimus non veros Dei prophetas, ſed *alienigenas*. lector beneuole, adieci integram Betuleii adnotationem, quam neque probaui, neque caſtigaui. attamen Bünemannus me ideo in iudicium criticum vocare ſibi ſumit. conlegi variorum obſeruationes, ſed quis tam duro animo erit, vt a me rationes illarum exigat?

p. 144. II, 10. legi *deſitura*. probabilior eſt lectio: *quandoque deſiturum*, quæ verba Bünemannus rectius ad *genus humanum*, quam Cellarius ad *tempus* refert. de hac igitur obſeruatione meretur gratias maximas, quas ei quoque perſoluo.

p. 145. probo probabilem Bünemanni interpretationem III, 8. *obſcenus canis*. ſed lapſus eſt Vir Cl. quum *p. 146.* exiſtimat, me vocem *ſententiam* eodem capite haud recte interpretatum eſſe per *rationem*, quum verba ſect. 8. *qui hoc idem ſentiunt* prodant, quid ſit ſententia h. l. lepida eſt caſtigatio

&

& obſeruatio Bünemanni. num corpus, veluti corpus, num lingua veluti lingua ſentit? ſcio non credet Bünemannus. attamen hoc pertinet ad veriorem philoſophiam.

p. 147. III. 12. extant hæc verba: *itaque licet quidam philoſophi ſummum bonum non corpori, ſed animo dederint, tamen quoniam ad illud hanc vitam retulerunt.* retuli verba: *ad illud* ad ſummum bonum: Bünemannus legit: *illud ad hanc vitam retulerunt* & adfirmat, clarum eſſe, me Lactantium non cepiſſe. miror feſtinationem Cl. & optimi Bünemanni! eſt vnum idemque, ſiue dicas: *retulerunt ad ſummum bonum hanc vitam;* ſiue *retulerunt ſummum bonum ad hanc vitam.* ex his clarum eſt, iterum Bünemannum me non cepiſſe.

Ibid. n. 34. *in ſolo ſpiritu.* vtinam heic tacuiſſet cenſor meus. dixi; *videtur ipſe Lactantius ſtatuere tres partes hominis, corpus, animam, ſpiritum.* en! lector beneuole iudicium Bünemanni: *immo non ſtatuit, ſi recte attendas verba:* quæ? qualis? quanta connexio? exiſtimarem, *videtur ſtatuere,* & *ſtatuit* differre. immo cenſor non intellexit veterum philoſophorum doctrinam

nam de tribus partibus hominis: dicit quidem Lactantius III, 12. *duo ſunt, ex quibus homo conſtat, animus & corpus.* ſed conſtat ex hiſtoria philoſophica, quomodo diuiſerint animum, quidue per hanc vocem intellexerint. quá de re alibi erimus copioſiores: verum & hæc pertinent ad philoſophiam ſecretiorem.

p. 147. III, 16. conatur reprehendere ſignificationem *aduocandi*, pro cauſſam agendi, quia hæc barbaries aliena ſit ab elegantiis Lactantii. verum ſæpius Lactantius admiſit impura, nec ſequitur, ſi Lactantius aliis locis dixerit *cauſſam agere, defendere, patrocinium alicuius ſuſcipere*, vt heic quoque eadem ratione ſit locutus. addit alteram rationem: *agit de philoſophis, non de cauſſarum patronis.* agit de abuſu philoſophiæ, qua ad exercendam linguam abutantur. verum qui fuerint veterum cauſſarum patroni, id inter omnes conſtat. itaque non adſecutus eſt verum loci huius ſenſum. prudentius egiſſet, ſi dixiſſet, eſſe probabile, quod verba: *vel advocandi gratia* ſapiant gloſſema. forſan id auctoritas codicum non permiſit.

p. 152. conatur nouum crimen criticum ſubnotare, quod Lactantio meo inſit,

ſit, quum V, 19. in textu poſuerim: *monendi*, in notis vero maluerim ſcribere: *moriendo*. confundit ea, quæ ſunt probabilitatis, & ea quæ ita certa ſunt, vt poſſint demonſtrari: addidi emendationem: *moriendo*, quæ habeat ſpeciem probabilitatis, & ſubmitti debeat aliorum iudiciis: de cetero nec aliorum lectionem proſcripſi, quoniam non omni ſenſu caret.

p. 154. VI, 10. dicit Lactantius: *ad hanc partem philoſophorum nulla præcepta ſunt.* explicaui: *ad hanc partem* per: *quod ad hanc partem adtinet.* cenſor meus dicit; non opus eſſe, ita explere: concedo totum argumentum, ſalua mea interpretatione, quæ a tua non diſcrepat. verba: *nulla præcepta ſunt*, interpretatus ſum: *nullius ſunt pretii.* cenſor meus monet, *nulla omnino præcepta eſſe ad miſericordiam data, ſiue nihil de miſericordia præcepiſſe.* verum aut diſputarunt Stoici de miſericordia, aut non? diſputarunt ex ſententia Bünemanni, qui ipſe dicit: *Stoici miſericordiam plane tollebant*: ſi docuerunt, miſericordiam eſſe proſcribendam, procul dubio addiderunt rationes huius doctrinæ, & has dicit Lactantius præcepta nullius momenti. hinc addit Lactantius: *dum volunt ſanare vitia, auxerunt.*

p. 158. extat explicatio VI, 24. *itaque in aram &c.* quae magnam ſpeciem probabilitatis prae ſe habet, eamque meae praeferre, non dubito. his de cauſſis ago gratias maximas doctisſimo Bünemanno, ea, qua decet, obſeruantia critica.

p. 166. lepide Cl. Bünemannus monet, & parum abeſt, quin addat iusiurandum, quod viri non infantes ſuſtineant. crede, hoc nemo negabit, ſed caue, ne verba mea male ad Lactantium adplices. ſententia mea eſt, quod per *onus corporis* alibi intelligatur infans.

§. XII. Haec ſunt ſpecimina Dn. Bünemanni, quibus praecipue contra Lactantium meum venire conatus eſt. in reliqua proxime alio loco inquiram, vt pateat, quid exſpectandum ſit ab ingenio Clariſſimi Bünemanni. in praeſens id egi, vt oſtenderem ea plerumque nullius eſſe momenti, quae aduerſus me & Lactantium meum notauerat. penuria ſpatii impedit, quo minus ad epiſtolam CL. HEVMANNI, nobis amiciſſimi, quam priuatim de *diſcrepantibus ſcripturis quibusdam Lactantii* ad me ſcripſit, quamue ipſe publici iuris feci, iam reſpondeam. paucis hoc negotium poterit expediri, quodue ad aliud tempus reſeruabo.

de

de cetero iterum iterumque Cl. & ampliſſimo Bünemanno eiusdemque amicitiæ me commendo, quæ vt in poſterum ſit fructuoſa, dabo ſtudium, vt varia ad Lactantium eius magis inluſtrandum conferam. poſſideo varia, quæ ſibi deeſſe, monuit: mihi quoque ſunt variantes lectiones duorum Codd. MSS. quibus nemo adhuc vſus eſt. agat ſemper proſperrime optimus Bünemannus, meque amare vel incipiat, vel pergat.

OBSERVATIO LXXIII.

CHRISTIANI GRUNDMANNI,

Paſtoris Heuckewaldenſis, exhibens,

Urnas defunctorum,

in Republica in primis Literaria per Semeſtre prius An. M DCC XIV. collectas.

VIx rectior eſt Mortalitatis noſtræ obſervatio, quam quæ ex denſatis paſſim mortalium funeribus quotidie oculos,

oculos, animumque noſtrum occupat. Singuli quippe anni ex mortalium ſorte mortuos ſiſtunt, non quos vilior tantum toga onerat. Sed quos Tyria etiam ornat Purpura. Horum urnas quo diligentius videmus; eo magis noſtros etiam cineres vivi adhuc prævidemus. Permitte igitur, *Mortalis Lector*, ut hunc etiam Miſcellaneorum Tomum *miſcellaneæ quorundam defunctorum urnæ* claudant, & quidem emortui dudum per *quatuor priores menſes Anni M DCC XIV.* Reliquas urnas *ſequentium octo menſium* futurus *Tom. IV.* exhibebit, cum chartæ anguſtia id in præſenti prohibeat. Hos dum ſpectas ex mortalium numero ſublatos, Te etiam mortalem eſſe mecum pie cogita. Nihil enim ad vitam bene finiendam ſalutarius efficaciusque quotidiana finis noſtri quotidie nobis undique imminentis meditatione. Ah! mors certa eſt, ſed hora mortis incerta. Tu mecum precare, ut ſit *per fidem beata.* Ruit Hora! Inſtat Æternitas! omnia dixi. Vale!

I. Perſonæ Sereniſſimæ.

1) FRIDERICA AMALIA, *Joh. Georgii*, Ducis quondam Saxo-Querfurtenſis filia, quæ

quæ data a Deo d. 1. Mart. 1712. datori ſuo reddita d. 31. Jan. 1714.

2) MARIA LUDOVICA GABRIELLA, Hiſpaniarum Regina, Philippi V. Hiſpan. & Indiarum ſic dicti Regis, conjux, *Victoris Amadei II.* Sabaud. Ducis, & Siciliarum Regis, filia, † Madriti d. 14. Febr. æt. 26. fœcunda quatuor Filiorum mater.

3) CHARLOTTA AMALIA, *Chriſtiani V.* Dan. & Norvagiæ Regis vidua, & *Wilhelmi VI.* Landgravii Haſſo-Caſſellani, filia, † Hafniæ d. 27. Mart. æt. 64.

Mater Regni, Aſylum Afflictorum.

4) ANTONIUS ULRICUS, Dux Brunſvicenſis & Luneburg. Princeps totius Europæ Senior, † in Seceſſu Salzthal d. 27. Mart. æt. 81.

Princeps erat clementiſſimus & doctiſſimus, Poëta inprimis felicisſimus: cujus excellentiſſimi quondam ingenii monumenta extant elegantiſſima *Aramenæ atque Romanæ Octaviæ* volumina; quæ poſterior, op. Octaviæ, Brunſvigæ 1712. in 8. maj. quatuor conſtans partibus nitidiſſime prodiit.

Ejus etiam eſt Chriſt-Fürſtl. Harffen-Spiel ꝛc. An. 1710. avita Sacra Evangelico-Lutherana deſeruit, ſusceptis Pontificiorum opinionibus.

5) VINCENTIUS GONZAGA, Dux Guaſtallæ & Sabulonetæ &c. Princeps

per univerſam Italiam μακροβιώτατος, † d. 27. April. æt. 80.

II. Perſonæ Reverendisſimæ Literatæ.

1) IOHANNES SCHARPIUS, SS.Th. Doctor, Eccleſiæ Eboracenſis in Anglia Archi-Præſul, Theologus Gentis ſuæ famigeratiſſimus, † in thermis Bathonienſibus d. 13. Febr.

2) CASPAR CARPEGNA, Romanus, S.R.E. Cardinalis, Sabinæ Epiſcopus, † Romæ d. 6. April. æt. 89. Vir Literatiſſimus.

3) IOHANNES FRANCISCUS de CHAMILLARD, Epiſcopus Sylvanectenſis in Gallia, (Senlis,) † d. 17 April.

III. Perſonæ Arte & Marte Illuſtres.

1) DON GABRIEL ALVAREZ de TOLEDO y Pellicer, Hiſpanus, Ord. de Alcantara Eques, Secretarius Regius, Bibliothecæ Aulicæ Præfectus, & Academiæ Regiæ Madritenſis Socius, † Madriti d. 1. Ian. æt. 52. Inclaruit Vir celeberrimus edito libro: Hiſtoria de la Igleſia y del Mundo &c.

Academia hæc, cujus Membrum fuit, auſpiciis Regiis a D. Juan Manuel Fernandez Pacheco, Marchione de Villena, & Duce d'Eſcalona, Equite aurei velleris, & Heroë

litera-

literarum 1713. pro excolendo linguæ Caſtilianæ nitore primum inſtituta fuit. Prodiit de Fundatione ejus Schediaſma, cui titulus: *Fundation y Eſtatutos de la Real Academia Eſpañola &c.* Madriti 1715. 4. pl. 13. Director Academiæ eſt ipſe Dux d'Eſcalona: Secretarius D. Vincentius Squarcaſigo Centurio y Arriola; Membra ſunt numero 24, ſi Directorem & Secretarium connumeraveris. Voritzo arbeitet die Academie vor allen Dingen an einem vollkommenen Caſtilianiſchen Wörter-Buche; wenn dieſes zu ſtande, ſo will man an eine Grammatic, einer Anweiſung zur Spaniſchen Poëſie, und einer Hiſtorie der Caſtilianiſchen Sprache arbeiten ꝛc.

2) GOTTHARDUS FRIDERICUS, a REIBNIZ, Eques Sileſ. in Ducatu Jauravienſi Senior Provincialis, præcipuum Literatæ Nobilitatis Sileſiacæ Ornamentum, omniumq; afflictorum commune Aſylum, † in prædio Langenhelmsdorff d. 8. Jan. Menſæ aſſidens ſubita morte exſtinctus exſpiravit, magno ſui relicto ubique deſiderio.

3) FRANCISCUS VII, Dux de Rochefaucaut, Par Franciæ, & Magnus Venationum per Galliam Præfectus, Princeps de Marſillac, Eq. Ord. S. Spiritus † Pariſiis d. 11 Jan. æt. 80.

4) WILHELMUS DRUMMOND, Dux de Melford, Par Angliæ & Scotiæ, Eques

aureæ Periſcelidis, (1) in Regno Scotiæ Cancellarius, (2) Caroli II. & Jacobi II. Conſiliarius Int. & Secretarius Status, (3) poſt exilium Jacobi Regis, Principis Walliæ in Gallia Gubernator, † Pariſ. d. 25. Jan. æt. 64.

5) HANS, COMES WACHTMEISTER, Regni Suecici Senator, & Generalis Regiarum Claſſium Admiralis, † Holmiæ d. 12 Febr.

6) EUGENIUS ALEXANDER, S. R. I. PRINCEPS de THURN & TASSIS &c. Generalis & Hæreditarius Poſtarum Præfectus per S. R. I. Burgundiæ, & Belgii Regii Provincias, † Francof. ad Mœn. d. 20. Febr. æt. 60.

7) MAGNUS ANTONIUS a GOETZ & Schvvanenflies, inclytæ Reipubl. Vratislavienſis in Sileſia Præſes, †. d. 6. Mart. æt. 86. dignitatis Senat. 37.

Quatuor intra unius trienii ſpatium Præſides cana nive ſparſos incluta Vratislavienſium Reſpublica amiſit, nempe

a) *Joh. Sigismundum ab Haunold* & Rhumberg, S. C. M. Conſiliarium, & florentiſſimæ Reip. patriæ per 51. annos Senatorem, & 20 annos Præſidem, peraniquæ Gentis ſuæ ultimum, Virum pientiſſimum, doctiſſimum, & curioſiſſimum, † d. 16 April. A. 1711. æt. 77. ἄτεκνος. Pretioſiſſima MSS. in Bibl. Eliſab.

b) *Henricum de Reichel & Schmoltz*, Præſidem Reipubl.

Reipubl. Echeritum, † d. 21. Mart. A. 1712. æt. 83.

c) *Maximilianum de Styller & Bunzelwitz*, Illuſtris Reipubl. Vratislav. Præſidem, † d. 19. April. A. 1682. æt. 62.

d) *Magnum Ant. à Gatz & Schwienenſſies* ſupra laudatum &c.

IV. Varii Eruditi.

(A) *Ex ordine Theologorum.*

D. JOHANNES GüNTHERUS, Greiffenberga - Sileſius, Lipſienſis ad D. Thomæ Archi-Diaconus, & Collegii B. Mar. Virg. Collegiatus, † d. 22. Jan. æt. 54. ἄτεκνος. Theologus erat uti pientiſſimus, ita eruditiſſimus, inque debellandis, & in rectam viam deducendis præcipue Pontificiis Heros non una victoria inclutus.

Ipſe inſtantem ſibi obitum quaſi vaticinari viſus eſt, dum funus Theologi ſibi conſangvinitate juncti paulo ante comitatus, dixit: *Se primum nunc fore ex Familia, qui beatum ſit ſecuturus, & cum ipſo coram throno Majeſtatis divinæ triumphaturus.*

Scripta Viri Celeberrimi ſunt (1.) Quædam Polemica contra Pontificios v. g. Vertheidigung des Himmels-Weges contra P. Eiſenhut Lipſiæ. 1698. 12. Refutation der Schleſiſchen Academiſten Lipſ. 1702. 4. (2) Erleiterung des Himmels-Weges Lipſiæ aliquoties in 12. (3.) Unterricht vom H. Abendmahl, Lipſiæ 1699. (4) Geiſtliche

ad D. Cathar. Gedanenſis, Vir ſolide doctus, Malleus Hæreſium & Fanaticorum, † Gedani d. 18. Mart. æt. 63.

Symbolum Textumque funebrem ſibi conſtituit Vir ὀρθοδοξότατος ex Pſ. 119. v. 113. Jch haſſe die Flatter-Geiſter, u. liebe dein Geſetz.

Scripta Rüdigeri longa ſerie enarravit Dn. Ephr. Prætorius in Athenis Gedanenſibus, p. 140. ſq.

7) ANDREAS MYHLDORFFIUS, Norimb. Antiſtes in patria ad D. Sebaldi, Reipubl. Bibliothecarius, inque Gymnaſio Theol. Prof. Publ. Theologus Semiſecularis, † d. 11. April. æt. 76. Miniſt. 52.

8) GEORG. ERID. GLANDORPIUS, Heilbronnenſis, Rev. Miniſt. in patria urbe Senior, Paſtor ad D. Kiliani Prim. & Scholarcha, † Heilbronnæ in Suevia menſe Aprili.

(B) *Ex ordine JCtorum.*

D. GOTTLIEB GERHARDUS TITIUS, Nordhuſanus, Codicis Prof. Ordin. in Acad. Lipſienſi, Facult. Juridicæ, & Supr. Curiæ Prov. Aſſeſſor, nec non Pot. Polon. Regis & El. Sax. in ſummo Appellationum Senatu Conſiliarius, t. t. Rector Academiæ Magnificus, † d. 10. April. æt. 53.

Uxorem nunquam duxit, quod in Muſarum, ſanctiſſimarum puellarum, quam in uxoris amplexibus & familiari converſatione plus caperet delectationis atque oblectamenti. Vir erat cetera rectus, integer, quietus, ne-

mini gravis, omnibus obvius atque expoſitus, in judicando acer, & acutus, laborum patiens; paucis; Vir ad exemplar antiquitatis expreſſus, eaque ingenii elegantia morumque ſuavitate, ut abs ſe quemvis facile ad amandum invitaret. vid. *Progr. funebre Acad. Lipſienſis.*

Inter Scripta Viri Conſultisſimi habentur:

1) Ars Cogitandi, Lipſiæ 1702. 12.

2) Obſervationum Ratiocinantium in compendium Juris Lauterbachianum Centuriæ XV. Lipſiæ 1703. 8.

3) Probe des Deutſch. Geiſtl. Rechts; Lipſ. 8.

4) Fernere Ausführung ſeiner in der Probe des Deutſchen Rechts fürgetragenen Lehre wegen Päbſtl. Mißbrauch des Binde-Schlüſſels ꝛc. Lipſiæ 1704. 8.

5) Einleitung zum Iure Naturæ & Gentium Lipſ. 1710. 8.

Quatuor Rectores Magnificos Academia Lipſienſis jam vidit in Regimine exſpirantes:

a) D. Chriſtophorum Prebiſium, Sprotta-Sileſium, Phyſices Prof. Facult. Jurid. & Nat. Polon. Seniorem, Com. Pal. Cæſ. &c. † d. 1. Mart. 1651. æt. 71.

b) D. Godofr. Schilterum, Landshuta-Sileſium, Prof. Juris, & Collegii B. Virg. Collegiatum &c. † d. 9. April. 1679. æt. 36.

c) D. Chriſtianum Schambergium, Lipſ. Phyſiol. & Chymiæ Prof. Publ. in Acad. patria ordinarium &c. † d. 4. Auguſt. 1706. æt. 39.

d) D. Titium, cujus Diſp. ſolennis fuit de *obligatione ex imperfecto Teſtamento.* In-

Index Obſervationum:

Quarum TRES & QUINQUAGINTA Tomis prioribus occurrunt.

Obſervatio LIV. De Fabula Societatis Abbreviatorum Romanæ, *Dn. M. Chriſtophori Auguſti Heumanni.*

LV. De Cebete, *Dn. Jacobi Wilhelmi Feuerlini, P. P. Altdorſini.*

LVI. De Voce [illegible] *Dn. M. Henr. Gottlieb Reime.*

LVII. De Timone Miſanthropo, *Dn. Gottlieb Stollii.*

LVIII. De Argumentis Mathematicorum, queis contra Atomos pugnant, *Dn. M. Georgii Friderici Richteri.*

LIX. De Lactantio Firmiano ex LX. amplius MSS. & Editionibus edendo & illuſtrando, *Dn. Joan. Ludolphi Bünemanni.*

LX. De Periculo ex Partu Suppoſititio Familiis, Ordinibusque Dignitatibus metuendo, *Dn. Chriſtophori Gottliebi Wenzelii.*

LXI. De Vini Vſu, Feminis Romanorum interdicto, *Dn. M. Daniel. Friderici Jani.*

LXII. De ſolenni linguæ Romanæ in Curia quondam obſervatione, & promiſcuo inter plebem, diſtincto a Quiritium nitore, exercitio, *Dn. Joan. Dopperti.*

LXIII. De Societate Charitatis & Scientiarum, *Dn. M. Joan. Gideon. Gellii.*

LXIV.

LXIV. Reſponſio Dn. M. Jo. Auguſtini Egenolfi ad dubia Dn. M. Polycarpi Lyſeri, Obſervatione XXXVIII. Tomi II. horum Miſcellaneorum p. 547. ſqq. propoſita.

LXV. De Aurora Boreali d. 17. Martii anni præſentis veſperi conſpecta Obſervationes Vitembergenſes, communicatæ a Jo. Frid. Weidlero, Math. P. P. Acceſſit Dn. D. Sigiſmundi Schmiederi de eodem Phænomeno obſervatio p. 255.

LXVI. B. L. Joachimi Felleri, P. P. Flores pietatis ergo Deum, ex litteris ipſius, ad Dn. Chriſtianum Daumium olim ſcriptis, collecti a Dn. M. Georgio Andrea Vinholdo.

LXVII. De Prima Tyri origine, Dn. M. Jo. Michaelis [illegible].

LXVIII. De Voluptate Senſuum internorum, e rerum varietate perceptibili, Gesmæni.

LXIX. De Lollo, veteri Franconiæ Deaſtro, cujus veſtigia in agro Svinfurtenſi occurrunt, Dn. Jo. Henr. Boecleri, P. P. Lolli figuram exhibet frontiſpicium hujus Tomi.

LXX. De Veteri monumento in Templo Paulino, quod Lipſiæ eſt, ante Reformationem religionis poſito, Conjecturæ Dn. M. Pauli Chriſtiani Hilſcheri.

LXXI. Conſilium de novis Ephemeridibus literatis, iisque univerſalibus conſcribendis, Dn. M. Polycarpi Lyſeri. Accedunt p. 329. ſqq. Paralipomena Ejusdem ad conſilium de Actis literariis univerſalioribus.

LXXII.

LXXII. De Scepticismo [illegible] seu Vindiciis Va-
riarum [illegible] Lactantii subjunctae sunt, *Dn. M. Jo. Georgii Walchii*; Præcipue contra *Dn. Buddeum*, cujus animadversiones *superiori observatione* LIX occurrunt, atque dispositae pag. [illegible] sqq.

LXXIII. Virtute Defunctorum, in Republica in primis Literaria, per Semestre prius An. 1714. *Dn. Christiani Gryphii*.

I. *Index* [illegible] insequenti *Tom. IV.* sub finem hujus anni [illegible] prodibit.

II. Emendanda a CLL. DNN. AUCTORIBUS ad Editorem *C. To Bepeldum* proxime mittantur, qui eadem Tom. IV. inseri curabit.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA,
AD INCREMENTUM REI LITTERARIÆ EDITA.
TOMUS IV.

Accedunt INDICES neceſſarii in omnes quatuor Tomos, Obſervationum, Dnn. Autorum, Vocum Græcarum & Hebraicarum, Locorum Scripturæ S. & Rerum memorabilium,

CUM PRÆFATIONE, de Fatis hujus inſtituti Litterarii.

LIPSIÆ,
Sumpt. HÆREDUM LANCKISIANORUM,
M DCC XVII.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA,

AD INCREMENTUM

REI LITTERARIÆ

EDITA.

TOMUS IV.

Accedunt INDICES neceſſarii in omnes [illegible], Obſervationum, [illegible], Vocabulorum [illegible] & He- [illegible]

CUM PRÆFATIONE,

de

Fatis hujus inſtituti Litterarii.

LIPSIÆ,

Sumpt. HAEREDUM LANCKISIANORUM,

M DCC[illegible]L.

LECTORI OPTIMO
a DEO, pacis datore, felicia quaevis
adprecatur
M. CAROLUS FRIDER. PEZOLDUS,
Fac. Philoſ. in Acad. Lipſ. Aſſ. & Scholæ
Senat. Thom. Collega.

QUae per primum hunc annum, ex quo *MISCELLANEA LIPSIENSIA* prodierunt, atque erudito orbi cum multorum adprobatione communicata ſunt, *inſtituti hujus Anthologici* fuerint *fata*, brevibus delibare, & digito veluti indice notare, non vero hiſtoriam ejus enarrare in praeſenti animus eſt.

Vix primus & ſecundus Tomus lucem adſpexerant, cum Viri doctiſſimi, & augendis bonis litterariis nati, Celeb. *AUTORES* Actorum Eruditorum Lipſienſium, tum latinorum, *a*) tum teutonicorum, *b*) Pl. Rev. *J. C. KOCHIUS*, *c*) Cl. *J. G. KRAUSIUS*, *d*) & Cl. *POLYC. LYSERUS*, *e*) Viri dexterrimi,

a) Menſe Septembri a. c. *b*) Part. XLII.
c) Obſerv. Miſcell. Parte XXXI.
d) Acr. Nov. Libr. Apert. LIV. p. 455. ſqq.
e) In Animadverſionibus criticis de *Ephemeridum literatarum inprimis hodiernarum metho-*

terrimi, huic labori calculum adderent ſuum, eundemque promovendis commodis litteratis ſatis idoneum pronunciarent, atque nos hac ratione excitarent. Exteris etiam non diſplicuiſſe idem negotium & Cl. *SAM. MASSONIUS*, *f*) & Autores Belgae in Ephemeridibus, Republyck der Geleerden g) confirmant.

Tametſi vero labor hic innocens eſt, & laedit neminem, ſed ſolo bonarum Litterarum incremento ſe defendit, & tuetur, quod bonus quisque pro virium modulo promovere ſatagit: nonnulli tamen his conatibus noſtris obſtitiſſe viſi ſunt, ſaporem pro guſtantium palato varium eſſe non ſatis cognoſcentes, nec vina generoſiſſima non ſine fecibus eſſe prudenter cogitantes. Qui tamen ut quiete vivant, neque invidiae locum relinquant, orandi ſunt; cum obtrectatio cruentae ſit inſtar beſtiae, quae quod conſumere non valet, lacerare conatur.

Etenim quemadmodum honeſtus & prudens nemo ſolicitationibus admodum mole-

methodo, Vitembergae menſe Novembri a. c. publicatis.

(*f*) Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres, Tom. XII. p. 399. ſeqq.

(*g*) Menſe Septembri & Octobr. p. 342. ſqq.

moleſtis Viros bene meritos vexat, licet modeſta invitatio non permiſſa ſolum, ſed & neceſſaria ſit, id quod & ſana ſuadet ratio, & alii pluribus evicerunt argumentis: ſic nos lucri cupidos, & ejus quidem abjecti & ſordidi, nemo, niſi curarum noſtrarum atque operarum & tædiorum, quin inprimis etiam ſumptuum non evitandorum plane expers, nos arguet. Sola communis utilitas labori noſtro praemium & lucrum erit exoptatiſſimum.

Maxime autem laetor, non modo *CL. DN. BODENBURGIUM*, Rectorem Gymnaſii Berolinenſis meritiſſimum, cujus verba ſiniſtre nonnulli interpretabantur, literis humaniſſimis teſtatum eſſe, ſe quorundam interpretamentis & philoſophia minus delectari; ſed cumprimis etiam gaudeo, controverſiam omnem, quae facile inde oboriri potuiſſet graviſſima, extinctam eſſe & penitus ſepultam, & quod odium, quod facile hominum animos occupare ſolet, ſincerus & Chriſtianus amor excepit, ſimultatibus omnibus ad Garamantas relegatis.

Id præterea ſilentio prætereundum non eſt, doctiſſimos Autores Diarii Belgici (*b*)

(*b*) Republyck der Geleerden, menſibus citatis 1716. p. 345.

CL. WALCHIUM noſtrum accuſaſſe, quod *Küſterum inter & Gronovium de voce CERNO litem interceſſiſſe aſſeruerit, cum Küſtero Perizonius ſeſe oppoſuerit.* Atenimvero tantum abeſt, ut Dn. M. Walchius in tota obſervatione V. Tomi I. Miſcellaneorum Lipſienſium, de bellis Grammaticorum, vel unico verbo Gronovii V. C. fecerit mentionem, aut Küſterum & Gronovium conjunxerit; ut potius totidem verbis ſe noſtra ætate *Küſteri & Perizonii de voce* Cerno *diſputantium exemplum in medium proferre poſſe* faſſus ſit, l. c. p. 48. Hæc igitur fidei hiſtoricæ, & alia exiſtimationi totius Germanorum nationis repugnantia, immo quæ ab ipſius Dn. Walchii ingenio adeo aliena ſunt, quam alieniſſima, idem *Acceſſionibus ad iſtam obſervationem* modeſte & clariſſime demonſtrabit. Igitur ſatis proſpera per Dei gratiam fata fuerunt hujus noſtri inſtituti, quo publice multis conſulitur, dum reſpondit ad ſpem eventus, qui tanto præſtantior habendus, quanto eſt utilior.

Querendi tamen etiam occaſio Anthorlogos manſit, dum duo eruditiſſimi Viri, alter *M. CAROLUS FRIDERICUS BUDDEUS*, celeberrimi *DN. D. BUDDEI* frater dilectiſſimus, Jenae cum applauſu docens; alter *JO. HENR. BOCRISIUS*, Prof.

Prof. Publ. Svinfurtenſis, cujus obſervationes de *Lollo, Veteri Franconiæ Deaſtro*, Miſc. L. T. III. p. 307. ſqq. & de *Muſica, praeexercitamento Ebræorum, quo ad Sapientiam diviniorem ſe praeparabant*, T. IV. p. 56. ſqq. inveniuntur, præter omnem noſtram ſpem & opinionem naturae debitum reddiderunt, ille anno aetatis vigeſimo quinto, hic autem undetrigeſimo, quorum etiam fato functorum Virorum optimorum vita, fata & ſcripta, juxta *Legem XI. hujus Societatis* pluribus in poſterum exponentur.

Indices, huic Tomo adjecti, atque a Viro Clariſſimo non ſine induſtria confecti, quot & quanti ſaepe Viri obſervationibus ſuis haec Miſcellanea Lipſienſia colluſtrarint, & publicis uſibus profuerint, teſtantur. Plures vero ſunt, in quibus quid præſtitum ſit, paucis Te, L. B. docere e re duximus. Præter Indicem enim Obſervationum, quarum in his quatuor Tomis *tres & nonaginta occurrunt*, quatuor etiam alii ſiſtuntur.

Primus eſt Autorum, qui Obſervationes hiſce Miſcellaneis inſerendas benevole miſerunt. Quanquam enim eorum nomina ad calcem cujuslibet Tomi, in quo meditationes ipſorum habentur, adſcripta ſunt; placuit tamen heic eadem *ordine Alphabetico* repetere, adjecto munere, numero, & loco, quot, quales, & ubi unius ejusdemque Autoris leguntur obſervationes. Secundus Vocabula graeca & ebraica ſeorſim exhi-

exhibet, non omnia quidem, ſed illa ſaltem, quorum ſingularis quaedam, & non ubivis obvia ſuppeditatur exegeſis. Tertius eſt locorum Scripturae, non quos Domini Obſervatores nude ſaltem citarunt, ſed quos aut dextre expoſuerunt, aut ab adverſariorum detorſionibus ſolide vindicarunt. Quartus tandem eſt Rerum memorabilium, in quo B. L. titulos otioſos inveniet nullos, cum nobis non multitudo, ſed ſelectus rerum cordi fuerit. Et quoniam aliquos in colligendis de Eruditorum indole cenſuris meminimus occupatos eſſe, horum quoque ſtudio ſuccurrere operam dedimus. Indicem quintum Autorum in Obſervationibus citatorum addere chartae anguſtia prohibuit. Mendas denique & errores typographicos, hinc inde occurrentes, & in hiſce Obſervationibus detectos, diligenter adnotavimus.

Quod reliquum eſt, Deum calidiſſimis precibus imploramus, ut porro huic labori, diviſio ipſius honori, & amplificandis commodis litterariis ſacro benedicens, omnes ac ſingulos DNN. ANTHOLOGOS per hunc & futuros annos ſoſpites atque incolumes praeſtet.

Dabam Lipſiae IV. Non. Jan.
clↄ Iↄcc xvII.

Obſ. LXXIV.

OBSERVATIO LXXIV.

FRIDERICI ERN. KETTNERI,

SS. Theolog. Doct. Imperialis & Liberæ Diœceſeos Quedlinburgenſis Superintendentis, Conſiſtorii ibidem Aſſeſſoris, ad ædem D. Benedicti Paſtoris Primarii, & Gymnaſii Inſpectoris,

De

Horis Paſſionis Jeſu.

Theſis I.

Horarum nomen eſt valde antiquum.

HORARUM denominationem alii ab Ægyptiis petunt, eo, quod Solem *Horum* vocent, *a*) Solisque

---

a) Vide Celeberrimi Domini D. I. A. FABRICII Bibliothecam Græcam Tom. I. 87. KIRCHERI Oedipum T. I. pag. 152. -- 214.

curſum in dimenſione horarum obſervent. Alii à *Luce*, quæ hebraice אור *Hor* appellatur, horas quaſi *Lucis partes* dicunt, vel ab ὁράω, *video*, quia certis horis Scioterium inſpicimus, vel ab ὠρέω, *cuſtodio*, *curo*, quod horæ tanquam Deæ portas cœli cuſtodiant. Quidam ἀπὸ τοῦ ὅρου, vel ab ὁρίζειν, quod *terminum* & *terminare* ſignificat, deducunt, quæ ſententia aliis præferenda. Ipſis horis divinos honores habitos, narrant *b*) HOMERVS & HESIODVS, quia *ſingulis horis novus Deus vel nova Dea regnarent*. Vixit autem Homerus 900. ante Chriſtum annis, tempore Eliæ. Noſtro tempore communiter hora accipitur pro parte duodecima diei, quæ ſic dicitur a Græcis, Latinis, Italis, & Hiſpanis; *Ora* ab Hungaris; *Heure* a Gallis; *Hour* ab Anglis; *Uure* a Belgis. Fingit OVIDIUS horas puellas eſſe, quæ Soli miniſtrarent.

CLAUDIUS SALMASIUS in Plinianis Exercitationibus prolixa & odioſa diſputatione conatur oſtendere, nullum apud veteres horologii uſum, nec diem in horas diſtri-

b) Vid. NATAL. COMIT. Mythol. L. 4. c. 16. Vid. p. 418. SELDEN. de jure Ebr. p. 443. BONÆ Opera pag. 681. ſqq.

diſtributum ante M. Alexandri tempora fuiſſe. Confutat ejus conjecturas doctiſſimus Vir DIONYSIUS PETAVIUS in Auctario operis omni laude digniſſimi de doctrina temporum, monſtratque, florente Græcia diviſionem diei in horas communiter adhibitam. Hanc ad Græcos ab Ægyptiis manaſſe ſcribit HERODOTUS in Euterpe. Illa tamen fractio dierum in duodecim partes non ſtatim horarum nomine proceſſit, ſed aut partium, graduum, aut umbrarum, ſcalarum, ſignorum titulo. Congeſſit *Plinianus Exercitator* quæcunque de horis & horologis apud priſcos Scriptores reperiuntur, quem evolvat, qui hæc fuſius ſcire deſiderat. JOSEPHUS SCALIGER Solonis ævo horas admittit, qui ſexcentis annis Natales Chriſti antevertit, & Zedekiæ Regis ævo floruit.

THESIS II.

Ægyptii vel Chaldæi horas ſive duodecim diei partes invenerunt.

Enimvero Ægyptii Zonæ torridæ & Æquatori propiores facilius quam alii æqualitatem duodecim horarum depre-

 hen-

hendere potuerunt, quia ibi fere perpetuum eſt æquinoctium. Sapientiam ſuam hieroglyphicis involverunt, & ex invidia populo ſubtraxerunt. Antiquiſſimi Græciæ Philoſophi Homerus, Solon, Pythagoras, Archimedes, aliique in Ægyptum philoſophandi cauſa ſe contulerunt. Quodſi inveſtigemus rationes, *c*) unde Ægyptus tot artibus exculta fuerit, deprehendemus, Ægyptios Aſtronomiam Abrahamo debere. *d*) ABRAHAM erat excellens Aſtrologus, *Bava Bathra fol. 26. 2.* Notat *R. Salomo* ad Joma fol. 26. 2. Reges Occidentis & Orientis conveniſſe Abrahamum ad diſcendam Aſtronomiam. Aſſeverat JOSEPHUS *Antiquit. L. 1. c. 8.* Abrahamum omni doctrina Chaldæorum imbutum Ægyptiis Aſtronomiam communicaſſe. JOSEPHUS, Aſtrologus inſignis, ſomnioque, de Sole, Luna, & undecim Stellis ſe proſternentibus ad Aſtronomiæ ſtudium incitatus, Pharaonis Proceres erudivit, ſuaque ætate artem exſtruendi Pyramides Ægyptiis inſtillavit. MOSES inſignis Philoſophus

c) Vid. Maxime-Rever. Dn. D. DEYLINGII Obſervat. ſacrar. P. I. p. 220. ſqq.

d) OTHONIS Lexicon Rabbin. p. 53.

loſophus non ſolum aureum vitulum igne nobis incognito in pulverem redegit, ſed & ex Ægypto inſignes artifices, ſculptores, & gemmarios abduxit, qui ad leges Matheſeos Arcam & Tabernaculum exſtruxerunt. *e*) Philoſophi Chaldaici, inter quos eminent ZOROASTER, BELUS, BEROSUS, aliique, præ aliis Aſtronomiam dilexerunt, ſitu regionis opportuno cultuque Solis & Stellarum moti, eo, quod Stellas tanquam Solis Conſiliarios mente ac ratione præditos adorarunt. Celeberrimus THOMAS STANLEJUS in Philoſophia Orientali *L.* I. *Sect. II. C.* 17. *& Sect. I. C.* 2. *ſeqq.* Aſtrologos Chaldæos recenſet, & ex CICERONIS *L. I. C.* 1. refert: Chaldæos propter planitiem, magnitudinem regionum, & propter cœlum ab omni parte patens & apertum Aſtronomiam diligenter excoluiſſe. Qui plura de Chaldæis deſiderat, in *Stanleji* & *Clerici f*) ſcriptis plura notatu digna inveniet.

e) *Athanaſius* KIRCHERUS Tom. II. P. I. Sect. IV. Ægyptiorum Aſtrologiam hieroglyphicam, & P. II. Ægyptiorum Computum, dies, annos, & horas egregie depinxit & deſcripſit.

f) Conf. JOH. CLERICI Opera Philoſoph. pag. 165. 222. 265.

THESIS III.

Ab Ægyptiis & Chaldæis Græci horas didicerunt.

Præclare meruit de re literaria Summe-Reverendus Dominus D. FABRICIUS Hamburgenſis, qui *Tom. III. Bibliothecæ Græcæ pag. 79. ſq. 385. 508.* eruditum Catalogum Aſtronomorum Græcorum, multis ſeculis ante Chriſtum doctrinæ laude conſpicuorum, collegit, quo ex abunde conſtat horologiorum uſum tempore Chriſti ſatis diu notum fuiſſe. *Add.* VOSSIUS de ſcientiis Mathemat. p. 146. ſq. Idem Dominus *Fabricius* pag. 84. horologii ſolaris Metonici mentionem injecit. Quis enim crederet, Thaletem, Cratem Thebanum, Hipparchum, Calippum, Cyzicenum, Geminum, Soſigenem, Eudoxum, Archimedem, Euclidem, Ariſtarchum, Ariſtotelem, Empedoclem, Anaximandrum, heliotropiorum rationem ignoraſſe. Tempore Domitiani & Johannis A. C. 92. celebris vixit Aſtronomus AGRIPPA, quem PTOLOMÆUS ſec. II. laudavit. Addit DN. FABRICIUS Aſtronomos ineditos & deperditos Græciæ l. c. p. 511. 516. 519. Add. Tom. IV. p. 419. ubi clariſ-

ſimos

ſimos Aſtronomos ante Chriſtum in ſynopſi quadam ſiſtit.

Scioterici horologii, Sphæræ & Gnomonis primus inventor in Græcia a *Plinio* celebratur ANAXIMENES Mileſius, ſed *Laërtius* & *Svidas* ANAXIMANDRO, ejus Præceptori, qui 600. ante Chriſtum annis poſt Hieroſolymam, a Nebucadnezare captam, inclaruit, hanc inventionem tribuunt. De eo ſcribit DIOGENES LAERTIUS ſec. II. *g*) quod primus Gnomonem & Stylum invenerit, ipſumque Lacedæmone in Solariis ſtatuerit. *Herodotus in Euterpe* 440. ante Chriſtum annis inquit: Gnomonem & duodecim partes diei didicerunt Græci a Babyloniis. *Lucianus* ſec. II. horologii excitatorii meminit in Dialogo de mercede conductis, & in Dialogo Lexiphanes ſcribit: Gnomon medium jam horologium umbra deſignat. In ſolaribus iſtis

 horo-

g) Dn. FABRICIUS Biblioth. Græc. Tom. I. p. 773. GASSENDUS T. V. Opp. p. 376. DIOGEN. LAERT. L. II. C. I. p. m. 79. Adde MENAGII notas p. 70. SELDENI jus naturæ p. 443. ſqq. EUSEBIUS Præp. Evang. Lib. X. C. ult. PLINIUS Hiſt. natur. l. 2. c. 76. CENSORIN. de die natal. l. 2. c. 23.

horologiis hora ſexta deſignabat meridiem, alius autem Gnomon ſive baculus, ex ære vel ligno appoſitus, umbra ſua horas longiores æſtivas & breviores hybernas, nec non æquinoctiales monſtrabat. Qua de cauſa horologia ſæpe diſcrepabant, quia horæ in partes inæquales tempore Solſtitiorum diſtribuebantur.

THESIS IV.

Horologiorum primam vel elegantiorem Structuram Judæi ab Ægyptiis, Chaldæis & Græcis acceperunt.

Quamvis enim ex Ægypto Deus Judæos eduxerit, regionis tamen oblivisci non potuerunt Num. XI, 5. Exod. XVI, 3. Ipſe Salomo Regis Ægyptiaci Pharaonis filiam matrimonio ſibi junxit. Et quia Judæi teſte JOSEPHO lib. 2. de bello Judaic. c. 21. lib. 2. contra Apionem fol. 806. Alexandro M. in occupanda Ægypto *b*) auxiliatrices manus præbuerunt, confirmavit ipſorum privilegia, inque urbe Alexandrina, ab Alexandro M. nomen gerente, Syna-

b) Dn. SCHUDTII Antiquit. Judaic. p. 83. ſqq.

Synagogam egregiam indulſit. Tempore Ptolomæi Philadelphi 275. ante Chriſtum annis Judæi in Ægypto Scripturam in linguam Græcam verterunt, & 150. ante Chriſtum annis templum Heliopoli, Autore *Onia*, exſtruxerunt. In ſeptuaginta virali verſione nomen horarum ſæpe occurrit. Præterea Judæi cum Græcorum Mathematicis ſæpe ſunt converſati, & Scripta Græca Anaximandri aliaque Gnomonica legere potuerunt, poſtquam ab Alexandro M. fuerant devicti. Non enim Jeſus Syrach, Philo, & Joſephus Græcam linguam ſoli imbiberunt, ſed & alii Judæi, qui a Pythagora, & Platone Metempſychoſin, ſive *tranſitum animæ Jeremiæ vel Johannis in corpus Chriſti*, cultumque Angelorum acceperunt, Matth. XIV. 2. Col. II. 18.

THESIS V.

Judæi citius vicinos Babylonios in arte Gnomonica ſunt ſecuti, quam Romani remotiores, bellis tantum occupati.

Diſplicet quidem hæc Theſis SALMASIO, ſed probatur ex Hiskiæ ſciaterio, 800 ante Chriſtum, & aliquot ante conditam

Romam annis, tempore Romuli, jam diu verſus meridiem ſuſpenſo. Per gradus autem horas vel ſemihoras indicatas probant multi Rabbini, plerique interpretes Chriſtiani, Judæi, & Mathematici mox nominandi. Equidem JACOBUS USSERIUS in Annalibus V. T. non horologium, ſed ſcalarum gradus intelligit, cum ante captivitatem Babylonicam, horologiorum uſus apud Hebræos non receptus fuerit, & Gnomonis inventio recentioribus Græcis Anaximandro vel Anaximeni tribuatur. Sed bene *Summe-Reverendus Abbas Dominus* D. I. A. SCHMIDIUS in Diſputatione de Sciaterio Achaſi pag. 10. reſpondit. Diei in horas ſectionem multoties legi apud Danielem: Ebræos Babyloniis & Ægyptiis viciniores etiam citius ab his horologia accepiſſe, quam Græci iſta acceperant ab iisdem Babyloniis, ſe non videre, cur non Ebræi æque ac Babylonii & Ægyptii horologia potuerint invenire, cum ſciaterium adumbrare, Solisque reditum ad idem punctum meridiei obſervare, res admodum facilis, naturalis, & quotidiana ſit; & quemadmodum aliæ ſcientiæ ab Ebræis ad Ægyptos derivatæ fuerint,

ſic

ſic quoque horologiorum conficiendorum notitia. Imprimis Chaldæus Paraphraſtes ſat antiquus, nec temere rejiciendus, paulo ante Chriſtum מעלות אחז explicat, per שעיא אבן, *lapidem horarum.* Qua de cauſa ATHANASIUS KIRCHERUS in Oedipo Ægyptiaco Tom. II. conjecturam facit, horologium hoc fuiſſe horizontale, non verticale & murale. Exhibet figuram horologii antiqui Judaici JOH. CHRISTOPH. STURMIUS Sen. P. II. Matheſ. Juven. p. 758, LAURENTIUS RAMIRESIUS DE PRADO a celeberrimo Domino FABRICIO Hamburgenſi in lucem editus pag. 130. & 142. nec non GOUSSETIUS in Comment. Linguæ Ebrææ p. m. 606. qui poſterior Achaſi Sciaterium delineavit.

Laudatus GOUSSETIUS pag. 876. radicem שעה, *reſpexit*, explicavit de parte temporis, quod homines ad eam in ſuis actionibus reſpiciant Dan. III, 6. Cap. IV, 16. Targum gradus Achaſi 2. Reg. XX, 9. 11. & Eſ. XXXVIII, 8. de horis expoſuit. Jam vero viginti gradus horologium Achaſi ad minimum continebat. Regerit Gouſſetius non horas intelligi, ſed gradus, quia Cananitæ non habuerint diem longum

gum horas 20. ſed ad ſummum 14. aut 15. in ipſo Solſtitio, nec plures quam 12. noćte, & 12. die. Sed nil obſtat, Achaſi in Sciaterio 20. ſaltem horas poſitas fuiſſe, quia incertum, an illo tempore hora 60. minutis conſtiterit, & an omnes noćturnæ horæ fuerint adjećtæ: SEB. SCHMIDIUS in Eſ. xxxviii. intelligit non gradus horarum, ſed gradus arcus cœleſtis, ex quibus non immediate, ſed mediate horæ cognoſci potuiſſent. Alii ſemihoram uni gradui tribuunt, atque ſic diem illo tempore decem integras horas ordinarie abſolviſſe ſtatuunt. Ipſi Judæi gradus non de gradibus cœleſtibus, ſed horis interpretantur, quales ſunt Elias Chomer, a GAFFARELLO in curioſitat. inauditis allegatus, R. Abarbanel in Comment. ad v. 8. Cap. XXXVIII. Eſ. R. Salomo. *i*) Plerique ſane Autores conſentiunt, verum fuiſſe Solarium, veraſque horas monſtraſſe. Legati Babylonii 2. Chron. XXXII, 31. ad Hiskiam miſſi ſciſcitabantur de portento, quod ſuper terram acciderat, & procul dubio in Babylonicis Solariis animadverterunt, diem, quo Sol retroceſſit, decem horis vel ſeſ-

i) Dn. D. I. A. SCHMIDII Diſput. de Sciater. Achaſi pag. 12.-- 14.

ſesquihoris longiorem fuiſſe. Non enim erat ſuperſtitioſum inſtrumentum genethliacum, aſtrologicis prædictionibus inſerviens, quia alias Hiskias piiſſimus illud cum ſerpente æneo confregiſſet; nec erat tantum Analemma absque horis, in quo ſola magnitudo umbrarum, prout creſceret & decreſceret, ſpectabatur, nec machina hæc ad inſtar Solii regii fabricata utrinque ſex gradibus in altum ſurrexit, quorum ſex orientales, ſex occidentales a Sole illuſtrati tempus indicarint, uti Mariana & Gouſſetius opinantur; ſed erat *meridionale verticale*, quod BECKERUS, Profeſſor Matheſ. Roſtoch. evincit. *k*) Lineæ enim horarum in horologiis verticalibus imitabantur gradus ſcalarum. Teſtatur quoque Autor Libri Tobiæ, quem poſt Hieroſo-

k) DN. FEUERLEIN in noviſſimorum primo vom menſchlichen Ende p. 784. 785. 789. DN. HAMBERGERUS in Diſſert. de uſu Matheſeos §. 48. REYHERUS in Matheſi Moſaica p. 74. & in appendice RICCIOLUS Almag. nov. l. 9. ſect. 4. Summe-Rever. DN. ABBAS SCHMIDIUS Diſput. allegat. BECKERUS Prof. Mathem. Roſtoch. Diſput. 1708. habita §. 20. ſqq. BUXTORF. Lexic. Talmud. p. 2482.

roſolymam a Romanis captam ſcripſiſſe DN. FABRICIUS ſuſpicatur, tempore Salmanaſſeris, ſeu paulo ante Achaſum, Tobiam in captivitate Aſſyriaca, tribus horis oraſſe, nomenque horæ Tobiæ tempore innotuiſſe. Tob. XI, 13. C. XII, 22. Vixit autem Tobias 739. annis ante Chriſti nativitatem.

Certum eſt, diu ante Chriſtum uſum horologiorum apud Judæos, Babylonios, & Romanos invaluiſſe, licet ad tantam perfectionem non pervenerint, qua nunc Automata ſonantia, vel portatilia, vel repetentia, quæ poſtrema, ante 60. annos inventa, pendulo oſcillatorio, vel globulo ſpirali gaudent, & die nocteque æqualitatem ſervant, quovis in angulo officium ſuum faciunt, horas in minuta minutorum, & 3600. partes æquales exacte dividunt. Et veriſimile videtur, Eſaiam, Nehemiam, aliosque Judæos, e captivitate Babylonica 540. annis ante Chriſtum redeuntes, horisque Babylonicis 24. aſſuetos, varia ſecum, majora, minora horologia Babylonica, Chaldaica attuliſſe, iisque templum exornaſſe. Babylonica enim Synagoga præivit, ibique poſtea Tal-

mud

mud Babylonicum conſcribebatur. Summe-Reverendus DN. D. FABRICIUS in *Menologio* evincit, Judaica menſium nomina e Babylonia allata eſſe. Teſtantur vero plerique Scriptores gnomonici, Babyloniis & Italis non duodecim, ſed viginti quatuor horas placuiſſe, quibus vel ſolum diem, vel diem & noctem diſtinxerunt. Apud Judæos ſemper homines certo pretio conducti erant, qui obſervationi noviluniorum & horarum operam darent, Lunamque novam a ſe viſam horasque proclamarent, quia omnia Feſta ad curſum Lunæ directa Pſalm. CIV. 19. Judæi poſt tempora Alexandri M. cum jugo Macedonico, *Calippi*, celebris Mathematici græci, *Calendarium* receperunt, & tandem, cum Julius Cæſar Calendarium emendaſſet, illud menſibus Julianis conformarunt. Præterea Judæi more Arabum non 60. minutis horam computarunt, (*l* ſed horam in quatuor puncta, 40. momenta, uncias 480, 1080 ſcru-

l) CALVISII Chronol. Præf. C. XII. pag. 66. 80. 82. 83. 89. 372. STRAUCHII Breviarium pag. 21. 23. 51. STURMII Matheſ. Compendiar. P. III. pag. 337. OTHONIS Lexic. Rabb. p. 650. 652.

ſcrupula, & atomos 22560 diviſerunt. Refert CALVISIUS in Iſagog. Chronol. R. Samuelem A. 250. prima vice horas in 1080. ſcrupula diviſiſſe, ſed STURMIUS aliique hanc diviſionem Babyloniis adſcribunt. Erat in templo Hieroſolymitano locus excelſus, quo aſcenderat is, qui ſpectatum miſſus, an aurora aſcenderit, cumque ille videret ſpatium orientis ſplendeſcens, dixit ברקאי vel lucida eſt tota facies orientis usque ad Hebronem. Unoquoque mane id facere juſſit Leithurgiæ Præfectus, ut ſcirent, an adeſſet tempus mactandi ſacrificium juge. Joma cap. 3. 2. Tamid. cap. 3. 2. Maym. ad loc. in Joma.

THESIS VI.

Horæ Romanorum tempore Chriſti nondum a media nocte, ſed ab ortu Solis inceperunt.

Probatur hoc ex MARTIALIS Lib. 4. Epigr. 8. qui floruit A. C. 82. tempore Johannis, & ſic ethnico more cecinit:

Prima ſalutantes, atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia cauſidicos.

In

In quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris;
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima eſt Eupheme meorum;
Temperat ambroſias cum tua cura dapes.

Veteres Hebræi, Græci, & Romani dies & noctes ſive hyeme, ſive æſtate in horas 12. ſunt partiti, ita, ut mane, oriente Sole, hora prima inciperet fluere, in meridie ſexta, per tubas audiretur, veſperi, occidente Sole, duodecima. Unde porro inciperet currere prima hora noctis, media nocte ſexta, & ſummo mane, oriente Sole, duodecima finiretur. Romani primam & ſecundam horam ſalutationibus; tertiam cauſis in foro agendis impendebant, quo tempore Pilatus Chriſtum morti addixit; quartam quintamque domeſticis curis dabant; octava lavabant, & in palæſtris verſabantur; nona cœnam ſumebant. CENSORINUS Sec. III. clarus m) Lib. 10. ita diſſerit: *Dies partim naturalis, partim „civilis. Naturalis dies tempus ab Oriente „Sole ad Solis occaſum, cujus contrarium eſt*

m) JOH. FABRICII Biblioth. latin. p. 538. ſq.

„*tempus nox, ab occaſu Solis ad ortum; ci-*
„*vilis autem dies vocatur tempus, quod fit uno*
„*cœli circuitu, quo dies verus & nox conti-*
„*nentur. Hic conſtat ex integro Solis am-*
„*bitu, qui in 24. partes æquales dividitur,*
„*dictus* νυχθήμερος, *quæ dicuntur æqui-*
„*noctiales.*

Sapientiſſimus *Seneca* edit. Pariſ. Ep. 12. p. m. 182. clare aſſerit, ſuo tempore diei ſpatium 24. horas complexum eſſe, & unum diem pareni eſſe omnibus, quia nox habeat, quod dies perdat, & Ep. 122. p. 511. noctem hora prima initium cœpiſſe. „*Audio*, inquit *Pedo Albinovanus*, *circa* „*horam tertiam noctis flagellorum ſonos;* „*quæro, quid faciat? dicitur rationes acci-* „*pere. Audio circa horam ſextam noctis cla-* „*morem concitatum; quæro, quid ſit? Dici-* „*citur vocem exercere. Quæro circa octa-* „*vam horam noctis, quis ſit ille ſonus rota-* „*rum? velle geſtari dicitur. Circa lucem* „*diſcurritur, pueri vocantur. Hora octava* noctis erat noſtra ſecunda matutina.

Galli veteres & Germani diſcrepabant ab antiquis Romanis, & a media nocte diem inchoabant. Vid. *Cornel. Tacit.* de moribus Germanorum, & *Jul. Cæſar* de bello Gall. lib. 6.

lib. 6. c. 18. edit. Cellarii p. 194. Mutarunt poſtea Romani ſententiam, & quia noctu bellica ceperunt conſilia, a media nocte diem ſunt auſpicati, inprimis NB. *quia punctum mediæ noctis & meridiei erat fixum & invariabile*, punctum autem Solis orientis & occidentis ſingulis menſibus ante & poſt Solſtitia mutabatur, modo enim citius, modo tardius Sol lucem proferebat vel abſcondebat. *Hodierni Romani & Itali* numerum 24. horarum ſonitu campanarum quotidie exprimunt, quia non 12. ſed 24. horarum ſpatio integra fit circuli æquinoctialis & primi mobilis converſio ac circumvolutio, quam globus cœleſtis & terreſtris confirmant. Pragæ, Romæ, Görlizii, Noribergæ, Auguſtæ Vindelicorum, & alibi quædam horologia publica 24. horas pulſu campanæ diſtinguunt. Plurimi autem Europæi 12. tantum horas, quamdiu Sol lucet, numerant, quia numerus hic brevior, & commodior grandiori videbatur. Incertum eſt, an nationes quædam diem olim & noctem in 12. tantum horas majores diviſerint. Equidem die & nocte 12. ſigna Zodiaci vel ſupra Horizontem aſcendunt, vel infra illum deſcendunt,

B 2 unde

„tempus nox, ab occaſu Solis ad ortum; ci-
„vilis autem dies vocatur tempus, quod fit uno
„cœli circuitu, quo dies verus & nox conti-
„nentur. Hic conſtat ex integro Solis am-
„bitu, qui in 24. partes æquales dividitur,
„dictus νυχθήμερος, *quæ dicuntur æqui-*
„noctiales.

Sapientiſſimus *Seneca* edit. Pariſ. Ep. 12. p. m. 182. clare aſſerit, ſuo tempore diei ſpatium 24. horas complexum eſſe, & unum diem parem eſſe omnibus, quia nox habeat, quod dies perdat, & Ep. 122. p. 511. noctem hora prima initium cœpiſſe. *„Audio*, inquit *Pedo Albinovanus, circa „horam tertiam noctis flagellorum ſonos; „quæro, quid faciat? dicitur rationes acci- „pere. Audio circa horam ſextam noctis cla- „morem concitatum; quæro, quid ſit? Dici- „citur vocem exercere. Quæro circa octa- „vam horam noctis, quis ſit ille ſonus rota- „rum? velle geſtari dicitur. Circa lucem „diſcurritur, pueri vocantur. Hora* octava noctis erat noſtra ſecunda matutina.

Galli veteres & Germani diſcrepabant ab antiquis Romanis, & a media nocte diem inchoabant. Vid. *Cornel. Tacit.* de moribus Germanorum, & *Jul. Cæſar* de bello Gall. lib. 6.

lib. 6. c. 18. edit. Cellarii p. 194. Mutarunt poſtea Romani ſententiam, & quia noctu bellica ceperunt conſilia, a media nocte diem ſunt auſpicati, inprimis NB. *quia punctum mediæ noctis & meridiei erat fixum & invariabile*, punctum autem Solis orientis & occidentis ſingulis menſibus ante & poſt Solſtitia mutabatur, modo enim citius, modo tardius Sol lucem proferebat vel abſcondebat. *Hodierni Romani & Itali* numerum, 24. horarum ſonitu campanarum quotidie exprimunt, quia non 12. ſed, 24. horarum ſpatio integra fit circuli æquinoctialis & primi mobilis converſio ac circumvolutio, quam globus cœleſtis & terreſtris confirmant. Pragæ, Romæ, Görlizii, Noribergæ, Auguſtæ Vindelicorum, & alibi quædam horologia publica 24. horas pulſu campanæ diſtinguunt. Plurimi autem Europæi 12. tantum horas, quamdiu Sol lucet, numerant, quia numerus hic brevior, & commodior grandiori videbatur. Incertum eſt, an nationes quædam diem olim & noctem in 12. tantum horas majores diviſerint. Equidem die & nocte 12. ſigna Zodiaci vel ſupra Horizontem aſcendunt, vel infra illum deſcendunt,

B 2 unde

unde uni ſigno quotidie duæ horæ, ſive 120. minuta, & 30. gradus Æquatoris ſecundum leges Aſtronomiæ ſapienter aſſignari potuerunt. Sed noſtri officii jam non eſt, quid fieri poſſit, ſed quid tempore Chriſti factum ſit, indagare.

THESIS VII.

Romani veteres variis horologiis fuerunt inſtructi.

Cteſibium Alexandrinum horologia hydraulica *n*) mirâ ratione inveniſſe refert CICERO lib. 2. de natura deorum. MARCUS VARRO primum Romæ horologium in publico ſecundum roſtra in columna ſtatutum aſſerit Anno Urbis 477. a *Valerio Meſſala* Conſule, donec *Martius Philippus*, Cenſor, aliud rectius ordinatum appoſuit. Annotante POMPONIO LÆTO

n) CENSORIN. de die natal. c. 23. MARTIAL. lib. 10. epigr. 62. JOSEPH. LAURENTII Polymathia pag. 32. VARRO lib. 5. de lingv. latin. PLIN. lib. 7. c. 60. lib. 2. c. 72. GUIDON PANCIROLL. rerum deperditarum P. I. p. 349. & P. II. p. 167. VITRUV. lib. 9. c. ult. RYCQUIUS de Capitolio c. 18.

LÆTO in Antiquit. Rom. inſigne horologium in campo Martio conſpiciebatur, gradus & lineas habens ſeptem, & in angulis quatuor ventos, ex opere muſivo. Ejus & PLINIUS meminit lib. 36. c. 10. & ab Imperatore Auguſto erectum ſcribit. PERSEUS Satyr. 3. in principio: *Quinta dum lineâ tangitur umbra.* Laudatus *Varro* lib. 2. de latin. lingv. pag. 6. aliud Solarium recenſet, quod Cornelius in Baſilicâ Æmilia & Fulvia inumbravit. Scipio Naſica, Collega Lenati, primus aqua diviſit horas, idque horologium ſub tecto dicavit anno Urbis 595. Non autem Scipionis hydraulicum horarium ipſa clepſydra erat, ſed machina major, cujus ſtructuram VITRUVIUS lib. 9. c. ult. deſcribit. Varia vaſa horoſcopa, Geſchirre, daran man die Stunden ſiehet, PLINIUS lib. 2. c. 27. ſeculo I. allegat. In horologiis ſolaribus Romanis olim ultra duodecimam horæ non notatæ, teſte SALMASIO. Civilis dies, teſte CENSORINO, noctem complectebatur, naturalis non item, ſed ab ortu Solis ad occaſum usque ſe extendebat, ſicque eveniebat, ut inæquales eſſent horæ pro diei & noctis longitudine aut brevitate.

te, Clepſydris olim uſi in judiciis & certaminibus, ad judicia acceleranda, proceſſus minuendos, & Advocatorum loquacitatem compeſcendam; nec horæ ſemper æquinoctiales erant, ſed brumales in 50. vel 40. minuta diviſæ; ſexta hora ſemper meridiei addicta erat; horasque pueri, aut ſervi vel voce, vel tintinnabulo, vel cornu, vel tuba, vel pulſato ſigno & ligno indicabant.

Certiſſimum eſt, JULIUM CÆSAREM de ſiderum motu libros conſignaſſe, SOSIGENE illius artis perito adjuvante. Extat ejus Calendarium in Chronologia CALVISII, & Tom. VIII. Theſauri Antiquit. Rom. GRÆVII. VITRUVIUS ſeculo I. lib. 9. c. 9. (o) horologium *viatorium*, penſile & portatile recenſet. De Architectura ad imperatorem Auguſtum ſec. I, libros decem

o) Dn. FABRICII Biblioth. latin. lib. I. c. 17. 288. 293. 299. de calendariis antiquis Rom. ibid. pag. 174. 770. ſqq. add. ROSINI Antiquit. in quibus Calendarium Romanum ac feſti dies, quos Pilatus agitavit, pag. 582. 527. recenſentur. conf. STURMII Sen. Philoſoph. eclect. p. 324. Diſſert. 7. BUCHNERI Lexic. pag. 548.

veni ſcripſit, quorum nonus de Gnomonica agit, decimus de Mechanica. CARDANUS Vitruvium Euclidi ac Archimedi anteponit. Refert PLINIUS ſen. lib. 36. 10. Manlium Mathematicum, celebrem Aſtronomum, tempore Imperatoris Auguſti auratam pilam apici Obeliſci in campo Martio addidiſſe, ad deprehendendas Solis umbras. Cæſar Germanicus, Auguſti Imperatoris nepos, Aſtronomiam probe intellexit. Caligulæ Imperatori de genitura ſua interroganti Sulla Mathematicus, & Domitiano Aſcletarion Mathematicus veram diem necis prædixerunt, qui procul dubio Gnomonicam & Matheſin probe cognitam habuerunt.

THESIS VIIII.

Horologia antiqua tempore Chriſti & ante Chriſtum nocte dieque erant hydraulica, ut alia nobis incognita taceamus.

In Urbe Ægyptiaca *Athunta* 360 Sacerdotes ad anni ſcilicet rationem quotidie aquam è Nilo in vas ingens detulerunt,

quæ guttatim defluens, ſtillicidioque exhauſta horas indicavit. Tanta adhibebatur diligentia, ut illud cavum, neque nimis arctum, neque nimis patulum eſſet. Clepſydrarum formam deſcripſit APULEJUS lib. 3. hoc modo: Præconis amplo boatu citatus accuſator ſenior exurgit, & ad dicendum ſpatium vaſculo quodam in vicem coli graciliter fiſtulato, ac per hoc guttatim defluo infuſa aqua populum adorat. (p) Nec enim libera olim ad loquendum oratoribus ſpatia, ſed ad aquæ ſtillicidium dabantur clepſydræ, quibus exhauſtis amplius dicere vetabantur. Hinc Phraſis apud Ciceronem: *aquam perdere*. Deinde, quia facilius erat accuſare, quam juſtum cri-

(p) PHILOSTR. de vitâ Apollon. lib. 8. c. 1. *Varia Hydraulica horologia* antiquorum STURMIUS P. II. Matheſ. Juven. pag. 490. 626. CLAVIUS libris octo Gnomonices, ATHAN. KIRCHERUS in Arte magna lucis & umbræ, STENGELIUS in Gnomon. CASP. SCHOTTUS. L. 14. curſu Mathematico, SCHWENTERUS in deliciis Mathemat. p. 8, aliique à Sturmio Tractatu de natura Matheſeos p. 28 — — 254 allegati, delinearunt.

criminis diluere quidem, ſi actor ſex horas habuiſſet, ſibi conceſſas, reus novem ſortiebatur; PLIN. lib. 4. Ep. 9. Al. Cn. Pompejus coarctavit iſtam facundiam, ut reus tres horas, actor duas tantum haberet, quæ horæ poſita clepſydra diſtinguebantur. Cum APOLLONIUS THYANEUS coram Domitiano, vivo Johanne, cauſam dicturus eſſet, quantam aquam inquit Scriba, orationem tuam metieris? Cui Apollonius: Si quodcunque cauſa exigit dicere me ſinas, non ipſa Tiberis ſufficeret. (q) SIDONIUS APOLLINARIS ſec. V. lib. 2. Ep. 9. per ſpatia clepſydrarum horarum incrementa ſervantem probabat. Et eodem lib. Ep. 13. Cujus ipſa denique ſpatia, vera cuſtodiebantur, ut per horarum diſpoſitas clepſydras explicarentur. CASSIODORUS lib. I. variarum Ep. ult. eodem ſenſu dixit, momenta horarum conſtituere. L. Apul. lib. I. Apolog. Poſſem quidem bono periculo his dictis contentus perora-

 re.

q) ROSINI Antiqu. pag. 1532. ſqq. de clepſydris. PLINII Epiſtolas conſule cum CELLARII lib. I. Ep. 23. pag. 38. lib. 2. Ep. 11. pag. 87. lib. 4. Ep. 9. pag. 180. lib. 6. Ep. 2. pag. 281. ſeq.

re; quoniam tamen mihi pro accuſationis longitudine largiter aquæ ſupereſt, cedo, ſi videtur, ſingula conſideremus. Et poſt eod. libro: Tu interea, dum legit, aquam ſuſtine. Deinde vero mea licet aqua utare. Et libr. 2. Apolog. At tu, licebit, aquam ſinas fluere. C. PLINIUS Jun. lib. 2. Ep. II. Dixi horis pene quinque, nam decem clepſydris, quas ſpacioſiſſimas acceperam, ſunt additæ quatuor. Idem lib. 6. Ep. 2. Increbuit paſſim & invaluit conſvetudo, binas vel ſingulas clepſydras, interdum & dimidias, & dandi & petendi. Et ibidem loci, paucioribus clepſydris cauſas præcipitari. Cicero lib. 2. Tuſcullan. Quæſt. Cras ergo ad clepſydram, ſic enim dicimus, ſed tibi hoc video non poſſe deberi. Utebantur antiqui libra, in cujus lance prima libramen injectum, in altera tantum aquæ, quantum æquipondium vel æquilibrium requiſivit, guttatim defluxit in vitrum cylindricum, lineis 12. vel 24. exornatum, ex quo horarum vel ſemihorarum ſpatia obſervabantur. Imprimis Judæi, ſtatmicæ artis non ignari, aquam et plumbum pari lance librabant. Uſu venit in accuratioribus horologiis, quale illud in templo

pio Hieroſolymitano procul dubio, ut ſemi-
horaria ſpatia deſignarentur. Cum enim
maximus dies Hieroſolymis ſit tantum 14.
horarum, 5. minutorum æqualium, utique
ad orientalem horologii partem 7. ſaltem
lineæ, totidemque ad occidentalem per-
tinuiſſent, ſi integras horas æquales indi-
caſſent. Quod ſi autem 12. horæ inæquales
diei iſtis eſſent indicandæ, non niſi ſex lineæ
in ante & pomeridiana parte horologii de-
ſignare poſſibile fuiſſet. (r) Licet in ſummo
rigore loquendo neque omnibus diebus
horæ 12. æquales vel 24. die & nocte eſſe
poſſent, ob ſolis motum ſecundum, nunc
tardiorem, nunc velociorem; quia ab Æqui-
noctio vernali ad autumnale 186 dies, ab au-
tumnali ad vernale 178. tantum numeran-
tur, adeoque in ſignis auſtralibus Sol uno
die plures quam 30. gradus abſolvit. Optan-
dum, figuras ſtellarum Judaicas ſupereſſe.
Nam quid Jobi cap. XXXVIII. 31. Amos. V. 8.
nomina hebræa ſibi velint, SEB. SCHMI-
DIUS aliique ignorant, quia nemo Schema-
tiſmos Ebræorum, quibus ſtellæ include-
bantur, poſteritati reliquit, quippe Judæis
[illegible] pro-

(r) Cl. HAMBERGERUS in diſſertatione de
uſu Matheſeos.

prohibitum erat, imagines deorum & fabularum ethnicarum retinere, qualia erant nomina Jovis, Martis, Veneris, Mercurii, Saturni, Orionis, Andromedæ, Caſſiopejæ, Melechet, Moloch, Baal &c. Chriſtus ipſe Phariſæos laudat, quod ſigna cœli probe calleant Matth. XVI. Erant enim in Synedrio viri docti ex omnibus Facultatibus, & in jure, Medicina, ac Matheſi ſatis verſati. Conſulendus interim Seldenus de jure nat. lib. 2. c. 6. pag. 202. ſqq. 449. ſqq. Svavia ſomnia narrat GAFFARELLUS, quando ſtellas cum literis Ebraicis comparat Curioſit. inaud. c. 12. pag. 257. Comparat coelum libro, in quo futura digito Dei inſcripta legi poſſent ex Eſaiæ c. XXXIV. Cœli complicabuntur ſicut liber; quam ſententiam KIRCHERUS in Oedipo Ægypt. refutat T. II. P. II. ſect. 4. de Aſtrologia hieroglyphica. Conf. de Calendario Judaico DN. FABRICII Menologium; COCCEJI Sanhedrin in fol. p. m. 2. Act. Erudit. A. 1691. pag. 251. STRAUCHII Breviarium pag. 954.

Horologia, qualia noſtro tempore ſingulari artificio perficiuntur, Chriſti ætate nondum excogitata fuerunt. UGHEL-

LUS

LUS in Italia S. T. V. pag. 609. ex Panvinio recitat, Pacificum Archi-Diaconum Veronenſem Imperatore Lothario, Ludovici Pii filio, ſi qua fides ejus Epitaphio, primum horologia nocturna, quæ rotis ferreis, ponderibus, libraminibus & campanulis conſtarent, inveniſſe; ſed campanulæ tempore Moſis jam inventæ in Aaronis veſtibus dulci concentu aures demulſerunt. Annales Francici valde celebrant horologium Aaronis, Regis Perſarum, Carolo III. dono miſſum. (*l*)

Horas cognoſcendi modum apud gentes ſui ævi deſcribit Aruch in שעה ערך Sapientes gentilium conficiunt coram Regibus imagines, quibus dant in manus 24. lapides, iisque ſupponunt pelvim magnam æneam. Finitâ hora qualibet projicit imago lapidem unum in pelvim iſtam, cujus ſonus per totam civitatem exauditur. Vid: Kelim. 26. 4. OTHONIS Lex Rabb. pag. 247.

THESIS IX.

Valde probabile videtur, Judæos tempore Chriſti majores & mino-

(*l*) CAROL. DU FRESNE Gloſſar. mediæ latin. pag. 870.

minores horas numeraſſe, ſive 24. ſeſquihoras, tanquam 12 plenas, peculiari tuba & ſigno diſtinxiſſe.

Semihorarum diſtinctio ad honeſtam Levitarum alioquin otio langventium occupationem adinventa videtur: Elegans de his horis locus eſt in gloſſa ad Majem. Hilk. Kiddúſch chodeſch Cap. VI. §. 2. quem hebraice retulit COCCEJUS ad Sanhedr. pag. 299. unde non inutile erit, latine hic eum adjicere: Horæ ſunt duum generum, horæ æquales, & horæ obliquæ ſive inæquales, quæ temporales dicuntur. Et horas quidem *æquales* quod attinet, mutatur numerus earum, ſed non mutatur menſura; at quod concernit horas temporales ſive *inæquales* vice verſa; non mutatur numerus earum, ſiquidem interdiu æque ac nocte duodecim horæ ſunt, non pauciores neque plures, verum menſura earum mutatur. Idem Coccejus in Notis ad Tractatum Sanhedrin editione in fol. pag. 82. è Maimonidis ſcriptis demonſtrat: Juge ſacrificium mactatur hora octava & *dimidia*, offertur *media* decima; pridie Paſcha-

ſchatis mactatur *media* octava, offertur *media* nona, tum profeſto die, tum Sabbatho, quodſi Paraſceve Paſchatis cadat in Paraſceven Sabbathi, mactatur *media* ſeptima, offertur media octava. Agnus autem paſchalis poſt ipſum. Idem MAIMONIDES in Jad Chazakah Tract. de precibus & benedictione Sacerdotum c. 1. §. 4. ſqq. Tres ſiunt orationes ſingulis: Nocturna, matutina, & Minchah. Diebus vero Sabbathi, atque diebus feſtis, & Kalendis *quatuor*. Deinde c. 3. §. 1. Oratio matutina tempus habet determinatum ab ortu Solis usque ad finem horæ quartæ, quæ eſt tertia pars diei.

Oratio Minchæ duplex eſt: Magna, & parva; *parva* reſpondet ſacrificio jugi inter duas veſperas; *magna* ſacrificio jugi, quod offerebatur hora *ſeſquiſexta* veſpere Paſchatis incidentis in veſperam Sabbathi. Pergit §. 4. Ecce didiciſti, orationis Minchæ magnæ tempus eſſe ab hora *ſeſquiſexta* usque ad horam *ſeſquinonam*; & tempus Minchæ parvæ ab hora *ſeſquinona*, donec ſuperſit de die hora cum quadrante. Porro §. 5. ait: orationis ſuperadditorum tempus eſt poſt orationem matutinam usq; ad horam

diei ſeptimam. Et §. 6. Oratio matutinæ recitationis ſuæ tempus habet ab initio noctis usque ad primum auroræ crepuſculum. Orationis clauſulæ tempus eſt, ut abſolvatur circa occaſum Solis. Conf. RAYMUNDI pugionem fidei p. m. 186. ſqq. BUXTORF. ſynag. pag. 268.

Ipſe equidem Chriſtus Johannis cap. XI. 9. teſtatur: Nonne *duodecim* ſunt horæ diei? ab ortu ſcilicet ſolis ad occaſum. Sed loquitur Chriſtus de regionibus, quæ æquales habent dies & noctes, nec longe abſunt ab Æquatore; non loquitur de die paraſcevaſtico ſolenni & extraordinario, nec de die civili & Babylonico, ſed de die vulgari ac naturali. Fortaſſis æquales horæ ab inæqualibus tempore Chriſti peculiari horologio diſcernebantur.

Duodecim ſunt horæ non ubivis locorum, & ſemper, ſed primo penes illos, qui in medio Zonæ torridæ, ſeu ſub Æquatore in ſphæra recta habitant; dein etiam apud illos, qui in Zonis temperatis in ſphæra obliqua degunt, ſi ſol in punctis æquinoctialibus verſetur. *Horæ unius vera menſura eſt motus Æquatoris*, cum Sol 15. Æquatoris gradus ſupra Horizontem aſcendit; aſt apud

pud Judæos Sol quandoque plures gradus ſub æſtatem, pauciores contra gradus ſub hyemem abſolvit pro diverſitate dierum & noctium.

Judæi tempore Chriſti Calippi Calendarium (t) ſequebantur, quod tempore Alexandri M. receperant; Romani contra Julianum amplectebantur, quod Julius Cæſar 45. ante Chriſtum annis ope Soſigenis confirmaverat, nec Judæos ad mutationem horarum feſtorumque coëgerat. Et licet Julius Cæſar magnam impenderit diligentiam, multi tamen præpropera Sacerdotum Romanorum feſtinatione, quibus negotium hoc commiſſum, errores irrepſerunt, quos Cæſar Auguſtus 30. demum annis poſt illud Calendarium emendare, & tres ſuperflue intercalatos dies ſequentibus duodecim annis devorari juſſit. Qua

t) JACOBI TIRINI Chron. pag. 54. STRAUCH. Breviar. Chronol. pag. 976. 978. 980. 981. 983. ſeq. Iudæi Calendario Calippi 600. annis ſunt uſi usque ad tempora Conſtantini M. CALVIS. Iſagog. in Chronol. p. 56. 66. 80. 81. 151. 384. LUNDIUS Calendarium perpetuum Hillelis celebrat pag. 958.

de cauſa Judæi facile Calippi horas & dies Julianis præferre potuerunt.

THESIS X.

Conciliatio Marci & Johannis variis difficultatibus eſt involuta & obſtructa.

His ita præmiſſis convertimus nos ad conciliandos duos Evangeliſtas *Marcum* & *Johannem*, quorum alter Marc. XV. 25. aſſerit, Chriſtum hora *tertia* crucifixum; alter Joh. XIX. 14. aſſeverat, Jeſum hora *fere ſexta* condemnatum fuiſſe.

Mirum in modum ſe torquent interpretes, (*u*) ut hanc contradictionem tollant, quod ex Stephani Morini, & Lomeyeri Zütphanienſis, aliisque diſſertationibus elucet. Hora enim tertia ſeu noſtra nona Sol in parte orientali (Sudoſt,) conſiſtebat; hora autem

(*u*) Conf. Magnif. DN. D. V. E. LOESCHERI, Theologi de Eccleſia meritiſſimi, Evangel. Zehenden P. II. Beati DN. D. ITTIGII Hiſtor. Eccleſ. ſec. II. p. 130. ſqq. Maxime Rever. DN. D. ZEIBICHII Paſſion-Stunden, nec non Doctiſſ. DN. D. DEYLINGII Obſervat. ſacrar. P. I. SAGITTAR. Harmon. Paſſion. BARONII Annal. A. C. 34. § 157.

tem ſexta ſeu circa meridiem fere in puncto meridiei.

Prima claſſis eſt *deſperantium*, qui hanc difficultatem inſuperabilem ſtatuunt, & ignorantiam profitentur, quales erant Iſaacus Caſaubonus, Franciſcus Toletus, Caliſtus, Henr. Müllerus, Hieronymus in Pſalm LXXVII aliique.

Altera claſſis eſt illorum, qui *librarios erroris* in ſcribendo commiſſi *accuſant*, textum corruptum eſſe dicunt, & Autographum Johannis deſiderant. Blaſphemum eſt dicere, Johannis memoriam ſenectute ſumma debilitatam fuiſſe. An enim Spiritus S. ipſum impellens defectu memoriæ laborare poteſt? Sanctiſſimus Johannes ſcripta ſua gravi obſignavit anathemate, illis dira precatus, qui aliquid addunt vel auferunt. Providentia divina ſemper vigilavit, ne ullum Jota periret; nec opus erat Autographo Johannis, quia facile in idolum verteretur, quod diabolus Moſis corpore tentavit. Ipſe Chriſtus & Apoſtoli non Autographum Moſis in arca fœderis aſſervatum, & illo tempore jam combuſtum allegarunt; ſed Apographis in Synagoga contenti fuerunt. Act. XIII. 27.

Cap. XV. 21. 2. Tim. III. 16. Satis eſt habere nummum ad primam matricem juſtiſſime cuſum, etſi non habeas matricem ipſam; ſatis eſt, ſangvinem Chriſti bibere e calice ſacramentali, qui nunc eſt in uſu, etſi non bibas ex illo ipſo, e quo Chriſtus diſcipulis propinavit. Eadem auctoritas eſt inſtrumenti pacis imperatoria auctoritate impreſſi, ac ejus, quod in Tabulatorio Moguntino aſſervatur. Autographa JCtorum, qui Corpus Juris, auream Bullam, Jus criminale Caroli V. concinnarunt, fortaſſis nullibi amplius extant, & tamen Apographa Authentiam habent in Politia. Veneti ducunt ſibi honori, quod Autographum Marci Evangelium poſſideant, ex quo hora certa Paſſionis Chriſti cognoſci poſſet, ſed merito hujus exemplaris fides eſt ſuſpecta. Conf. Dn. Fabricii Tom. IV. Biblioth. græcæ pag. 131-139.

Ad tertiam claſſem referimus, qui cum Auguſtino exiſtimant, Chriſtum hora tertia *lingvis* Judæorum blaſphemantium, hora ſexta *manibus* militum fuiſſe crucifixum, vel cum Theophylacto & Voſſio arbitrantur, ϛ pro γ ſcriptum.

Alii cum Beato GERHARDO diem in 4. *quadrantes* dividunt, quorum quilibet 3. horas

ras complexus, unde hora tertia, ſexta & nona in ſcriptis Evangeliſtarum præ aliis celebrentur. Dicunt, Chriſtum in ſecundo quadrante, hoc eſt, inter tertiam & ſextam horam intermedio, cruci affixum fuiſſe, hosque quadrantes, non ſolum Sciaterio quodam in templo diſtinctos, cum templo illi nihil ad ornatum defuerit, ſed & ſigno quodam publice dato promulgatos fuiſſe.

Hanc opinionem probant ex errore (x) Cabbaliſtarum, qui ſingulis tribus horis Angelorum cuſtodiam in cœlis mutari ſtatuerunt, eamque ob cauſam horam primam, ſextam, nonam, atque duodecimam ad orandum elegerunt, quod illis horis tales Sephiroth, tales Angeli dominentur, quales ad exauditionem precum neceſſarii. Sed ars cabbaliſtica nihil habet ſolidi. CENSORINUS de die natali ſec. I. veteres, inquit, diem in quatuor partes, & noctem ſimiliter diviſerunt. A Græcis quoque uſurpatam eſſe hanc diſtinctionem probant ex PAUSANIA in Meſſeniis, qui ſec. II. vixit, & SVIDA verbo φρȢδος, & ONOSANDRO in Stratagetico. ÆNEAS tempore Ariſtotelis florens c. 6. & 22. de re tactica

x) Vide DELRION. Diſquiſ. magic.

quatuor ſtationes militum recenſet. Sic enim inter ſe diem diſpeſcere ſolebant milites, ut ſingulis trihoriis excubias die noctequе mutarent, uti LIPSIUS docet lib. 5. de milit. Rom. dial. 8. *Quatuor* interdiu tempora orandi claris verbis libro Canonico Nehemiæ leguntur Cap. IX. v. 3. Tunc enim Judæi, majore Zelo præditi, exemplo Eſræ & Nehemiæ incitati, in volumine legis quater legerunt, quater confitebantur peccata, & adorarunt Dominum Deum ſuum. Tria tempora in ſtatu Eccleſiæ preſſæ apud Danielem cap. VI. v. 10. commemorantur. Adde, ſi lubet, Pſalm. XCV. 18. Act. III. 1. Act. V. 9. Act. X. 3. 9. 30. Gen: XXIV. 66. Apoſtoli frequentarunt templum hora nona, ut Pædagogiæ Veteris Teſtamenti nondum abolitæ ſe accommodarent, ſicut Paulus Timotheum circumcidit, & poſt circumciſionem abrogavit. Clemens Rom. in pſeudo Conſtit. Apoſt. (*) lib. 8. c. 34. quatuor precationes facit, mane, hora tertia, ſexta, & nona; matutino enim tempore ad agendum & orandum erant promtiores; hora nona & tertia ſacrificia adjunctis precibus offerebantur. Circa veſpe-

*) De his egit duabus Diſpp. *M. Carol. Frider. PEZOLDUS* An. 1699. Lipſiæ impreſſis.

veſperam decorum erat, finitis laboribus, Deo gratias perſolvere. Totus dies Turcis in 4 ſpatia dividitur, uti BUSBEQUIUS Ep. I. pag. 36. refert. Conſentit PRUDENTIUS hymno Cathemerin:

Nona ſubmiſſum rotat hora ſolem,
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta devexo ſupereſt in axe
Portio lucis.

MAIMONIDES Tractatu de precibus diebus (y) Sabbathi & feſtis quatuor vicibus preces fieri teſtatur. (z) Diviſionem diei in 4. quadrantes amplectuntur NICOLAUS LYRANUS, Judæus converſus, BEZA, BARONIUS, aliique.

Alii contra cum STEPHANO MORINO, celebri Belga, hanc diviſionem fabulæ inſtar alto ſupercilio aſpernantur, & tres tantum noctis vigilias cum tribus partibus diei admittunt, quales ſunt *mane*, *meridies*, &

y) Conf. BAPT. CASAL. c. 45. p. 255. DN. D. PRITII Introd. in N. T. p. 613. LEUSDEN. Philoſ. Ebr. mixt. p. 215. STRESON. in Act. p. 100. BASNAG. Exercit. p. 347.

z) Obſervat. JOSEPH. DE VOISIN in Raymundi Pugion. fidei p. 186. ſqq. BONÆ Opera p. 691. OTHON. Lexic. p. 410. LOMEYERI dies geniales pag. 221.

& *veſperæ.* Quando enim Chriſtus dicit Marc. XIII. 35. *Vigilate, neſcitis enim, quando Dominus domus veniat, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane*, ultimum, ajunt, vocabulum ad diem ſpectaſſe, adeoque reliqua vocabula ſero, mediam noctem, & galli cantum tres noctis partes ſive vigilias fuiſſe opinantur, quarum quælibet quatuor horas ſit complexa, mane, meridiei, & veſperæ diurnæ reſpondentes. Sed erant revera quatuor noctis vigiliæ, at tres tantum profundæ noctis, ſi LIGHTFOOTO credimus. Explodunt porro quatuor diei partes, quia Matth. XX, 3. 5. ultimus quadrans non ab hora ultima duodecima, ſed ab undecima nomen acceperit, & pater familias hora tertia, ſexta, nona, undecima exiverit; aſt in Spiritus S. libertate videtur poſitum, alteri quadranti ab initio, alteri a medio & fine nomen imponere. Hora undecima erat media pars quadrantis quarti, & Parabolæ ornamentum poſtulabat, ut hora undecima nominaretur, quia elapſa hora duodecima non amplius operarii in vineam vocabantur, ſed unius vel multarum horarum præmium reportabant.

Clariſſimus CLERICUS exiſtimat, Mar-

cum

cum horas ſtante templo Judaico uſitatas, Johannem autem horas poſt devaſtatam urbem ſolitas numeraſſe.

Doctiſſimus LOMEYERUS in diebus genialibus pag. 243. Danielis HEINSII ſententiam omnibus præfert, & dicit: Chriſtum hora diei ſexta circa meridiem in crucem actum, horam Marci tertiam non ad tertiam diei, ſed *tertiam a crucifixione* referendam, vocemque ἐςαύρωσαν per Plusquamperfectum vertendum eſſe judicat, ut alias eruditas conjecturas & rationes taceamus, quæ in *Heinſii* Exercit. pag. 126. & *Lomeyeri* diſſertatione legi poſſunt. Verum, ſi Marcus Cap. XV. 25. horas non diei, ſed crucifixionis numeravit, tunc ſequeretur, Solem non hora ſexta diei, ſed hora poſt crucifixionem ſexta fuiſſe obſcuratum, & Chriſtum hora nona poſt crucifixionem, Eli, Eli, clamaſſe. Non enim videtur veriſimile, Marcum in uno eodemque capite, & paucis verſibus una ſerie ſe excipientibus, vocem horæ duplici ſenſu adhibuiſſe, & modo horas diei, modo alias horas absque ullo additamento uſurpaſſe. Hoc enim ſi feciſſet, procul dubio clarius ſignificaſſet, ſe non tertiam ab ortu diei, ſed tertiam a crucifixione calculo ſuo intellexiſſe.

JOHANNES COCCEJUS Commentario in Johannem, JONAS SCHLICHTINGIUS in Bibliotheca Socinianorum p. 135. & LUDOVICUS WOLZOGENIUS p. 436. Grotii deciſionem amplectuntur, & dicunt, Marci ac Johannis locutionem *a conſuetudine templi* ortam eſſe, ubi quotidiana ſacrificia & preces hora tertia, ſexta & nona ſolebant peragi, atque iſtæ horæ celebriores & præ aliis notiores in feſtis primariis tubæ ſonitu declarabantur, ut conſtat ex Num. X. 10. Quicquid igitur contingebat inter horam tertiam & ſextam, id vel ad tertiam, vel ad ſextam horam referebatur.

Nec deſunt, qui *horas Romanas & Judaicas ſeparant*, quam ſententiam Theſi VI. confutavimus. Interim Calendarium Judaicum tempore Chriſti vere a Juliano diſſenſit. Judæi inceperunt annum eccleſiaſticum circa Æquinoctium *vernum* d. 22. Martii, & *politicum* circa Æquinoctium autumnale; Romani autem circa Solſtitium brumale; quod illo tempore primo die Januarii contigit. Judæi ſcrupula, Romani minuta numerabant; illi Calippum, hi Soſigenem ſequebantur; Judæi diem a

veſpera

veſpera incipiebant Gen. I, 5. hi autem diverſo a tempore.

THESIS XI.

Probabile eſt, diem Paraſceves tribus horis vulgarem diem præceſſiſſe, ſignoque dato publico ab aliis diebus diſtinctum eſſe.

Primo, quia Johannes oculatus teſtis Paſſionis Chriſti ante obitum omnia Evangelia perlegit, teſte HIERONYMO, & claris verbis ſcribit; *Erat Paraſceve, hora quaſi ſexta;* deinde, quia nocte ante diem illum adeoque tribus ad minimum horis ante ortum Solis quilibet Paterfamilias accenſa candela in tota domo panem fermentatum perquirere & efferre tenebatur. Mane autem hora prima Judaica Materfamilias dulces placentas conficiebat, quod ex BUXTORFFII Synagoga pag. 394. 397. 401. ex LUNDII ſcriptis pag. 984. ex Orach Chajim n. 431. Tractatu Peſachim c. I. & n. 453. egregie probatur. Procul dubio Levitæ tribus vel quatuor horis ante di-

em

em vulgarem buccina inflata (*aa*) ſignificarunt, tempus ejiciendi fermenti adveniſſe. Jam vero ſi a tempore ejiciendi fermenti diem Paraſceves exordiamur, facile hora ſexta Johannis cum tertia hora diei vulgaris conciliari poterit. Præclare Buxtorffius l. c. horas diei paraſcevaſtici diſtinxit, & hoc ipſo demonſtravit, diem Paraſceves non ab ortu Solis, ſed a tempore removendi fermenti inchoandum eſſe. Patet ex his, diem Paraſceves non 12. ſed 15. horas impleviſſe. Quodſi enim hora nona ſeu noſtra hora tertia pomeridiana diem hunc finitum aſſeramus, repugnaret ſane Scriptura, quæ Chriſtum veſpera diei Paraſceves ſepulchro illatum refert Joh. XIX, 31. Obſtaret Auguſti Cæſaris edictum, quo ex probari poteſt, horam nonam & ſequentes præcipuam diei Paraſceves partem extitiſſe. Conf. JOSEPH. Antiq. lib. 16. c. 10. pag. 561. LUNDII Antiqu. pag. 984. CA-SAUB.

(*aa*) Tubarum ſonitu Judæi ad horas indicandas utebantur, teſte JOSEPHO de bello Judaico lib. 5. c. 9. Moris erat, in turri quarta unum de Sacerdotibus poſt meridiem tuba ſignificare, quod ſeptimus dies inciperet, rurſusque veſperi, quod deſineret.

SAUBON. Exercit. p. 342. Chriſtus quidem 12. tantum horas diei Joh. XI. refert; Sed ſcopus ejus non fuit, gnomonicam docere, ſed per modum proverbii, quaſi aliud agendo, hac interrogatione diſcipulorum audaciam reprimere. Noſtro tempore nihil eſt vulgarius, quam dies Solis & Feſta tubis & muſicis inſtrumentis hora tertia vel quarta matutina, ante Solis ortum, variis in urbibus indicari. In SVICERI Theſauro p. 589. ex Syneſii Ep. 4. qui in Ægypto inter Judæos Seculo V. ineunte vixit, obſervamus, Judæos Paraſceves diem ſequenti modo computaſſe. *Erat*, SYNESIUS inquit, „*tum dies, quam Judæi Paraſceven vocant,* „*cujus noctem cum ſequenti die computant,* „*qua die nulli manum licet operi admovere,* „*ſed eam ſanctiſſime venerantes ab omni la*„*bore feriantur*. Nox ponitur pro parte noctis per Synecdochen, ſicut Chriſtus tribus diebus in ſepulchro fuiſſe dici poteſt, nam (*bb*) Hieroſ. Schabb. f. 12. inquit, *dies & nox conſtituunt* νυχθήμερον, *&* NB *pars eſt ſicut totum.*

Judæi ergo diem Paraſceves citius & prius

(*bb*) OTHONIS Lex. Rabb. pag. 110. 193. 442.

lis quam diem vulgarem inceptarunt, ne forte, ſi nubilus ſit dies, circa primum tempus Paraſceves error committatur. Purificarunt ſe ante diluculum diei, & pararunt neceſſaria. Quædam populi pars totum diem Paraſceves celebrabat, altera a meridie ſolum a laboribus ceſſabat. Vide Peſachim c. 4. Ad diem præparationis ſe præparabant, pluresque quam Deus horas ordinavit, ipſi opinione meriti conſecrabant, quod a Phariſæorum faſtu non videtur alienum. Multos dies Paraſceves primum Paſchatos Feſtum præceſſiſſe Moſes Exod. XII. 3. Exod. XIX. 10. 11. 15. literis prodidit.

Adde, quod *Pilati horæ judiciales* non videantur 60. Minuta compleviſſe, vel cum Judaicis conſpiraſſe, ſed pro lubitu ad normam clepſydrarum Romanarum a ſervis proclamatas fuiſſe. Non enim eſt credibile, in tam ampla urbe Hieroſolymorum, 147. turribus exornata, omnes Proceres & cives, omnes Synagogas, quarum 640. erant, horas Judaicas e templi turribus audire potuiſſe, ſed neceſſarium erat eo tempore, quo campanæ nondum inventæ, ut Solaria multis turribus & palatiis affigerentur, vel ut variis in plateis horæ divulgarentur.

SENE-

SENECA tempore Johannis Evangeliſtæ A.C. 60. & viginti poſt Chriſti obitum annis in Tractatu de Claudio Cæſare edit. Pariſ. in fol. cum Notis D. Godofredi expreſſe p. m. 931. confitetur: *„Horam morientis „Claudii non poſſum tibi certam dicere, facili„us inter Philoſophos, quam inter horologia „conveniet, tamen inter ſextam & ſeptimam „erat.* Unde patet, quanta Seculo I. quo Johannes Evangelium conſignavit, horologiorum diverſitas fuerit obſervata. Falſa perſvaſio multos fefellit, ac ſi tempore Chriſti horologia inter ſe conſpiraſſent, quod tamen *Seneca*, ejus temporis Philoſophus, clare negat, nec ideo Spiritus S. mentitur, eo, quod differentiam horarum antiquarum, nec non horologiorum ſolarium & hydraulicorum nunc ignoramus. Quodſi enim noſtro tempore, quo Matheſis magis exculta fuit, multum inter ſe horologia diſſentiant, quanto magis tempore Paſſionis Chriſti ob diverſas cauſas aſtronomicas, politicas, eccleſiaſticas, imo ob tumultum & ſtrepitum tempore crucifixionis Chriſti horæ diſſonarunt.

Fortaſſis etiam *horæ Sadducæorum & Phariſæorum* ætate Chriſti diſcrepabant, quia

jam Eſræ tempore Sadducæorum hæreſis & odium gliſcere & ardeſcere cœpit. Ex mente Rabbinorum plerumque *Karæi* ſeu textuales iidem erant cum (*cc*) Sadducæis, vel Sadducæorum ſequaces. Conſtat autem ex RAVANELLI Bibliotheca P. I. pag. 1165. Talmudicos initium diei a Solis occaſu, Karæos ſeu ſcripturarios non a Solis occaſu, ſed crepuſculi fine deduxiſſe. De quo *termino a quo* fuſius agit WILHELMUS LANGIUS de annis Chriſti lib. 1. pag. 25. M. FELSEISEN de civili Judæorum die §. 18. & RAVANELLUS.

Liceat porro conjecturis quibusdam indulgere. Urbs Hieroſolymitana 32. gradibus ab Æquatore, & 58. a Polo Septentrionali diſtabat. Patet ex hac elevatione Poli longiſſimum diem 14. ſaltem horas complecti, quia hæc urbs magis verſus meridiem, quam verſus ſeptentrionem jacet. Jam vero die emortuali Chriſti, (*dd*) tertio Aprilis, Sol fere decimum gradum Arietis ingreſſus erat, plenaque Luna 180. gradibus in ſigno Libræ ſive ſex ſignis Zodiaci a Sole receſſerat.

(*cc*) HOTTINGERI Theſaur. Philolog. pag. 41. OTHONIS Lexic. pag. 175. LUNDII Antiqv. p. 960. (*dd*) Dn. D. SAL. DEYLING, *Miſcell.* horum *Lipſ. Tom. II p. 513. ſqq.*

receſſerat. Sole 18. gradibus infra Horizontem mane conſtituto nox in diem ibat, cœlumque albeſcere hora noſtra quarta matutina incipiebat; hora autem noſtra ſeſquiſexta plena Solis facies apparuit. Hoc ſi perpendamus, erit Marci hora vere *tertia a primo ſcilicet aſpectu Solis ſupra Horizontem*, quo Sol realiter ſecundum corpus & ſubſtantiam ſuam ſuper Horizontem emerſit. Johannis vero hora ſexta erit vere *ſexta a primo incipientis auroræ crepuſculo* computanda, quo Sol 18. vel 24. adhuc gradibus infra Horizontem delituit. Hocque modo duo Evangeliſtæ ſibi non contradicunt.

Eo tendit tota controverſia, an ex hiſtoria Judaica, Romana & Græca e conſenſu Rabbinorum, profanorum & ſacrorum Hiſtoricorum contra pertinacem adverſarium probari poſſit, quod interſit multum inter horas Epheſinas Johannis, & Alexandrinas Marci; nec non Hieroſolymitanas, inter lunares & ſolares, Calippi & Soſigenis, Romanorum & Judæorum, Sadducæorum & Phariſæorum, Karaitarum & Talmudiſtarum, judiciales Pilati & extrajudiciales templi, majores & minores, naturales & eccle-

ſiaſticas, aſtronomicas & civiles, paraſcevaſticas & civiles, horas Synedrii, Amphitheatri Herodis, Palatii Maccabæorum, Arcis Antonii, Davidis, horas ante devaſtationem Hieroſolymarum templo ſtante, & poſt eam templo ac ejus horologio conflagrato, inter horas urbis & ſuburbii, civitatis antiquæ & novæ Hieroſolymitanæ, inter horas 1080. vel 540. ſcrupulorum? Certe enim Marcus & Johannes diverſis annis & locis ſcripſerunt, & de diverſis horologiis ac diebus loquuntur. Aliud enim Clima eſt Ægyptiacum, aliud Epheſinum; Marcus obiit anno Chriſti forte 63. Johannes anno Chriſti 100. Forte Judæorum ſcrupuli 1080. & 60. Minuta Romanorum primo ſeculo, non ſtatim conciliari potuerunt. Accedit & hoc, quod ſingulis Feſtis Paſchatos Medi, Parthi, Elamitæ, Cappadoces, aliique ad urbem ſanctam migrarint, qui variis in Synagogis & territoriis diverſorum Principum variis horologiis asſvefacti fuerunt. Cœtus Rabbinorum in unum non potuit cogi, quia Præſides Provinciarum Cæſarei diverſis in regionibus modo plus, modo minus libertatis Judæis concesſerunt, nec in lege ſcripta & orali ullum interdictum

Judæi

Judæi invenerunt de horarum diſſenſu evitando.

In medio ergo relinquimus; an in atrio proſelytorum & gentilium, & in atrio Judæorum diverſæ horæ vel ſemihoræ fuerint auditæ; vel an horologium harmonicum fuerit ſuſpenſum, quod domeſticis & extraneis, vicinis & remotis, Judæis ex Abrahamo genus ducentibus & proſelytis ſimul prodeſſet. Similiter ſuſpendimus judicium de quæſtione, *an diei Paraſceves* pars prior & poſterior in 12. minores horas antemeridianas, & alias 12. pomeridianas fuerit diſtincta. Sane Phariſæi preces, jejunia, decimas, nec non menſem Adar, teſte *Lundio* pag. 957. opinione meriti, cur non & horas? duplicabant; ſic Præcepta decem Decalogi in multo plura ſubdiviſerunt. Oſtendimus Theſi nona, Judæos non circa initium, ſed circa medium partem horarum ſacrificia mactaſſe & obtuliſſe. Ex qua conſvetudine Lector æquus & docilis facile animadvertet, Judæos quamlibet horam, teſte Maimonide, in duas partes, ſive duas horas minores diviſiſſe. Nulla ergo inter Marcum & Johannem diſcordia apparet, ſi dicamus,

Marcum *plenas*, & Iohannem *dimidias horas* numeraſſe. Sex enim ſeſquihoræ Johannis conſtituunt tres plenas Marci. Judæi nunquam æquales horas in numerum retulerunt, niſi diebus æquinoctialibus, quo tempore quælibet hora 60. minuta abſolvit; aſt in Solſtitio brumali quælibet horæ diurnæ 40. minuta, & nocturnæ 70. vel plura minuta impleverunt.

Probe etiam eſt obſervandum, Marcum ſemper *vocem horæ* pro duodecima diei parte uſurpaſſe; aſt Johannes, an. 99. inter Epheſinos Aſtronomos vita fungens, aliter voce uſus eſt, nec ſemper 1080. ſcrupula intellexit, ut Joh. V. 28. 1. Joh. II. 18. Joh. VII. 1. Diverſa numerandi ratio in Scriptura non eſt infrequens, quod libri Regum & Chronicorum comprobant. Et licet nullam plane conciliationem Marci & Johannis ex Antiquitate Judaica & Romana demonſtrare poſſemus, non tamen ideo Sacra Scriptura erravit, ſed noſtra potius ignorantia artis gnomonicæ Judæorum erit accuſanda, vel potius vitio temporum & incendiis eſt adſcribendum, quod antiqua ſcripta gnomonica perierint.

Nec ſilentio eſt prætereundum, quod ex

Syra-


Syracidis Cap. XLIII. v. 7. & Davidis Pſalm. CIV. v. 19. probari poſſit, omnia *Feſta* Judæorum *ad Lunæ phaſes* inſtituta fuiſſe. Deus enim ſingulis noviluniis Feſtum ſancivit, ut hoc pacto Judæos *a cultu aſtrorum ethnico avocaret*, & ad veri Dei cultum alliceret. Veriſimile igitur eſt, diem Paraſceves a primo momento plenilunii cœpiſſe, (quo Luna Soli ad amuſſim, e diametro, opponitur,) & Johannis ſextam horam non tantum ſextam Paraſceves, ſed & ſextam a plenilunio horam fuiſſe. Horologium lunare NICOLAUS BION exhibet in der mathematiſchen Werck-Schule pag. 374. ſq.

Ex tot opinionibus eligat benevolus Lector, quamcunque velit. *Nos ſententiæ Domini D. V. E. Læſcheri, & Domini D. Zeibichii ſubſcribimus*, Iohannem *horas præparationis, non crucifixionis* numeraſſe, quia claris verbis diei Paraſceves, & horarum illius diei mentionem injecit Cap. XIX. v. 14. Marcus autem horam tertiam, ſextam, & nonam una ſerie absque ullo diſcrimine adduxit, adeoque ſpeciem præ ſe tulit, quod vulgares horas in animo habuerit. Adjecimus

Horæ Judaicæ ab ortu Solis,	I.	II.	III.	IV.	V.
Horæ Germanicæ hodiérnæ a media nocte,	7.	8.	9.	10.	11.
Horæ Romanorum antiquæ Martialis,	1.	2.	3.	4.	5.
Horæ diei Paraſceves, a tempore ejiciendi fermenti.	4.	5.	6.	7.	8.
Quatuor diei partes Cenſorini.			I.		
Horæ minores vel ſeſquihoræ Sacrificiorum.	1. 2.	3. 4.	5. 6.	7. 8.	9. 10.
Horæ a primo auroræ crepuſculo.	4.	5.	6.	7.	8.


Miſc. Lipſ.
Tom. IV.
p. 54. ſeq.

Horæ ante-meridianæ.



Horæ pomeridianæ.

Orbita *prima* conſpiciuntur quatuor partes diei,
Orbita *ſecunda*, 12 horæ vulgares;
Orbita *tertia*, 15 horæ diei Paraſceves.
Orb. demum *quarta*, 24 ſesquihoræ.



VI.	VII.	VIII.	IX.	X.	XI.	XII.
12.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.
II.			III.			IV.
11. 12.	13.14.	15. 16.	17. 18.	19.20.	21. 22.	23.24.
9.	10.	11.	12.			

Vide Schema Horol. *Frontiſpicio* hujus *Tom.IV.* præfixum.

OBSERVATIO LXXV.
JO. HENR. BOCRISII,

Philoſ. natural. P.P.
Gymnaſii Svinfurt. Con-Rect.
ut &
Societat. Scient. Pruſſo-Berol.
Reg. Socii,
de

Muſica, Præexercitamento Ebræorum, quibus ad Sapientiam diviniorem ſe præparabant.

§. I.

PLerosque fere Gentilium Philoſophos ſua habuiſſe præexercitamenta, quibus ſe ad ſapientiam facilius conſequendam præparare ſolebant, non eſt, cur quispiam neget, cum monumenta *Hiſtoriæ Philoſophicæ* id ſatis teſtentur. Has exercitationes Græci vocabant *ἀσκήσεις, ἐπωδὰς, ἀγῶνας*, quibus diſcipulos ſuos ad ſapientiam quaſi manu ducebant. Licet igitur nec *Stoicis* aliisque Græcorum, aliarumque Gentium Philoſophis talia media deeſſent, quæ *Marc. Aurelius Antonius* eleganter ἑλληνικὴν ἀγω-

γὴν

γην vocat, *a)* attamen *Pythagoras* reliquis ſectis omnibus palmam praeripiebat, cujus diſciplina pulcherrimis conſtabat praeexercitamentis; uti haec omnia peculiari diſſertatione prolixe adduxit Dn. D. BUDDEUS. *b)* Hinc & de *Ebraeis* idem facile probatu erit.

§. II.

Apud veteres quidem *Ebraeos*, ceu populum DEI maxime dilectum, vigebat donum vaticinandi, & ſtudium excellentiori altiorique quadam ratione divina puro animo tractandi conſiderandique, utpote in quibus ipſis etiam potior pars *Sapientiae* conſiſtebat cum *eruditionis*, quae multum a *Sapientia* differt, *c)* mediorumque, quibus ad eam contenderent, aut nulla aut rara admodum fiat mentio. Hunc in finem etiam Societates quaedam atque Collegia Prophetarum ſeu Doctorum divinioris Sapientiae in Gente Iſraelitica fuere conſtituta, quibus ad Sapientiam influxumque divinum recipiendum praeparabantur, quemadmodum iſtiusmodi Scholis Prophetarum varia loca v. g. *Najoth*

D. 5 in

a) *De ſe ipſo ad ſe ipſum Lib. 1. §. 6.* add. GATAKERUS *Commentar. in h. l.*

b) *De ἀσκήσει Philoſophica*, quae extat *Analect. Hiſtor. Philoſ. p. 409.* conf. SPENERI *Diſſert. Hiſt. de Temperament. §. XII. ſeqq.*

c) Dn. D. BUDDEUS *Theol. moral. c. 1. ſect. II. §. 56. ſeqq.*

in Rama 1. Sam. XIX. 19. 20, *Bethel* II. Reg. II. 3. *Iericho* II. Reg. II. 5. 7. 15. *Gilgal* II. Reg. IV. 38. ut & *Hieroſolyma* II. Reg. XXII. 14. admodum conſpicua fuere, add. 1. Sam. X. 10.

§. III.

In his Scholis *filii prophetarum*, uti diſcipulos appellabant, cum doctores *Patres* dicerentur, *d*) in *lege morali*, *ceremoniali & forenſi* erudiebantur; maxime autem ad pias conſiderationes de *futuro Meſſia* inſtituebantur, quibus dum ſedulo operam dabant, haud raro ſuperveniebat afflatus Spiritus S. ceu qui erat complementum informationis illorum, unde fiebat, ut interdum ex hac θεοπνευςίᾳ Pſalmos & pias Cantiones in laudem DEI ſua ſponte concinnarent & profunderent, ad quæ omnia muſicis ſe præparabant exercitationibus. *e*) Et quamvis non ſemper extraordinarii, & ſublimes motus prophetici, ſed modo ordinarii fructus, mirandi tamen, a Spiritu S. ibidem producerentur; Deus tamen O. M. haud raro prophetas proprie dictos & donis excellentioribus inſtructos inde tanquam ex Seminario deſumſit, & ad gentes miſit, utut hunc ordinem non ubique obſervabat, uti id exemplo *Amoſi* aliorumque patet, qui in iſtiusmodi Collegiis non erant informati. Amoſ. VII, 14. 15.

d) GOODWIN *Moſ. & Aar. Lib. I. c. VI. p.* 54. LEUSDEN *Philol. Ebr. p.* 37.

e) KÖPKEN *Theol. myſtic. c. 1. p. 24. ſeqq.*

§. IV.

Potiores quidem partes hic abſolvebat Spiritus S. qui eſt verus & unicus Doctor Sapientiæ. Interea illud quoque non negandum, Deum in more poſitum habere, gratiæ ſuæ & divinæ ſapientiæ dona ad modulum virium naturalium, rationemque hominis temperamenti & indolis diſpertiri, accommodare, & pro conditione illius augere vel imminuere. Equidem ſi Deus ex abſoluta ſua potentia nobiſcum agere vellet, omnino non ſolum nos omnes convertere, illuminare; & quævis impedimenta, quæ vel ex conſtitutione corporis vel animæ oriuntur, facili negotio diſcutere poſſet. Verum clementiæ divinæ ſemper convenientius viſum eſt, ordinem obſervare, & gratiæ ac inſpirationis dona naturæ & temperamento hominis attemperare, porro & homini ipſi liberum relinquere, ut hæc obſtacula, quæ ex natura ejus provehiunt, aut plane tollat, aut ſaltem infringat, viresque naturales per Spiritum S. illuſtrandas & exaltandas, quantum fieri poteſt, ad recipiendam illius gratiam magis idoneas reddat.

§. V.

Quod autem Spiritus S. gratia & inſpiratio temperamentum hominis aliasque vires adeo non ſubvertat, ut potius iisdem ſeſe accommodet, & juxta illa menſuram Sapientiæ divinioris inſtituat, cum ex aliis rerum monumentis, tum potiſſimum ex diverſitate ſtyli in prophetis & Apo-

ſtolis

ſtolis apprime diſpaleſcit, ubi ex ipſorum genere ſcribendi videre eſt, quali temperamento quisque gavisus fuerit, cui Spiritus S. in inſpiratione ſua modum proponendi accommodarit. Niſi enim id factum eſſet, in omnibus unum idemque eſſet ſcribendi genus. Ita v. g. nihil facilius eſt, quam ex ſtylo *Johannis* Evangeliſtæ probare poſſe, eum temperamento *Sanguineo* præditum fuiſſe, cum ex ipſius ſcriptis, præſertim epiſtolicis ſuave ſcribendi genus, nil niſi mutuum amorem ſpirans, & iſtiusmodi Hominibus proprium, clariſſime elucet, ad quod deinde Spiritus S. in θεοπνευσίᾳ res & verba direxit. *f*)

§. VI.

Hiſce probe conſideratis facile patet, cur Ebræi MUSICA tanquam *præexercitamento ad Sapientiam diviniorem ſe præparare* voluerint. Sicuti enim in naturalibus & humanis non datur occaſio res penitius inveſtigandi, niſi corpore & anima pariter in ſtatum ſanum & tranquillum redactis, *g*) ita id in ediſcenda Sapientia diviniori quoque maximopere neceſſarium eſt, ubi

f) WILHELM CAVE *Antiquit. Apoſtol.* ubi paſſim mores & dona naturalia *Apoſtolorum* annotat, quæ Spiritus S. per gratiam ſuam direxit. vid. *vita Pauli c. VIII. p. 426. & vita Petri c. X. p. 294. ſeqq.*

g) OVIDIUS *Lib. I. Eleg. I.*

ubi ſumma quiete animi & corporis opus eſt, quo dicta Spiritus S. in corde docentis eo commodius audiri queant. Quantum enim abeſt, ut navis felici curſu progredi poſſit, mari procellis ventisque horrido; tantum abeſt, ut ideae animis hominum ſincerae, multo minus divinae imprimi poſſint, tumultuantibus hinc inde affectibus curisque. Cum igitur id munus *Muſices* ſit, ſi nempe rite comparata eſt, ut ſe blanda vi in corpus & propter arctiſſimam unionem etiam in animam diffundat, ſanguinis motus inordinatos ſuavi ratione ſiſtat, eundem grato modo moveat, affectus moleſtos excutiat, ſobrios excitet, imo corpus & animam aegritudine liberet, inque ſtatum rectum redigat, uti id experientia aliorumque infinitis teſtimoniis comprobatur; *b*) omnino non eſt mirandum, cur Ebraei hoc medio, *Muſica* nempe praevia, in ſcholis ſuis praeparare ſe voluerint, & viam quaſi munire ſtuduerint, ut Spiritus S. commodius agere queat, inque animis hominum, remotis hac ratione impedimentis, laetiores divinae Sapientiae fructus procreſcere poſſint.

§. VII

Sicuti enim ex omnibus nihil quicquam inſpira-

b) PFEIFFER *Antiquit. Graec. Lib. II. c. LXIV.* HEIDEGGER *Hiſt. Patriarch. Tom. I. Exercit. VI.* §. 13. *ſeqq.* add. ZEILLERI *Epiſtol.* 87. *p.* 526.

ſpirationi Spiritus S. magis contrarium eſt, quam *melancholia atque triſtitia* ob cauſas præſertim temporales oriunda, quia eſt affectus Deo valde exoſus, ut etiam Judæi dicere ſoleant, *Spiritum S. non reſidere ſuper hominem mæſtum*, maxime cum Diabolus horum hominum triſtibus & perverſis ideis ad ſua opera abutatur; ita tales nubeculæ mentis feliciſſime ope *Muſices* diſpelli poſſunt, ceu cujus ſubſidio craſſus ſanguis diſcutitur, & ad gratum fluxum ac amœnas ideas diſponitur, quas poſtmodum Spiritus S. ad ſuam voluntatem ordinat, illuminat ac dirigit. Hinc cum *Eliſa* quondam animo perturbatus eſſet, & tamen vaticinari juberetur, prius ope *Muſices* animum ſerenum reddidit, eumque motibus inordinatis liberavit. II. Reg. III. 15.

§. VIII.

Immo etiam *Saul*, qui temperamento *melancholico* inſtructus erat, quod ex omni vitæ genere diſpaleſcit, cum melancholiæ & triſtitiæ ſe daret, forte quod *Samuel* juſſu Dei *Davidem* in Regem unxiſſet, accidit, ut hoc ipſo Spiritus S. operationibus obex poneretur, isque ex more iſtiusmodi hominum ſubinde perterreretur, difficilis admodum atque triſtis fieret, variis inſuper pravis atque deſperabundis cogitationibus inquietaretur. Ut igitur animus *Saulis* denuo placaretur, accerſebatur *David*, qui in *arte Muſica* præ reliquis probe erat exercitatus, dum ad hanc cognitionem naturalis aptitudo multum

con-

conferebat, quod erat temperamento *ſanguineo* præditus, ad ſtudia muſica præ ceteris apto & commodo, quæ ipſius indoles expreſſis verbis in Scriptura S. indicari videtur, apertiſſimis indiciis iſtiusmodi temperamenti ibidem adductis. *i*)

§. IX.

Davidi igitur incumbebat, ut per *Muſicam* inordinatos Sanguinis motus ſiſteret, mentem tranquillam redderet, quo deinde per admixtas cantiones pias diabolo, humoribus iſtiusmodi melancholicis abutenti, cogitationesque deſperatas ſuggerenti, obviam procederetur, ipſeque *Saul* ad mentem ſaniorem rediret, diviniori objecto & materia efficaciter tam grata ratione repræſentata. Et ſic explicandum eſſe cenſeo, cum dicitur, Spiritum Dei bonum a Saule diſceſſiſſe, & malum adveniſſe, qui eſſet iterum pellendus. Corporaliter enim ſtatim obſeſſum fuiſſe non dixerim. Porro etiam tali *Muſica* ita mutatus & affectus fuit, ut, cum antea per naturam ab eadem abhorreret, illius ope alius plane fieret homo, & ipſe quoque in iſtiusmodi ſocietatibus ſacris commoraretur; quod aliis adeo

i) vid. 1. Sam. XVI. 12. ubi ita deſcribitur: והוא אדמוני עם יפה עינים וטוב ראי, ex quibus omnino colligitur, apud *Davidem* temperamentum *Sanguineum* prævaluiſſe.

eo admiratione dignum videbatur, ut in proverbium abiret, *num Saul quoque inter prophetas?* Neutiquam interim putandum, acſi ope ſolius *Muſices* Dæmon fugari poſſet, quemadmodum nec illius ſubſidio Spiritus S. accerſitur, quod tamen *R. Maimonides* ſtatuiſſe videtur, *k)* ſed tantum obſtacula nonnulla removentur, quæ in corpore & anima ratione phyſica ſeſe offerunt, & diaboli tentaminibus inſerviunt, quo lux Spiritus S. eo fortius ſe poſtmodum infundere posſit, uti Solis jubar, remotis nubibus, luculentius terrarum orbem aſpicere ſolet.

§. X.

Hæc igitur cauſa erat, cur Ebræi *Muſicam* inter præexercitamenta Sapientiæ retulerint, quemadmodum & eandem ob cauſam *Levitæ*, cum rem divinam facerent, ad affectuum puritatem, ſinceritatem, atque ardorem in rebus ſpiritualibus excitandum exprimendumque *Muſica* uſi ſunt. *l)*. Nec ſane ulla alia erit alleganda cauſa, cur veteres Chriſtiani, piique majores *Muſicam* in Eccleſiam ſuam quoque introduxe-

k). *More nevoch. Lib. II. c. XXXVI.* conferri maxime hic meretur Diſp. Magnifici DN. D. HENRICI PIPPINGII, Theologi in Saxonia ſummi, de *Saule per Muſicam curato*.

l). vid. omnino B. HAFENREFFERI *Commentar. in Templ. Ezech. p. 236.*

duxerint, licet primis temporibus parce admodum muſicis inſtrumentis uſi ſint. *m*) Habebant equidem *Ebræi* adhuc alia præexercitamentorum genera, quæ omnino non ſunt contemnenda, ſed magni facienda. Huc pertinent *preces*, quibus Deum, ceu fontem ſapientiæ, divinam ſapientiam orabant: *Timor Domini, humilitas, & pietas*, ceu quæ eſt initium Sapientiæ, cum Spiritus S. non veniat ad animam impiam: *Temperantia in cibo & potu*, cui ea propter *Daniel* ſe dedit, opiparis Regis eduliis penitus ſpretis, quorum tamen ex voto particeps fieri poterat, & alia. Sed de his jam non eſt agendi locus, licet elegantiſſima alias adduci poſſent. *n*)

§. XI.

Ceterum Gentiles quoque *Muſica*, præexercitamento ad ſapientiam ſuam, quam ſibi finxerunt, uſos fuiſſe, quo homo ad eam capiendam aptior redderetur, luce meridiana clarius eſt. Ut jam nihil dicam, quæ de *Orpheo*, *Amphione* aliiſque narrabant, fingentes, eos tanta ſcientia *Muſices* præditos fuiſſe, ut etiam res inanimatas in obſequium ducere potuerint. *o*) Hæc

m) GOTTFR. ARNOLD *Abbildung der erſten Chriſten Lib. I. p. 161.*

n) VALESIUS *Philoſ. Sacr. p. 203.*

o) D. FABRICIUS *Biblioth. Gr. Lib. I. c. II. c. XX.* PFEIFFER *l. c. p. 434.* FRANC.

enim ut improprie ſunt intelligenda, ita mentem noſtram egregie illuſtrant. Modo adducam, quod *Pythagorici* præ reliquis *Muſicam* eum in finem adhibuerint, quem nós hac vice deſcripſimus. Ita enim clare inquit QUINTILIANUS: *p) Pythagorais moris fuit, cum evigilaſſent, animos ad lyram excitare.* Et JAMBLICHUS inquit: *q) Mane ſurgentes ex ſomno communem utilitatem afferente capitis gravedinis rurſum aliis atque aliis cantilenis pellebant.* Idem faciebant veſperi, cum lectum petituri eſſent, ut priùs mentem ad lyram lenirent, quo, ſi quid turbidiorum fuiſſet cogitationum componerent; ipſique eo melius examen in conſcientia ſuâ de iis inſtituere poſſent, quæ per diem ab iis eſſent peracta. *r)*

§. XII.

Immo quoque credibile eſt, ab *Ebrais* hunc morem per παροζηλίαν ad reliquos ethnicos veniſſe, ut ipſi quoque circa cultum ſuum *Muſica* cantionibusque uterentur. Quemadmodum enim illi fere in omnibus inſtituta *Ebraorum* imitati

PRÆTORIUS *orat. de præſtant. Muſices.*

p) Inſtitut. orat. Lib. IX. c. IV.

q) c. XXV.

r) BOETIUS *de Muſica. Lib. I. c. I.* it. B. SCHEFFERUS *de Philoſ. Italic. p. 167.* QUINTILIANUS *l. c.*

imitati fuerunt, uti id innumeri ſcriptores prolixius diduxerunt; ita hac quoque in re illius Simiæ eſſe voluerunt, ut pene quemvis Deaſtrorum ſuorum peculiaribus cantilenis modisque muſicis colerent; *s*) Sed hac ipſa ſua *Muſica* mentem ſuam adeo non præpararunt, aut ſerenam compoſitamque fecerunt, ut potius ſtrepitu hoc importuno & temerario, inſtigante præſertim diabolo, ad furorem usque ſint emoti, ſicuti id præter alios pulchre demonſtrat STILLINGFLEET. *t*) Tandem a re poſita non eſſet alienum, de ratione *Muſices* ejusque inſtrumentis apud *Ebræos* uſitatis commentari, Sed cum id alii jam pluribus explanare ſint conati *u*) totaque res ad meras conjecturas redeat, inſtrumentis iſtiusmodi pridem deperditis, paginas hiſce complere noluimus, cum nobis ſufficiat, cauſam adduxiſſe, cur Ebræi *Muſicam* præexercitamenti loco in Scholis ſuis adhibuerint.

§. XIII.

Et ſic facile patet, quid de *Muſica Eccleſiaſtica*

s) SCALIGER *conjectur.* in *Varr. pag.* 121. DAVID NERRETER *in addit. ad* Alex. Roſſens *Juden und Heiden-Tempel pag.* 907.

t) *Origin. S. p.* 310.

u) vid. DN. D. FABRICIUS *Bibliograph. antiquar. p.* 372.

ſica in genere ſit cenſendum. Quatenus enim per iſtam finis obtinetur, ut animi hominum melius præparentur, utpote quem hactenus explicuimus, quemque ipſe Deus nunquam improbavit, maxime laudanda & celebranda eſt, licet primum inventorem habeat *Tubalem*, Caini propaginem, *x*) cum plures res ab hominibus minus piis ſint inventæ, quæ tamen, ſi ſana ratione adhibeantur ſuum uſum præſtare, & gloriam Dei augere poſſunt. Simul ac vero hoſce terminos tranſcendere incipit, & ſtrepitu ſuo ad vanitatem ſeculi adornato mentem auditorum magis turbat, quam amice ſedat, tantum abeſt, ut eam quiſpiam approbare poſſit, cui de meliori luto fictus eſt animus, ut potius e pomœriis Chriſtianorum jure exterminandam eſſe ſtatuere cogatur. *y*)

x) DN. D. BUDDEUS *Hiſt. Eccleſ.* V. T. *p.* 153. HEIDEGGER *Hiſt. Patriarch.* Tom. I. *p.* 216.

y) DN. GERBER *unerkannte Sünden* Tom. I. *c.* 81. Ad ipſam tamen artis muſicæ excellentiam, quæ indies illuſtrior redditur, merito reſpiciendum eſt, utpote quæ Muſicam eccleſiaſticam eo magis approbandam ſuadet, quo elegantiori concentu, & ad excitanda pia ſuſpiria compoſito, audientium animos afficere ſolet.

OBSER-

OBSERVATIO LXXVI.

M. JOH. MATTHIÆ HASII,

AUGUSTANI,

exhibens

Solutionem Problematis Algebraici.

PRopoſuerat ſuperioribus annis in DIARIO VIENNENSI A. R. P. *Auguſtinus Thomas a S. Joſepho*, Clericorum regularium pauperum Matris Dei & Scholarum piarum Sacerdos, Collegii Curtiani Hornæ in Auſtria Vice-Rector, ſimul cum aliis bina etiam problemata Algebraica, more ipſi ab aliquot annis uſitato, Quorum ſolutio ab autore edita cum nondum a nobis viſa, placuit noſtram perſpicuam ſimplicemque, quam tum temporis in literis ad eundem A. R. P. principia calculi infiniteſimalis LEIBNITIANI cognoſcere cupientem, prolixius deduxeramus, ſuccincte hic exhibere, cum *Clariſſimus collector Miſcellaneorum horum* locum dare noſtris meditatis in hac ſylloge pro humanitate ſua inſigni voluerit. Erat autem PRIMUM ſtylo autoris conceptum hoc: *Datam re-*

ctam ſecare in 4. partes rationales inæquales, ita ut ſumma quatuor cuborum, manente proportione Ime ad IIam, & IIIæ ad IVam, ſit omnium minima. Clarius autem ita proponi potuiſſet: *Datam rectam ſecare in 4. partes inæquales, quarum data ſit ratio prima ad ſecundam, itemque tertia ad quartam, ita ut ſumma quatuor cuborum ab his partibus factorum ſit omnium minima. Determinare autem inſuper, quomodo hæ rationes aſſumi debeant, ut ipſæ partes evadant rationales.*

Ubi primo obſervavimus, ſi partes exhibendæ fuiſſent tales, ut ſumma cuborum earundem foret abſolute omnium, quæ hoc modo fieri poſſunt, minima, partes ipſas futuras fuiſſe æquales, ut facile oſtendi poteſt. Id vero cum autori non placuerit, qui exercitii cauſâ inæquales requirit, vocentur ſane ratio primæ partis ad ſecundam $= p$ tertiæ ad quartam $= q$ ipſa autem magnitudo vel linea dividenda $= a$. Præterea autem prima pars $= x$ tertia $= y$. Unde erunt quatuor partes x, px, y, qy, quæ ſimul ſumtæ toti ſuo a æquantur. Quoniam vero $x = \frac{a - qy - y}{p+1}$ vel (brevitatis gratia $q+1 = m$ & $p+1 = n$ ſtatuendo) $\frac{a - my}{n}$ poterunt eædem partes ita etiam exprimi

mi $\frac{a-my}{n}$. $\frac{pa-pmy}{n}$. y . qy. Quarum adeo cubi ſi in unam ſummam colligantur, ejusque ſummæ differentialis inventa nihilo æqualis ponatur, vi methodi de maximis & minimis, devenietur ad hanc æquationem

$$\begin{matrix}-a^2m\\-a^2mp^3\end{matrix} = \left.\begin{matrix}m^3\\+m^3p^3\\-n^3\\-n^3q^3\end{matrix}\right\} y^2 \quad \left.\begin{matrix}-2am^2\\-2am^2p^3\end{matrix}\right\} y$$

In qua concinnitatis gratia ſubſtituto r pro p^3+1, & $ſ$ pro q^3+1 exiſtet hæc alia expreſſio:

$$-am^2r = \left.\begin{matrix}m^3r\\-n^3ſ\end{matrix}\right\} y^2 - 2am^2ry$$

Unde tandem invenitur valor ipſius $y = \frac{am^2r - an\sqrt{mnrſ}}{m^3r - n^3ſ}$, cujus ope etiam reperitur $x = \frac{am\sqrt{mnrſ} - an^2ſ}{m^3r - n^3ſ}$. Ex quo apparet problema determinatam ſolutionem habiturum, quocunque tandem modo p & q aſſumantur. Ut vero poſtremæ etiam conditioni proponentis ſatisfiat, & ſolutio in rationalibus obtineatur, æquanda eſt ſaltem quantitas $\sqrt{mnrſ}$ quadrato. Et quoniam priorem valorem ipſius $ſ$ reſtituendo $mſ$ æquivalet $m^4 - 3m^3 + 3m^2$, & ob parem rationem reſtituto ipſius r valore nr eſt $= n^4 - 3n^3 + 3n^2$, ex his autem factori-

 bus

bus quantitas ſub ſigno radicali conſtituta conflatur, non eſt dubium, quin tota ea quantitas quadrato æqualis ſit, æqualibus quadrato exiſtentibus his factoribus. Sique adeo porro formula $m^4 - 3m^3 + 3m^2$ reſolvatur in binos ſuos factores $m^2 - 3m + 3$ & m^2, quorum hic manifeſto quadratus exiſtit, prior autem quadrato $m^2 - 2\varpi m + \varpi^2$ æquari poteſt; invenietur $m = \frac{\varpi^2 - 3}{2\varpi - 3}$ adeoque $q = \frac{\varpi^2 - 2\varpi}{2\varpi - 3}$

Eodemque plane ratiocinio reperietur utique $n = \frac{\omega^2 - 3}{2\omega - 3}$ adeoque $p = \frac{\omega^2 - 2\omega}{2\omega - 3}$. Patebitque adeo ultimo quales p & q eligi debeant, quo problema ſolutionem rationalem accipiat.*

OBSERVATIO LXXVII.

JOHAN. HUBNERI,

Johannei Hamburg. Rectoris,

de

duabus Scholarum peſtibus

Pædantiſmo & Galantiſmo.

DUo ſunt ſcholarum vitia, e diametro ſibi oppoſita, quorum unum vocabulo ſatis uſitato PÆDANTISMUS appella-

* Alterius Problematis ſolutionem inferius hoc ipſo Tomo B. L. inveniet.

pellatur; alterum, quod hactenus fere anonymum fuit, ſi quid ego judicare valeo, analogica ratione GALANTISMUS vocari poteſt. De utroque nonnihil verborum faciam.

Et PÆDANTISMI quidem vocabulum Gallo-Græcum ſuperioris ſeculi inventum eſt: antiquioribus enim temporibus, qui hoc vitio laborabant, *Scholaſtici*, *Græculi*, *Magiſtelli*, vel etiam *Pædagogi* vocari conſueverant. Videatur *Dn. Volckerodti conſultatio octava de fugiendo Pædantiſmi vitio.* Definitionem autem realem primus, quod ego ſciam, ad regulas artis contexuit *Ulricus Huberus*, qui in oratione, quam ante triginta, & quod excurrit, annos in Academia Franequerana habuit, *Pædantiſmum doctrinam faſtu, virtute ficta, ineptoque judicio corruptam eſſe*, cenſuit. Quanquam autem *ſæpe* fit, quæ etiam Huberi querela eſt, ut Pædantiſmi macula adſpergatur viris nihil tale meritis, cum apud ſcurras urbanos, hominesque maligne indoctos omne genus doctrinæ per contemtum Pædantiſmi appellatione traducatur: Dari tamen alios non paucos, quibus, ſi pædantarum nomine male audiant, nulla fiat injuria, ego quidem extra dubitationis aleam poſitum eſſe exiſtimo.

Imo nihil dicam, quod a vero alienum ſit, ſi affirmavero, nullum eſſe mortalium genus, nullam naſcendi ſortem, nullam vivendi conditionem, nullam in republica dignitatem, quæ

hominem ab hujus vitii contagio per ſe tutum præſtare poſſit. La Pedanterie eſt un vice d'eſprit, & non de Profeſſion : & il y a pedans de toutes robes, de toutes conditions, & de touts etats, inquit autor artis cogitandi p. 22.

Inprimis tamen horum monſtrorum largus proventus in clauſtris ſcholarum eſt. Habet enim iſthoc vitium hoc velut proprium, ut illorum mentibus ſe quam libentiſſime inſinuet, quorum apud juventutem Scholaſticam, cui præter obſequii gloriam nihil reliquum eſt, per tot annos dicta pro oraculis, juſſa pro legibus, nutus pro mandatis fuerunt.

Fons hujus mali ſine dubio *Faſtus internus* eſt, ex qua venenata ſcaturigine nihil aliud propullulare poteſt, quam *ſtulta ſui admiratio*, *vana propriæ præſtantiæ oſtentatio*, *indignus aliorum contemtus*, *immodicum contradicendi ſtudium, magiſteriique affectatio prorſus intolerabilis.* Illuſtrari hoc poſſet exemplis innumeris, niſi terminis nimium anguſtis circumſcriptum me eſſe ſentirem. Ex vetuſtis igitur pædantis unicum adducam PALÆMONEM, qui Tiberio & Claudio imperantibus Romæ Grammaticen docuit. Is tanta fuit arrogantia, ut Marcum Catonem, tantum virum! *porcum* appellaret; ſecum autem & natas & morituras literas jactaret. Idem affirmavit, nomen ſuum in Bucolicis non temere poſitum, ſed præſagiente Virgilio, fore ſe quandoque omnium poëtarum judicem. Gloriatus

etiam

etiam eſt; latrones quondam ſibi propter nominis celebritatem parſiſſe, teſte *Suetonio de illuſtr. Grammatic. pag. 837.* Cui ex recentioribus jugendus eſt BELMONTES abbas Cagnolus, qui ſibi perſvaſit, in toto terrarum orbe celebratum nomen ſuum eſſe: ac ſi literatus quiſpiam ipſi advenienti continuo non aſſurrexiſſet, elatus iracundia hiſce hominem verbis accepit: *Itane? Abbas Cagnolus, everſa Aquileja & tantorum carminum autor, tuam potuit notitiam effugere?* referente *Jano Nicio Erythræo in Pynacotheca parte I. p. 22.*

His & ſimilibus furiis agitati, cum ſemper aliquid moliantur Pædantæ, quod non vulgare ſit, fieri plerumque ſolet, ut *ſtudiis inutiliſſimis* operam ſuam addicant. Fecit hoc XENOCRATES, Platonis diſcipulus, qui ut numerum ſyllabarum, quas elementa & literæ alphabeti, varie inter ſe collata componerent, reſciret; maximam vitæ ſuæ partem in copulandis literis & ſyllabis ſubducendis impendiſſe legitur; neque tamen ex eo labore aliud, quam centies millena & ducenta circiter ſyllabarum millia conſecutus eſt. Videatur *Richerii obſtetrix animorum c. 2. p. 22.* Idem fecit ARISTOMACHUS Solenſis, qui in natura muſcarum indaganda, pulicumque ſaltibus metiendis totos ſexaginta annos inſumpſiſſe legitur, teſte eodem *Richerio, loco citato pag. 23.* Neque melius, ut mihi quidem videtur, tempus collocavit

vit JACOBUS HONOLDUS, Logicæ quondam in Gymnaſio Ulmenſi Profeſſor, qui antiquum modorum Syllogiſticorum numerum, 512. modis directis, totidemque indirectis auxit; imo ſi, quem ibi oſtendit, proceſſus inſtituatur, 9216. modos prodituros eſſe, evincit. Vide conſiderationem ejus Syllogiſticam Diſp. 14. quæſt. 10.

Inprimis autem quines fere Pædantæ præ ſe ferre ſolent Inſanum antiquitatis ſtudium. Abſit! ut hac aſſertione illos ſugillare in animum inducerem, qui eruendis antiquitatibus ſive ſacris ſive profanis, præclare vel de eccleſia, vel de republica merentur; quorum ego diligentiam potius maximis laudibus efferendam eſſe exiſtimo: Sed res mihi ſaltim cum illis eſt, qui, quicquid vetuſtum eſt, ad cœlum extollunt; quicquid autem novum eſt, ad orcum relegant; neque tamen hujus ſuffragationis ſuæ aliam rationem reddunt, quam quia hoc novum, illud autem vetuſtum eſt. Ab hoc hominum genere, cur enim non fatear? ego vehementer abhorreo. Sum enim, ut Plinii verba mea faciam, *ex iis, qui miror antiquos, non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio: neque enim quaſi laſſa & effœta natura eſt, ut nihil jam laudabile pariat.* Videatur *Lib. 6. epiſt. 21.* Sed hac de re paulo inferius, mentem meam clarius explicabo. Referam interea, quod WEISIO, Præceptori quondam meo, contingere

gere memini. Videlicet novum ille Diſpoſitionis Rhetoricæ artificium invenerat, quod ejus diſcipuli *antecedens & conſequens* vocare ſolent. Cujus veſtigia, cum nec in Tullio, nec in Fabio ſuo deprehenderet non-nemo, tanta eum inceſſebat indignatio, ut *Artificium Diabolicum* appellare non dubitaret: Sed paulo poſt, cum ex diſputatione Witebergæ habita intellexiſſet, *Weiſianum illud antecedens & conſequens* nihil eſſe aliud, quam *Enthymema Ariſtotelis*: ſtatim mutata ſententia, ne ſcilicet quicquam contemneret, quod antiquum eſſet, vel centum boum mactatione dignum Weiſianum hoc inventum judicabat.

Porro Pædantis hoc quoque ſolenne eſt, ut *Pulchrum eſſe putent, quod obſcurum eſt.* Nempe mirifice ſibi placent, cum nodos Gordios, in autoribus græcis & Romanis paſſim obvios, velut Alexandri gladio diſſecare valent. Vellent igitur omnia eſſe obſcura, ut ſemper haberent, quod interpretari poſſent. Obſervavit hoc jam olim Epictetus; Hinc, *ſi quis*, inquit, *intelligentia & facultate explicandi libros Chryſippi gloriatur, ipſe dic Tibi: Niſi obſcure ſcripſiſſet Chryſippus, nihil haberet ille, quo gloriaretur.* Geminum exemplum nobis ſuppeditat Fabius: Primo enim mentionem facit alicujus magiſtri, qui diſcipulos ſuos increpuerit, ſi quid clare nimis ſimpliciterque poſuiſſent, σκότισον παῖ, inquiens, h. e. *fac ſtylum obſcuriorem puer.* Deinde

aliuṁ

alium adducit ejusdem furfuris præceptorem, qui cum audiiſſet ex diſcipulis ſuis unum, ex ipſius præſcripto involute perplexeque declamantem, *tanto melius*, dixiſſe fertur, *ipſe non intellexi.* Videatur Huberi Oratio p. 84.

Supereſt, ut Pædantarum proprietatibus annumeremus etiam *Mores a vita communi abhorrentes.* Quomodo ſe vultu, veſtitu, inceſſu, totoque corporis habitu deridendos præbeant, pluribus explicare ſuperſedeo: Oſtendam ſaltem exemplis, quomodo in converſatione cum aliis hominibus, plerumque contra judicium inſtitutumque mortalium magna exiſtimationis ſuæ jactura, niti ſoleant. Ita *Alexander Burgius*, referente *Jano Nicio Erythræo*, non poterat Pædagogi ſpeciem effugere, quod obvios in via amicos, ſententia aliqua, aut verbis ex Ciceronis epiſtolis deſumtis, ſalvere jubebat, *Pinac. part. I. pag. 119.* Et ſub ejusmodi pædantico præceptore ſine dubio etiam eloquentiæ tyrocinium depoſuerat ille Maſſilienſium Orator, quem Henricus IV. Galliar. Rex, paulo ante meridiem, cum ipſe ad prandium feſtinaret, admitti juſſerat, ſperans fore, ut quemadmodum moris eſt apud Principes, ea, quæ in mandatis haberet, paucis abſolveret, Cum autem Legatus ſic eſſet exorſus: *Hannibal proficiſcens Carthagine &c.* tum Rex, moræ impatiens, *Hannibal*, inquiebat, *proficiſcens Carthagine, jam pranſus erat; ego vero adhuc pranſurus ſum:* & ſic

cum

cum dicto abiens, oratorem cum ſuis pudore confuſum relinquebat.

Sed miſſo Pædantiſmo, progrediamur ad GALANTISMUM. Novum hoc monſtrum, noſtra ætate natum, a paucis annis ſic invaluit, ut, niſi publicis legibus coërceatur, ſolidam eruditionem prorſus e Germania exterminare poſſe videatur. Operæ pretium me facturum ſpero, ſi originem hujus mali breviter deſcribam. Nempe Patrum noſtrorum memoria, neſcio quo fato, factum eſt, ut novam plane faciem induerit noſtra Germania. Neque enim veſtes tantum, ſed ſaltus etiam atque greſſus ad levitatem Gallorum attemperabantur; imo ne barba quidem priſcam retinebat formam. A corpore paulatim progreſſio facta eſt ad animum. Scholaſticum videbatur, Latine aut Græce doctum eſſe; Pædantiſmum redolebat eloquentia Tulliana; Sophiſticum putabatur, methodo Ariſtotelica verum a falſo diſcernere.

Quid in tanta rerum metamorphoſi facerent Scholarum Doctores? Scilicet poſtquam diu moris antiqui fuiſſent tenaciſſimi; neque tamen aliud effeciſſent, quam ut parentes paſſim liberos ſuos lectionibus publicis ſubtraherent: Satius tandem putabant, temporibus cedere, quam contra ſeculi genium niti. Cum igitur parentes paſſim clamarent: Sie wolten ihre Kinder galant erzogen haben; man ſolte galante Studia mit ihnen treiben, damit ſie ſich bey den

galante

galanten Welt recommandiren können: Non deerant, qui *novam*, eamque *politicam*, & a Pædantismo funditus repurgatam informandi methodum ii magno cum applauſu jactare cœperant.

Et laudem ſane mereri poterat nova iſthæc docendi methodus, ſi modo intra mediocritatis terminos ſe continuiſſet: Quod cum impetrare a ſe haud poſſent, *politiores* illi, ut paſſim vocabantur, *juventutis moderatores*, paulatim radices egit, bonis literis metuendus ille Galantiſmus, cujus proprietates primarias paulo diſtinctius explicare, operæ pretium fore exiſtimo.

In genere autem cordatis omnibus non poteſt non diſplicere *Immoderatum*, quod ubique præ ſe ferunt, *Novitatis Studium*. Sane poterant a pædanticis anteceſſoribus ſuis multis in partibus diſceſſionem facere: neque tamen opus erat, auſu tantum non ſacrilego, quicquid a majoribus prudenter conſtitutum eſſet, e Scholis exturbare. Poterant quidem cum Tacito, annalium lib. 3. cap. 55. exclamare: *Non omnia apud priſcos meliora, ſed noſtra quoque ætas multa laudis & artium poſteris relinquet:* ſed audiendus etiam erat CICERO lib. IV. Quæſt. Academ. ſic eos interrogans: *Nihilne tot ſeculis! ſummis ingeniis! maximis ſtudiis! explicatum putatis?* Mihi hac in parte ſemper placuit ea mediocritas, quam

BARCLAJUS his verbis commendat: *Profana ſuperbiæ putem, ubique negligere avitam prudentiam; & abſurdum reverentiæ genus, quod nos perpetuis illorum inſtitutis velit addicere.* Vid. Argenid. Lib. 3. cap. 12. Qui vel in exceſſu vel in defectu peccant effugere vix poſſunt OWENI cenſuram, quam habet *lib. 3, epigr. 76.*

Stulta hac invidia eſt, cui cuncta recentia ſordent:

Invida ſtultitia eſt, cui nova ſola placent.

Deinde non paucos offendit, quam ſemper crepare ſolent, *Curioſa, & hactenus inuſitata Methodus.* Equidem is ego non ſum, qui ſua laude privare audeam eos, qui novis conſiliis docendi diſcendique moleſtias levare conantur: Sed ea gloria debetur paucis, qui ad hoc quaſi nati videntur, ut quod confuſum eſt in ordinem redigant. Nihil facilius eſt, quam in methodo hactenus recepta turbare circulos: ſed cum inter diſciplinas intercedat connexio, cavendum eſt, ne unius correctio ſit alterius confuſio. Multa conſilia methodica ſpeciem habent in theoria; ſucceſſu autem deſtituuntur in praxi: multa ſic comparata ſunt, ut adhiberi poſſint in ſcholis privatis, non autem in publicis: multa effectum producunt, cum qui dedit conſilium, etiam fert auxilium; labor autem fruſtraneus eſt, duo cum faciunt idem. Bonus ille Rector, cujus mentionem fecit Summe reverendus PIPPINGIUS in de *curioſo novitatis ſtudio diſſertatio-*

ne, novam is commentus fuerat conjugandi methodum. Videlicet cum flectendum eſſet verbum LINGO, apponebat pultem, quam lingendo tyrones ſic procedebant: Incipiens pronunciabat primam perſonam; *ego lingo*; ſequens quærebat ex primo, *tu lingis?* tum tertius reſpondebat, *ille lingit.* Poſt ubi pultem ori admoniſſent, ad unum omnes clamabant, *nos lingimus*: quos præceptor aſtans interrogabat, *vos lingitis?* cui tandem reſpondebant omnes, *illi lingunt.* Dici non poteſt, quam ſibi hactenus placeret novus ille conjugationum reformator. Cum autem eadem methodo conjugare vellet verbum REMIGO, eumque in finem cymbam intraſſet cum pueris, res quidem feliciter ſuccedebat *in ſingulari*; cum autem ad *primam pluralis* perventum eſſet, & omnes remigare vel cymbam potius turbare cœpiſſent, (id enim poſtulabat methodus practica) parum aberat, quin aquis ſuffocaretur Schola hæc natatilis.

Neque in hoc excuſandi ſunt illi, ſic dicti *politiores Informatores*, quod in curriculo ſcholaſtico *latius, quam par eſt, excurrant ad ſtudia politica.* Habet ſtudium prudentiæ civilis diſciplinas ſuas inſtrumentales, quales ſunt, Geographia, Chronologia, Genealogia & Hiſtoria: in his deſudent ſcholarum alumni, quantum velint: quæ altioris ſunt indaginis ad Academias pertinere putent, vel etiam ad aulas. Veniebat nuper ad manus meas Programma Scho-

laſti-

laſticum, in quo multa notabantur virgula cenſoria, in quibus Regum atque Principum Oratores ad Pacem Ryswicenſem ſuo defuiſſent officio; adjecta etiam erant nonnulla de præſenti Europæ ſtatu, ex quibus, quomodo tandem nullo negotio ad pacis conditiones compelli poſſit Rex Galliæ, perſpicere potuiſſent confœderati. Quæ cum legerem, in mentem mihi veniebat illius Philoſophi, de quo *Cicero lib. 2. de Oratore* ita ſcribit: Cum Hannibal, Carthagine expulſus, Epheſum ad Antiochum veniſſet exul, & ad Phormionem audiendum, propterea, quod ejus nomen erat in magna apud omnes gloria, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de Imperatoris officio & de omni re militari. Cum cæteri, qui eum audierant, vehementer eſſent delectati, quærebant ex Hannibale, quidnam ipſe de illo Philoſopho judicaret: Hic Pœnus non optime Græce, ſed tamen libere reſpondiſſe fertur, *multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe, ſed qui magis, quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem.*

Porro haud immerito vapulant hujus genere Informatores, quod ad *excolendam eruditorum vernaculam minorem, quam fas eſt, diligentiam adhibeant.* Equidem non probo faſtidioſam Sannazarii venuſtatem, qui cum de Jeſu Chriſto tres libros oppido luculentos conſcripſerit, ne ſemel quidem Chriſtum aut Jeſum appellavit, offenſus, quod Lanſius putat, parum

latinis vocabulis. Nec mihi placet nimia Petri Bembi curatura, cui, referente eodem Lanſio in conſultatione contra Italiam, religio fuit quicquam ſcribere aut dicere, quod jam a Cicerone ſcriptum aut dictum non eſſet: ſed eo tamen adduci non poſſum, ut credam, parum intereſſe reipublicæ literariæ, ſive in Scholis regnet barbaries, ſive eruditorum vernaculæ ſua conſtet *puritas*, *perſpicuitas*, atque *dignitas*. Neque ut ab hac ſententia diſcedam, movere me poteſt excolendæ vernaculæ neceſſitas, quam inficias ire non audeo. Unius poſitio non ſit alterius excluſio. Excolamus lingam Teutonicam, ut præeſſe queamus officiis in republica politica: ſed abſit, ut negligatur linguæ Romanæ cultura, ut etiam viros præſtare nos valeamus in republica literaria. Non exiguum temporis, ut cum Seneca loquar, ad hæc ſtudia habemus, ſed multum perdimus: Satis longa vita, & ad multarum lingvarum ſcientiam nobis large data eſt, ſi tota bene collocetur.

Supereſt, ut Galantiſmum illum ſcholaſticum etiam propter *nimiam diſciplinæ Scholaſticæ remiſſionem* deteſtemur. Valeant Orbilii plagoſi! Vapulet apud omnem poſteritatem Maximiliani I. præceptor, qui, teſte Cuſpiniano, cum Sophismata inculcare vellet juventutis Principi, ſæpius atrociter eum verberavit, eoque effecit, ut Maximilianus literas magis odio haberet quam diligeret: Sed eorum tamen indulgentiam

am excuſare nullo modo poſſum, qui Scholam habere malunt diſſolutam, quam deſolatam. Duobus fulcris nititur res Scholaſtica, ſcilicet *Doctrina* & *Diſciplina*: Certe qui alterutrum ſua culpa collabi patitur, in ipſam rempublicam, cujus ſeminarium ſchola cenſetur, injurius eſt. Hæc ſunt, quæ de Pædantiſmo atque Galantiſmo, duabus ſcholarum peſtibus, quod utrumque vitium odio plus quam vatiniano proſequor, addere viſum eſt.

OBSERVATIO LXXIIX.

M. CHRISTOPHORI PYLII,

Rectoris Scholae Anclamenſis,

de

Eruditis, de quorum morte falſus rumor.

§. I.

Mortis leges quum ſint iuſtiſſimae, eaeque ineuitabiles, horam tamen eius quam maxime incertam eſſe, & ſaepenumero inſperatam ruere, mens eius non incongrue perpendit, qui in elato funere Treuirenſis Epiſcopi pegmati funebri adſcripſit:

Lex patet, ordo latet mortis, latet ordinis hora:
Quae tamen aeternos ordinat vna dies.

Neque vero maiori ſaepe gaudere certitudine mortis perpeſſae famam, quamuis

mobilitate viget, viresque acquirit eundo,

haud cuiquam obſcurum fore arbitror. Teſtes ſane aduocare poſſum qualescunque vitae meae dies. Quippe quum anno MDCCXII. menſe Februario & ſequentibus, grauiſſimo detinerer morbo, vires corporis tantum non omnes profundante, de nulla alia re certior Sedini pariter & Greifswaldiae, quam de morte mea, vulgabatur fama, quam vero diuina fruſtrabat clementia. Quinimmo, quum hoc ipſo anno MDCCXVI. iisdem, quibus antea, menſibus, funeri Patruelis mei, Stralesundii curato, intereſſem, negotiisque ibidem diſtrictus, poſt menſem demum ad lares meos redirem, interea tamen de me hic Anclamii, alibique etiam, quamuis per omnia incolumi, conſtantiſſime nunciatum fuit, me diem meum obiiſſe ſupremum, cui tamen adhuc, dum ſummo libitum erit Numini, deuotus inuigilo. Anſam dabat id ipſum mihi, ad eruditionis ſacrarium iuuentuti fidei meae demandatae viam praeeunti, cogitandi, id fati non eruditionis tantum amantes manere, ſed vel eruditis nonnunquam contingere, ſi vel inuidia hominum maleuolorum mortem quorundam exoptaret, vel amor tenerrimus timeret, vel incuria & credulitas facile crede-

ret,

ret, vel malitia & fingendi libido mentiretur. Ipſe quoque rerum vſus nonnullos e claſſe eruditionis fama conſpicuorum non prorſus denegabat, quin potius numerum haud exiguum ſuppeditabat, ex quibus quosdam hoc ſchediaſmate decerpere collibuit.

§. 2.

Quod dum ſuſcipere intendo, ad hanc rationem non pertinere arbitror annos., in quibus vltimam vitae lineam ductam ſenſerunt Eruditi, non reuocandam, nec vlterius diducendam, in quibus annotandis *Scriptores humani aliquid paſſi* ſint, errore ipſis quocunque hac in re obiecto: vtpote quando ATHANASIUS TRITHEMIO anno 379. nonnullis vero, nimirum QUIRSFELDIO im Hiſtor. Roſengebüſch *pag.* 457. aliisque, anno 371. mortuus eſſe dicitur, quum tamen mortem eius contigiſſe A.C. 373. 2. Maii maiori iure aſſerat Cl. FABRICIUS *Bibl. Graec. Lib. V. c. II. p.* 297. quando GEORG. MATTH. KöNIGIUS *Bibl. Vet. & Nou.* PAULLUM COMITOLUM anno aetatis 80. ex hac vita exiiſſe narrat, quum Dn. ROLLIUS de *Erud. climact. maxim. denat. pag.* 14. annum 81. probet; vel LUDOUICUM RICHEOMUM octogenarium ſeptem annis ſuperaſſe vult; quum tantum 81. expleuerit annos. ROLLIUS *c. l. p.* 31. & HERMANNO WITEKINDO 79. annos deputat, qui tamen 81. vixit. ROLLIUS *c. l. pag.* 33. Iſte enim rumor (ſi ita appellan-

dus erit) poſt fata demum virorum, quorum obitus recenſetur, percrebuit, quum mihi contra conſtitutum atque definitum ſit, illorum quosdam in publicum producere, qui falſam mortis ſuae famam ſuperuixerunt, ipſique vtplurimum reſciuerunt, ſe in mortuorum habitos fuiſſe numero.

§. 3.

Pari quoque ratione nec ii in cenſum veniunt, quibus vel ſpiritu aliquo fatidico, vel ſecundum leges artis diuinatoriae computato numerorum calculo *mors praedicta*, *quam tamen praedictionem euentus rerum eluſerit.* Quo pertineret INNOCENTIUS XII. de quo iam anno MDCXCVIII. menſe Decembri hic verſus lateribus palatii inſcriptus:

Tempus adeſt mortis: cadet haec triplicata corona,
Decembris Lunae vltima quippe dies.

vid. HISTOR. REMARQ. *an. 1699. p. 11.* ſed anno MDCXCIX. etiam nobilis anglus Londini certo affirmarat, ipſum ante introductionem Iubilaei moriturum, REMARQU. *c. l. p. 388.* cui tamen d. 27. Septembr. an. MDCC. mortem attulerat. REMARQU. *an. MDCC. p. 329.* Quorſum referendus quoque foret LUDOUICUS XIV. Galliarum Rex, quem Catalogo Eruditorum inſeruit Cl. GRUNDMANNUS *Miſcellan. Lipſ. Tom. II. pag. 741.* probans, ipſum elegantiorum litterarum expertem non fuiſſe, quum Iulium Caeſarem ex latina

latina lingua in Gallicam transferre cœperit, cuius verſionis Liber I. Pariſiis in folio prodierit. Huic Regi Aſtrologus non infimi ſubſellii an. MDCXCVII. vid. HANNEMAN. *I. Contin.* der Vertheid. der *Aſtrol. p. 33.* & HISTOR. REMARQU. *an. 1699. p. 388.* alius an. MDCCII. circa Michaëlis feſtum, vid. Eines der Aſtronomie ergenb. Schiffs-Capitains kurtze u. Aſtron. Prophez. von dem in Ital. und Portug. 1702. neu erſchin. Cometen p. 7. alius an. MDCCIII. vid. HANNEMANN. *c. l.* alius MDCCXVI. d. 17. Auguſt. EUROP. FAM. 173. Theil, *pag. 401.* alius an. MDCCXXVI. vid. HISTOR. REMARQUES *Tom. II. pag. 147.* vitae terminum praedixere, ſed omnes falſos fuiſſe anni 1715. primus dies Septembris euicit, quo die Rex ille famigeratiſſimus mundo valedixit. Huc ſpectare quoque cenſerem HENRICUM II. Regem Galliae infelicem, Principem infelicitate ſua nomini Henrici omen quaſi indentem, quum ab eo, qui Henrici nominati, morte violenta periere. HISTOR. REMARQU. *Tom. I. p. 27.* Hunc, inquam, adderem huic claſſi, ſi coniecturae locus relinqueretur, ipſum à litteris remotum non fuiſſe, quum Pater eius FRANCISCUS I. non tantum ob amorem in literas *Pater litterarum* dictus ſit, ſed ipſe quoque artem pangendi carmina calluerit, nec inuenuſtos elaborauerit verſus, Pitzſchmann Staats-wiſſenſchafft *pag. 508.* Huic Regi GAURICUS & CARDANUS, con-

ſultis aſtrorum vorticibus, longe remotum vitae terminum decreuerant, feliciſſimamque & longaeuam ſenectutem, qui tamen in nuptiis ſororis ſuae, aetatis annum agens quadrageſimum, ex vulnere oculari, quod ipſi fractae lanceae feſtuca inflixerat, mortem oppetebat, maximo cum luctu regni ſui ex GASSENDI *Phyſica pag.* 746. Schmid *Thema Chriſti natal. a nonnull. impie & abſurde erect.* C. II. §. 7. quamvis Pitzſchmann *c. l. p.* 512. dicat, vulnus hoc ipſi a Gaurico praedictum. Verum, quum in hiſce cauſis ea praedicta fuere, quae eodem iure fieri non poſſe creduntur, quo aſſeruntur fieri poſſe, nos autem hac vice de iis acturi ſimus, quae de praeſentibus falſo narrata ſunt, in iſtis recenſendis opera facile ſuperſedere poterimus.

§. 4.

In iis itaque, quorum mortem fruſtra crediderunt homines, vtplurimum ſucceſſu temporis ipſi edocti, ſe nimis faciles fuiſſe in edendo aſſenſu ſuo, rei praeter veritatem euulgatae, primus prodeat IOSEPHUS, Iacobo in ſenectute natus, ob pulcritudinem, caſtitatem & ſapientiam in ſacris litteris quam maxime celebratus. Non ex vulgo erat eruditus, ſed ab ipſo Deo inſtructus, id quod ipſe fatetur *Gen. XLI. 16.* Non moror Iudaeorum magiſtros, Ioſephum LXX. linguarum peritum aſſerentes, de quibus DN. SCHüTZ *Appar. bibl. nom. propr. Tom. II. pag.*

944.

944. nec COELIUM RHODIGINUM ex Iuſtino Ioſephum Aegypticis Magis annumerantem, quod improbat idem SCHUZ. *c. l. p. 940.* Potius accedo ſententiae THEOPHILI GALEI, dum in album Philoſophorum ſacrorum conſcribendum eſſe cenſet Ioſephum, a quo Aegyptii, praeſertim Sacerdotes, permultum ſuae Philoſophiae imbiberint; idque probat ex PSALMO *CV. 22.* MELANCHTHONE *Chron. lib. 2.* de Abrah. & nomine Hermetis ſeu Mercurii ipſi competente, conf. Celeb. FABRICII *Codex pſeudepigraphus V. T. p. 760.* & HOPPE *diſput. de Philoſophia Ioſephi*, qui prolixe eius eruditionem demonſtrat, vt videre eſt in NOV. LIT. GERM. *T. IV. pag. 125.* Huius mors, de qua falſus Iacobo Patri adferebatur nuntius, quantis aerumnis non implicabat pectus Iacobi? GEN. *XXXVII. 33. ſ.* laetiſſime extricatum illis tricis, dum per filios reliquos certior factus de vita Ioſephi, quinimmo ipſe oculis ſuis cerneret filium viuum, quem defleuerat mortuum. GEN. *XLVI. 29. ſq.* Iſte vero integris 80. annis poſt hunc ſubleſtae fidei rumorem in Aegypto Regi tantummodo fuerat ſecundus, poſtquam 13. annis cum miſeria & vinculis ibi colluctatus eſſet, tandemque aetate grauis nomo aetatis anno vitam cum morte commutauit, anno mundi 2310. ante C. N. 1661. vid. BUCHHOLZERI. *Ind. Chronol. p. 7.*

§. 5.

Ad Hebraeum adiungatur Graecus ALEXANDER ille MAGNUS, paruus quidem mole corporis, at maiori tamen ſpiritu, maiori animo, quam pro modulo exigui corporis, omnia fortuna, plurima temeritate, nonnulla conſilio perficiens. De quo non inuenuſte VAGEDES *Opp. Academ. p. 334. Alexander M. publicus ille orbis praedo, ſuſo tot millium ſanguine, Magni ſibi ſcripſit titulum, & iniectis Aſiae bellorum flammis gloriam accendit, totque vrbium ſtrage monumentum erexit nomini, vel hoc vno felix, quod poſt domitum orbem hominum quoque linguas domuerit, de quibus etiam poſt funera ſub Magni nomine triumpharet.* Numero Eruditorum hunc eximere non audeo, quamdiu verum manet, ipſum Ariſtoteli plus gratiarum, quam Parenti, ſe debere profeſſum eſſe, quoniam huic natiuitatem ſuam, illi vero vitam & litteris & moribus politam acceptam referret. Qua ex inſtitutione adeo profectum fuiſſe tradunt, vt non tantum Homerum ita deperiret, vt pretioſo inuolucro incluſum, vna cum pugione ceruiculi dormiens ſuppoſuerit, verum etiam ſtudia philoſophica tractarit, vid. PLUTARCHUM *in vita Alexandri fol. m. 585.* & ad Ariſtotelem litteras ſcripſerit, aliaque ſcripta confecerit, de quibus vero, an genuina ſint omnia, dubium quoddam ortum, vid. diſſ. DN. IO. CHRISTIANI BIEL ſub Praeſidio

ſidio Excellentiſſimi DN. IO. BURCH. MENCKENII Lipſiæ habitam, *de viris milit. aeque ac ſcript. illuſtr. p. 13.* Vbi tamen loco p. 415. 416. Bibl. Fabric. Lib. II. ponendum: 419. 420. nam p. 415. ſeq. de epiſtolis quidem ad Alexandrum, non vero Alexandri agitur; & ipſum FABRICIUM ibi citatum *Lib. II. Bibl. Graec. c. 10. pag. 419. 420. Lib. III. c. 3. p. 204. ſqq.* Vnde & meruit ALEXANDER noſter eruditis iuuenibus apponi a SCULTETO **Schaubühne der gelehrt. Jugend** *p. 37. ſq.* qui eruditionem eius omnigenam non ſatis celebrare potuiſſe ſibi videtur. Hic arte & Marte Heros, quum temeraria nonnumquam fiducia fortunam ſuam tentaret, quin in partes ſuas vel reluctantem raperet, multis periculis imperterritus pectus ſuum exponens, & vrbem Oxydracarum obſidione premens, vbi in muro defeſſus, præcipiti ſaltu ſe a muro in vrbem Oxydracarum immiſerat, occaſionem dabat famae extra moenia ad exercitum penetranti Regem cecidiſſe, quem tamen Timaeus aliique viuum adhuc, ſed morti proximum, inuenerant, quo ſtatu etiam ipſi exercitui, dolabris murum perfringenti, oblatus erat. vid. CURT. *lib. IX. de reb. Alex. cap. V.* Septem diebus poſt, dum in curando vulnere decumberet, audiuerat ipſe, dicente CURTIO *lib. IX. cap. VI. conualuiſſe apud barbaros famam mortis ſuae, quam ſpem hoſtium falſo nuntio conceptam inhibuit, dum duobus nauigiis*

giis iunctis ſtatui in medium vndique conſpicuum tabernaculum iuſſit, ex quo ſe oſtenderet periiſſe credentibus. Euulgatus hic rumor forte circa A. M. 3645. ante C. N. 326. ex ſupputatione BUCHOLZERI *in Indic. Chronol. pag. 48.* quum A. M. 3648. ante C. N. 323. ex hac vita demum exceſſerit, poſtquam vixerat an. 32. menſ. 7. aut 8. vid. BUCHOLZERUM *c. l. p. 49. edit. Francof. 1634. in 8vo.*

§. 6.

Premat huius graeci Monarchae veſtigia feliciſſimus romanae eruditionis parens, & fons eloquentiae abundantiſſimus MARCUS TULLIUS CICERO. Huic quum ſors de prouinciis adminiſtrandis coniecta eſſet, obtigerat Cilicia, conſularis prouincia, cum exercitu peditum XII. mil. equitum duum mil. DC. vt ex PLUTARCHO refert FABRICIUS *hiſtor. M. T. Ciceron. per Conſules deſcripta edit. Col. 1570. 8. p. 191.* Hanc ſuam prouinciam nondum attigerat, quamuis in itinere eſſet, quum Romae rumor diuulgaretur de morte eius violenta a Q. Pompeio illata. Ita vero ad eum hac de re ſcribit M. COELIUS RUFUS: *Te ad IX. Cal. Iun. ſubroſtrani, quod illorum capiti ſit, diſſiparant periiſſe, ita, vt in vrbe ac foro toto maximus rumor fuerit, te a Q. Pompeio in itinere occiſum. Ego hoc mendacio, ſi qua pericula tibi impenderent, vt defungeremur, optaui.* vid. CICER. *ep. ad*

ad famil. lib. III. ep. 19. ord. ſiber. ſed *ord. Manut. Lib. VIII. ep. 1.* Annum tum temporis agebat CICERO LVI. ut ait FABRICIUS *c. l. p. 193. init.* qui annus erat ab Vrbe Condita DCCII. ſecundum FABRICIUM *c. l. p. 191.* ante Chriſtum natum LI. ex mente ALMELOVEEN. *in Faſt. Conſul. p. 58.* vel L. ad computum Dn. Hederichs *in Faſt. Conſul. Roman. p. 150.* adeoque octo annis ante mortem Ciceronis fama mortem eius mentita eſt, quae eum tandem A. V. C. DCCX. oppreſſit, VII Iduum Decembris, ſacrilegas manus illi inferente *Popilio Laena*, cuius vitam olim ipſe Cicero defenſione ſua e mortis faucibus eripuerat. Trucidatus eſt in lectica, qua ferebatur, poſtquam vixerat LXIII. annos, menſes XI. dies V. ſiue annos LXIV. minus XXVI. diebus, vid. FABRIC. *M. T. Ciceron. hiſtor. p. 261.*

§. 7.

Excipiat hunc Romanum Romanus, hoc oraculum ſapientiae aliquod inſigne ſtultitiae documentum CLAUDIUS TIBERIUS DRUSUS. Hunc mater quidem vna cum Auguſto Caeſare adeo deſpectui habuerunt, vt illi ſemper in ore fuerit, quem ſocordiae arguere vellet, eum ſtolidiorem filio ſuo dicere. SUETON. *in vita Claudii cap. III.* ipſe tamen, pertinaci ſtudiorum adſiduitate, eo progreſ-

ſus

ſus eſt, vt hiſtoriam, *Liuio* ſuaſore, *Sulpitio Flauo* adiutore ſcripſerit, *de rebus geſtis poſt Caeſaris mortem* duo volumina, de *bellis ciuilibus Romanorum* XLI. reliquerit. De *vita ſua* VIII. volumina, quamuis inepte, tamen non ineleganter ſcripſerit, *Ciceronis defenſionem aduerſus Aſinium Gallum* ſuſceperit, *nouas litteras* 3. commentus, veteribus quaſi maxime neceſſarias addiderit. SUETON. *in vita Claudii c. XLI.* Idem ipſe pariter & *graecas hiſtorias litteris conſignauit. Cyrenaicarum XX. Carthaginienſium VIII.* vid. SUETON. *c. l. cap. XXXIII.* Quae quum ita ſeſe habeant, non poſſumus cauſam perſpicere, cum GAMMERSFELDER eum non appoſuerit claſſi reliquorum Imperatorum, quos recenſuit in oratione de *Caeſar. Rom. qui ſcript. ab ſe edit. immort. ſibi pepar. gloriam, edit.* 1708. Quamuis vero adeo vecors habitus fuerit CLAUDIUS, vt in eius ſubſannationem SENECA ἀποκολοκύνθωσιν ſuam ſcripſerit, DN. FABRIC. *Bibl. Latin. edit.* 1708. *pag.* 361. ea tamen prudentia erat praeditus, vt ſciret beneuolentia atque humanitate animos hominum ſibi poſſe deuinciri. Quo pacto efficiebat, vt quum falſus de morte eius diſſiparetur rumor, parum abfuerit, quin plebs omnes optimates trucidaſſet, qui ipſi in ſuſpicionem caedis venerant. Sed falſa tamen ſpargebatur fama. Qua de re haec habet verba SUETONIUS: *Quare in breui ſpatio tantum amoris fauoris-*

uorisque collegit, vt quum profectum eum Oſtiam periiſſe ex inſidiis nuntiatum eſſet, magna conſternatione populus & militem quaſi proditorem, & ſenatum quaſi parricidam diris exſecrationibus inceſſere non ante deſtiterit, quam vnus atque alter & mox plures, a magiſtratibus in roſtra producti, ſaluum & appropinquare confirmarent. vid. SUETON. *in vit. Claudii cap. XII.* Manauerat haec perobſcura fama ſub initium imperii Claudii, ipſa vero mors venenatis ipſum boletis rapiebat ſexageſimo quarto aetatis, imperii XIV. anno, III. idus Octobris, Aſinio Marcello & Acilio Auiola Coſſ. SUETON. *c. l. c. XLV.* id eſt anno poſt N. C. LIV. ex computatione Clariſſ. HEDERICI *Faſt. Conſul. p. 119.* & ALMELOVEEN *Part. II. Faſt. Conſul. p. 156.*

§. 8.

Venimus iam ad litteratum, quem fatum ſuum vti antea euexit, quum ad ſummum in orbe romano faſtigium per omnes honoris gradus adduxit, ita ſub finem vitae ſuae miſerrime depreſſit, AURELIUM LUCINIUM VALERIANUM. Litteratum hunc nomino, auctoritate quidem OCTAVII DE STRADA A ROSBERG, quum in reliquis, quos poſſideo, vitarum ſcriptoribus, nihil eius inuenire licuerit. Is ipſe in opere *de vitis Imperatorum & Caeſarum Rom. Francof. ad Moen. 1615. in fol.* diuulgato *f. 129.* VALERIANUM nominat *do-*

ſtrina clarum. Sermonem autem de morte eius falſum idem ille *c. l. f. 128.* commemorat: *Obiit captiuus in Perſide & inter Diuos a Senatu relatus adhuc viuus, quum falſo nuntiatum eſſet, eum in Perſia fato defunctum eſſe. Sed miſere iſte habitus in captiuitate, dum Sapori Perſarum Regi equum conſcenſuro incuruatus dorſum praebere ſcabelli loco coactus, tandemque excoriatus dicitur* STRAD. a ROSBERG *c. l.* ARTOPAEI *Comment. in Tabb. Chronol. Schraderi p. 207.* & Pitzſchmann Staats-Wiſſenſchafft, *p. 1387.* quam cutem ad rei memoriam in fano ſuſpenſam eſſe tradit D. G. OLEARIUS Einleitung zur Röm. Hiſtorie *p. 524.* hunc enim auctorem faciunt *Auctores* des Bücher-Saals II. Oefnung *p. 82.* & CL. GRUNDMANNUS *in urnis defunct. litteratorum anno 1715.* MISCELL. LIPS. *Tom. II. p. 756.* quamuis B. IUNCKERUS *in lin. prim. Erudit. Part. II. p. 174.* auctorem venditet Celeb. DN. D. CHRISTIAN FRIEDER. FRANCKENSTEINIUM. Morte quidem VALERIANUS crudeliſſima affectus A. C. CCLXVIII. DN. RINCKIO *de vno numo p. 74.* dicitur. CASSIODORUS vero, quando Valerianum dicit Coſſ. *Tuſco & Baſſo* captum ſeruitute miſerabili conſenuiſſe, eoque ipſo A. V. C. 1011. poſt C. N. 259. denotat, vt computat ALMELOVEEN *c. l. Tom. II. p. 269.* qui tamen *Tom. I. p. 100.* ad A. V. C. MX. Chriſti CCLVIII. *M. Aurelium Memmium Fuſcum & Pomponium Baſſum* nominat, A. V. C.

vero

vero MXI. *Fulnium Aemilianum* & *Pomponium Baſſum. II.* producit, quocum hac parte conſentit, *Tuſcum* vero *Baſſo* adiunctum omnino ignorat Dn. Zederich *Faſt. Conſul. p. 47. 76. 154.* vti & ipſe ALMELOVEEN *Tom. II. p. 41. Baſſo* non alium niſi *Fuſcum* adſociat, ab eo abhorret, & colligere dat, miſerrimum hoc vitae genus Valerianum per 9. annos ſuſtinuiſſe. Si vero ONUPHRII PANVINII *Lib. I. f. 39. de Rom. Princip.* & STRADEA a ROSBERG *t. I. f. 128.* relatio verior, qui eum *Cornelio Seculare II.* & *Iunio Donato* Coſſ. A. C. CCLXI. captum referunt, duo vel tres à miſeria Valeriani detrahendi venirent anni.

§. 9.

Notum in hiſtoria ATHANASII eſt nomen ARSENII: qui lector quondam fuit Athanaſii, teſte RUFFINO *lib. I. c. 17.* Dein Epiſcopus ciuitatis Hypſelitarum & Societatis Meletianae, à Meletio Epiſcopo quodam in Aegypto nomen trahentis, de quo CENTUR. MAGDEB. *Cent. IV. Cap. V. fol. 355. edit. Baſil. 1562.* Hunc *Ariani* fingebant impudentiſſime ab Athanaſio trucidatum, idque vel in Synodo affirmabant; qua de re prolixe videndi CERTURIATORES MAGDEBURGENSES *Cent. IV. fol. 83. fol. 672. ſq. 740. 752. 1097. 1331.* Etſi igitur hi maleuoli homines miſere deplangerent Arſeni-

um, quaſi ab Athanaſio e medio ſublatum, iuberentque eius cadauer exhiberi: figmenta tamen eorum non latuerunt, quando notum erat omnibus, hominem incolumem eſſe, & inter viuos recenſeri, dum Arſenius ipſe viuum & minime interfectum aut mortuum ſe exhiberet. CENT. MAGD. *c. l. fol. 753.*

§. 10.

Offert ſe iam nobis deſideratus, dum viueret, valde, nec umquam ob varias dotes ſatis deſiderandus iudicatus, DESIDERIUS ERASMUS, Roterodamenſis. Quae huc afferri poſſent, vt vtriusque ratio conſtet, melius an reprobandus, an vero laudandus, & quae ipſi acciderint, alibi relata inuenies. Sed vt ad nos ſpectet, facit *auctor* der vernünfftigen Urtheile *Part. I. p. 98.* hunc in modum inquiens: Als einsmahls ein falſches Geſchrey auskam, als wäre Eraſmus geſtorben, ſo fand ſich ein Poete, ſo ein carmen elegiacum verfertiget/darinnen er Eraſmum unter die Heiligen gezehlet. Quod carmen aliud fuerit, neceſſe eſt, ab illo, quod IO. SAPIDO auctore, titulo hoc ſuperbit: *Eraſmus, ſiue Apotheoſis Eraſmi*, heroico genere elaboratum, euulgatum in *Catalogis duobus Operum Deſid. Eraſmi ab illo conſcriptis & digeſtis edit. Baſil. 1537. in 4to p. 96.* & in alio libro, cui titulus: *vita Deſ. Eraſmi Roterod. ex ipſius manu fide-*

fideliter repraeſentata, cui additi epiſtolarum, quae nondum lucem adſpexerunt, libri duo, edita a Paullo Merula Lugd. Bat. 1607. in 4to p. 68. Verum enim vero, quamuis ſuperauerit hunc rumorem ERASMUS, quemadmodum iam olim annulo ſignatorio termini effigiem romani inſculpi iuſſerat, addita epigraphe: *cedo nulli*, prout adducitur in *vita Eraſmi modo citata p.* *** *ij:* tamen morti fuit cedendum, dum d. 12. Iulii anno MDXXXVI. Baſileae arthritide laborans animam efflauit, teſte CLARMUNDO *Vit. Clar. in re litter. virorum* Tom. *I. p. 30.*

§. XI.

Oriatur tandem ſidus illud purioris ſaniorisque doctrinae, MARTINUS LUTHERUS, qui, vt odio Papae impletus erat; ita omnes Pontificis adſeclas ſui odio impleuerat, vt virulentiſſimis mediis mortem ipſius intentarent, minimum impiiſſimis carminibus optarent. Vnde forte euenit, quod fingerent illa, quae maximis votis expetierant, eumque mortuum, antequam moreretur, ſomniarent, & in vulgus ebuccinarent. Annus enim agebatur ab Orbe redemto M. D. XLVI. quum transſumtum litterarum Legati Gallici de horrendo portento, in turpi morte MARTINI LUTHERI edito, in vulgus ſpargeretur, quod integrum *Tomo VIII. Ienenſi* Lutheri inſertum, GRETSERUS teſtatur, & repetitur a Magn. D. MAYERO *in Commen-*

tar. in vitam Lutheri a Selneccero ſcriptam p. 238. ſqq. ARNOLDUS in der Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie *Part. II. fol. 53. ex Tom. IIX. Altenburg. p. 415. ſqq.* fabulam hanc adducit. Breuibus autem ita ſe habet: *Anno MDXLV. atrociſſima ſparſa fuit calumnia in Italia de tragico ipſius* (Lutheri) *obitu. Incidiſſe mentiti ſunt in morbum letiferum, & inualeſcentibus doloribus, accepto benedicto pane & calice, petiiſſe, vt corpus ſuum poſt mortem altari impoſitum adoraretur. Sed quamprimum ſepulcro mandatum fuerit, horribili ſtrepitu praeſentes attonitos fuiſſe redditos, omnesque hoſtiam corporis I. C. quam ipſe indigne acceperit, in aëre ſuſpenſam vidiſſe: ſequenti die horribiliori adhuc ſtrepitu audito, facto concurſu, plures ſepulchrum iterum aperuiſſe, cadauer autem non amplius inueniſſe, & non paucos ſulphureo ſtatore in grauem coniectos fuiſſe morbum.* vid. DANNHAUER. *Memoria Thaumaſiandri Lutheri renouata, Cap. XV. p. 150.* conf. BIERLING *de Iudicio hiſtor. pag. 85.* & IUNCKERI Güld- und ſilberne Ehren-Gedächtniß *Lutheri p. 201.* Adeo falſa fuit haec fabula, vt ipſe LUTHERUS adhuc viuens eam potuerit refellere ſcribens: Ich Martinus Luther Doctor bekenne und zeuge mit dieſer Schrifft, daß ich ſolches zornige Gedichte von meinem Tode empfangen habe am 21. Martii, und faſt gerne und fröhlich geleſen, ausgenommen die Gotteslästerung, da ſolche Lügen der hohen Göttlichen Majeſtät

wird

wird zugeſchrieben. Sonſt thut mirs ſanfft auf der rechten Knieſcheiben, und an der lincken Herſen, daß mir der Teufel und ſeine Schuppen, Papſt und Papiſten, ſo hertzlich feind ſind, GOtt befehle ſie vom Teufel vid. MAYER. *Comment. ad vitam Luther. a Selneccer. ſcriptam pag.* 240. Latinum carmen, quo LUTHERUS deriſit hanc fabellam, quod STIGELIO adſcribit IUN-CKERUS in güld. und ſilb. Ehren-Ged. *Luther. p.* 214. ita ſe habet:

Papa, quid aegroto ſua fata precare Luthero?
Nil melius, viuat, ſeu moriatur, habes.
Is tua, dum viuit, peſtis te affligit, & vrit,
Mors tua nunc certe, quum morietur, erit.
Dura lues peſtis, ſed mors eſt durior illa,
Elige nunc, vtrum, perfide Papa, velis.

vid. DANNHAUER. *c. l. p.* 130. GRETSERUS equidem falſum hunc rumorem Lutherano cuidam adſcripſit, ſed eius calumniam retundit MAYERUS *c. l. p.* 241. Adeo falſa haec fama veram mortem Lutheri per integrum annum anteuertit, qua deceſſit anno MDXLVI. d. XVIII. Febr. *ipſo Concordiae die* ante horam tertiam matutinam, anno aetatis LXIII. vt vult DANN-HAUER *c. l. p.* 134. Ad quae verba haec tantum monenda duxi: in ACTIS ERUDITORUM GERMANICIS *Tom. II. p.* 496. adduci epiſtolam CASP. SAGITTARII, qua ipſe ex

IO. CHRISTFR. SAGITTARIO quaeſiverit, an LUTHERUS die Concordiae vitam finiverit? ad quam reſponſio deſideratur; quae tamen, ſi placet, hauriri poteſt ex B. TENZELII curioſ. Biblioth. Repoſ. III. pag. 241. ſeq. vbi LUTHERUM Concordiae die mortuum eſſe non vlla ratione negatur. Ex quo TENZELIO etiam emendari poterit error GOD. ARNOLDI, quando in Kirchen⸗ und Ketzer⸗Hiſtor. P. II. Lib. XVI. c. 54. §. 57. mortem Lutheri horae 2. pomeridianae adſcribit, quae tertia matutina fuit, quum D. IONAS ſtatim poſt excessum Lutheri id Electori ſignificaret, dans litteras Eißleben, Donnerſtags nach Valentini um 4. Uhr frühe, den 18. Febr. 1546. vid. TENZEL. c. l. p. 242. Ceterum iam anno MDXXXVII. Legatus Pontificis Smalcaldiae LUTHERUM iam defunctum eſſe non dubitauit, eiusque miniſtri ad ſpectandum funus LUTHERI concurrerunt, vid. MAYER. de D. Luth. vot. Deus vos impl. odio Papa p. 8. immo iam anno 1521. blatero quidam mentitus ſe vidiſſe LUTHERI corpus transfoſſum, repertumque in argentifodina ſepultum vid. DN. ANTONIUS de Pathmo Lutheri p. 12.

§. 12.

Perniciosior longe eiusmodi fama fuerat TILEMANNO STELLAE; viro optimo, & rectitudine animi, veraque virtute, & inprimis

primis, doctrinae aſtronomicae & geographicae exquiſita ſcientia inſigni, vt vocatur D. LUC. BACMEISTERO *in Orat. de Simone Paulli* vid. Celeb. DN. D. GOEZII *Elog. Theol. quorundam p.* 38. tempore quo per eam famam iacturam temporis accipiebat deſideratiſſimae. Hic per ſcientiam ſuam mathematicam gratiam Principis IO. ALBERTI I. Ducis Megapolenſis tantam meruerat, vt Princeps non raro noctu *Stellam* noſtrum ad ſe in vehiculum ſuum inuitaret, cumque ipſo aſtrorum poſitus contemplaretur; vid. DN. LOCHNER *Geſchichte des Herzogthums Meklenburg.* C. III. §. 6. Tamen Suerino Wittebergam conceſſerat, cum familia ſua, vt tabulam geographicam, exitus Iſraelitarum ex Aegypto aliaque opera ederet, in quibus conſilia *Philippi Melanchthonis* aliorumque doctiſſimorum virorum & ſculptorum ac Typographorum [illegible] vbi *Bacmeiſterus* an. 1556. eius hoſpitio vſus, vide Dn. D. GOEZII *Elog. Theol. p. 38.* Quumque forte eadem de cauſa, quae ipſum Wittebergam allexerat, in Hollandiam iter feciſſet, nunciabatur continuo diem ſuum obiiſſe. Teſtatur id epitaphium, quod laudatus Stella coniugi ſuae, ex moerore mortuae, in templo Suerinenſi poſuit:

D. O. M. S.

Helenae Rotromundinae, coniugi ſuae dulciſſimae, ad perpetuum integri & ſinceri amoris ho-

norem & memoriam, Tilemannus Stella, Sigenenſis, maritus infelix moerensque pietatis ergo poſuit. Vixit annos 27. m. 9. d. 3. h. 12. obiit anno 1561. 14. Calend. Novembr. hor. 5. matutina, moerore animi conſumta, quod maritum ſuum cariſſimum, quum is honeſta de cauſa in Belgium auocatus ibidem diutius detineretur, mortuum falſo rumore credidiſſet. vid. LOCHNER. *l. c. Cap. IV. §. 16.*

§. 23.

Huc pertinet quoque LUCAS LOSSIUS, *Rector Lycei Luneburgenſis*, vir de literis meritisſimus celebratisſimusque. De eo quippe LUCAS BACMEISTERUS *in Oratione de Luca Loſſio* haec habet: *Epitaphium hoc viuo fecit Georgius Fabricius, quum is anno 66. de eius obitu falſo accepiſſet, quod exſtat in libro Carminum Fabricii, quem triſtium ſiue funebrium inſcripſit, ſub titulo neceſſarii:*

Loſſius in ſtudiis tranſegit tempora vitae,
Luneburga tuae gloria lausque ſcholae;
Dignus erat meliore loco: ſed ad aſtra receptus,
Cumque Deo viuens, nunc meliore loco eſt.

vid. DN. GOEZ. *Elog. Germ. Theolog. pag.* 24. Arguit autem falſitatis hanc famam vita ipſius LOSSII, vtpote quae per tot aerumnas, tot pulueres & ſqualores eo prouecta, vt viribus corpo-

corporis & ingenii deficientibus LOSSIUS rude donatus fuerit, maximo cum honore nominis ſui, tandemque eſſe deſiit d. 8. Iul. A. C. MDLXXXII. aetatis 74. poſtquam quinquaginta annorum toleraſſet labores Scholaſticos: vid. GOEZ. *Elog. Germ. quor. Theolog. Sec. XVI. & XVII. p. 23.* ZEILERUS ponit annum aetatis Loſſii 76. vid. den beſchäfftigten SECRETARIUM *Tom. I. expedit. 3. p. 217.* qui tamen ex BACMEISTERO corrigendus, quum LOSSIUS anno 1508. natus, vid. GOEZ. *c. l. p. 4.* adeoque anno 1582. quo mortuus, 74. tantummodo explevit annos.

OBSERVATIO LXXIX.

D. SIGISMUNDI SCHMIEDERI,

Imper. Acad. Natur. Curioſor. Socii, & Practici Lommazienſis,

de

Equo fictili,

Locum Hipp. L. IV. Epidem. p. m. 1129. Edit. Foëſian. corruptum priſtinae lectioni reſtituens.

Cum haud ita pridem DILHERRI Diſſertationum Academicarum Tomum I. evolverem, interque alia quoque, p. m. 81.

81. in ſequentia inciderem verba: *Quid apud Hippocr. 4 Epid. Hiſt. 20. fol. mihi 217.* κεραμεος ἵππος, EQUUS FICTILIS? *Ita enim eſt in omnibus codicibus, tam editis quam non editis; etiam, quod annotat diligentiſſimus* FOESIUS,(1.) *Regio MSC. Abſurdam ſententiam, ſed quae neminem tamen*

(1.) FOESII annotatio haec eſt: ἀπὸ τȣ͂ κεραμέȣ. Sic legunt fere omnia exemplaria, praeter vnum manuſcriptum Regium, quod κεραμεῖȣ habet. Sonant autem iſta *figulinum* aut *fictilem equum.* Interpretes κεραμικȣ͂ legiſſe videntur, ut *Ceramicum* indicarent. Haec ille. Quid ſibi vero illi, qui ita legunt, ego diuinare non valeo; ſiue enim κεραμεῖȣ ſiue κεραμικȣ͂ legant, perinde eſt, es müſten denn, was die letztere Lection anbetrifft, die vom Foëſio gemeldeten aber ungenannten Interpretes, ein aus denſelbigen Oertern, (wo vormahls des Platonis Schule geſtanden,) zu leimichten fetten Erde woraus Ziegel geſtrichen worden, verfertigtes Pferd, gantz abſurd und lächerlich haben wollen verſtanden haben. Wo ſonſten Ceramicum gelegen, was es geweſen, und wo es den Nahmen her bekommen, können uns SVIDAS, CICERO, ingleichen

tamen interpretum hactenus offendit, parit iſta lectio. Amicus vero quidam noſter mentem Hippocratis, & ſcripturam veterem, vnius literulae mutatione reſtituit. Quam interrogati, candide communicabimus; omnium ſtatim primo, editionem LINDENIANAM, quae *Lugd. Batau.* 1665. Tom. 1. in 8. Maj. prodiit, ac omnes inter pro accuratiſſima ferme habetur, aperiebam, cum ibidem locum hunc forte an emendatum me deprehenſurum crederem, ſed irrito ſucceſſu. Quare parum iam aberat, quin beato ſuccenſerem viro, quod rem tam inutilem reticuerit, maculamque hanc, dubio ſine a primi ſcribae reliquorumque vel negligentia, vel ignorantia auctori noſtro adſperſam, non deterſerit. Diligenter igitur & antecedentia textus perlegebam, atque conſequentia, firmiterque ſperabam, forte non adeo difficile fore, vt, praecipue cum DILHERRUS, vnius literulae immutatione priſtinam veramque Hippocratis mentem erui poſſe dicat, errorem deprehendam; verum enim ve-

ro,

von denen neuern IACOBUS SPONIUS in ſeiner gelehrten Reiſe-Beſchreibung lehren, welcher P. II. p. m. 37. ſaget, daß der Ort noch anietzo Ceramicum, oder terra ceramaea genennet werde, weil man daſelbſt aus denen fetten oliven-Feldern Erdziegel ſtreichen

ro, vano iterum ſucceſſu, cum impedimenta quaedam, inopinato quae interveniebant, debitam mihi turbarent abriperentque attentionem ac meditationem; quo facto, rei pertaeſus, librum abiiciebam, inque poſterum diem laborem hunc differebam. Altera autem vice, locum hunc inſpecturus, illud Foëſianae Editionis exemplar, quo celeberrimus medicus atque Criticus, THOMAS REINESIUS, olim vſus eſt, (2.) ſimul in vſum vocabam, vbi primo ſtatim intuitu, loci noſtri correctionem breuiter ad marginem notatam, non ſine voluptate longiorisque perſcrutationis leuatione, inueniebam. Quo autem Lectori beneuolo, de hoc errore eiusque emendatione felici eo melius conſtet, integrum afferre locum fortaſſis non inutile fuerit, qui ita ſe habet: *ὁ ἀπὸ κεραμέως ἵππου καταπεσὼν, ᾧ δὲ προσεβλήθη αὐτίκα σικύα, ἐνεκαύθη οὖν. καὶ κ', ἐπαλιγγυνόμενον, αἱμοῤῥαγοῦν καὶ τρυγώδες, καὶ ἐσθιόμενον.* i. e. *qui ex fictili equo decidit, cui nec illico admota eſt cucurbitula, intus uſtus eſt,* (3.) *ac vigeſimo malum recruduit, cum* ſan-

(2.) Editio haec multis eruditis ac criticis notis manuſcriptis, textusque emendationibus hinc inde referta conſpicitur.

(3.) *ἐνεκαύθη οὖν, intus uſtus eſt.* Veteres, quando remedia nihil proficiebant, ad uſtionem, tanquam ad ſacram anchoram

ſanguinis profluvio foeculenta & erodentia prodiërant. Haec verba novam non conſtituere hiſto-riam,

vltimum confugiebant, quod clare ſatis patet, ex *Aph. Hipp. 6. Sect. 8.* vbi ita ſcriptum legimus: ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται, ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται: ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα. Vſtio autem, pro rei neceſſitate hic exigente, nunc ferramento vſtorio, nunc fungo accenſo, nunc fuſo buxeo, oleo fervente tincto, vti ex Hippocr. hinc & inde liquet, perficiebatur. Quo in loco autem uſtus fuit Moſchus, ex verbo ἔσω aliquo modo apparet. Apud ſacros equidem ac profanos auctores, aduerbium ἔσω communiter cuiusdam rei interiora ſ. partes internas, das inwendige denotat; heic vero loci eundem in modum particulam hanc non exponendam eſſe clarum eſt, niſi quis, intellecta loci noſtri emendatione, ridicule ſtatuere velit, der Moſchus wäre vom Ofen herunter und in denſelben hinein gefallen, allwo er ſo hefftig vom Feuer verbrand worden. Verum, abſint nugae! ἔσω, nihil aliud heic denotat, quam mediam abſceſſus partem, vbi vſtio ipſi applicata fuit, er iſt mitten auf den Schaden gebrennet worden, vel ſi prior ſententia placeret, man hat ihn mitten in

riam, ſed ad proxime antecedentem adhuc pertinere, vbi *Moſchum* grauiter decumbentem atque abſceſſu doloroſo iuxta aurem dextram enato, laborantem, diuus deſcribit Senex, nemini, debita cum attentione ea legenti, obſcurum eſſe poterit, licet primo intuitu, ob notas interiectas, a prioribus verbis diuulſa, nouamque hiſtoriam incipere videantur. Quid vero heic per *equum fictilem* intelligendum, nullo plane modo exquiri poteſt? Quis enim tantus ille fictilis equus? vbi in Hiſtoria antiqua eius mentio iniicitur, e quo homo cadens, adeo grauiter affligi queat? Certe, quemcunque etiam tibi concipias equum, ſenſus tamen abſurdus manet atque ridiculus. Forte dicunt nonnulli: per equum hunc fictilem intelligitur equus argillaceus

den Schaden hinein biß auf den fundum des abſceſſus gebrennet. Ne autem interpretatio mea particulae ἔσω gratia prolata videatur, ex *Ariſtotel. de mund.* monendum eſt, apud eundem τὸ ἔσω in eadem occurrere ſignificatione, vbi enim de mari mediterraneo loquitur, iſtud per ἔσω exprimit, vocando iſtud τὴν ἔσω θάλασσαν, non, quod interiores terrae partes, ſed medium locum inter Europam, Aſiam & Africam occupet, weil es mitten zwiſchen denen drey en Theilen der alten Welt gelegen, und zu ſehen iſt.

laceus *deſultorius*, quo epitheto iam vti liceat, ein töpfernes Voltigir-Pferd, von welchen der arme Moſchus im Schwunge jähling einen ſo gefährlichen Fall gethan, ſed riſum teneatis amici! Es müſte denn etwan ein dem ungeheuren Trojaniſchen, oder dem ſeinen Poſſeſſoribus unglücklichen Sejaniſchen gleiches Pferd geweſen ſeyn, verum, abſint ioci incompoſiti! alia & verior lectio atque interpretatio quaerenda, quae etiam, unica, vt ſupra monitum fuit, literula mutata, ſtatim e tenebris, hactenus ipſi obfuſis, prodit, fictumque ac fictilem equum tollit, atque diffringit, nouaque alia metamorphoſi, in *furnum figulinum*, transmutat, mutando nempe vltimum π, τȣ̃ ἵππȣ in ν, & ʽ, in ʼ, quo facto, prodit ἴπνȣ. ὁ ἰπνος enim vel ἰπνὸς idem eſt ac *furnus* ein Ofen, ut ita verba: ὁ ἀπὸ τȣ̃ κεραμέȣ ἴπνȣ καταπεσὼν, nunc vertenda veniant; *qui a furno* (4.) *figulino delapſus*, welcher, da er von einen töpfernen, vel potius, eines Töpfers-Ofen gefallen war. Sic plana eſt Hippocratis mens, verba cohaerent, ſanumque admittunt ſenſum.

Tom. IV. Obſ. LXXIX. & LXXX.

 OB-

(4.) Quare ibi deſederit aeger, vel, num ab aliis eo delatus fuerit, ſcrutari iam non licet, nec etiam refert. Fortaſſis Moſchus ille fuit figulus, vel figuli cuiusdam operarius.

OBSERVATIO LXXX.
EIUSDEM,
de
Vera herbae Verbenae denominatione Germanica, qua Eiſenkraut appellatur.

ALiam adhuc, perbrevem tamen, obſervatiunculam, Germanicae denominationis originem herbae VERBENAE evolventem, adiiciam. Quid *verbena* ſit, explicare non opus eſt, aniculae herbam hanc ad ſuperſtitionem usque habent cognitam, quidue alibi per *verbenas* intelligatur, itidem in praeſenti non ſcrutabor, cum olim jam *Seruius*, *Taubmannus*, & *Cerda* ſuis in commentariis in Virgilii Poëmata, *Martinusque* in *Lexic. Philol.* ut & *Joh. Bodaeus a Stapelen*, *L. 6. Hiſt. Plant. c. 4. p. m. 616.* §. 1. aliique plures, abunde iamiam id praeſtiterint. Vocatur autem noſtra verbena a Germanis Eiſenkraut, quod ferrum vulgo multo durius denſiusque ea reddi queat, ſed perperam, cum opinio-

opinionem hanc quotidiana refellat experientia. Aliunde ergo haec denominatio erit petenda, & quidem admodum probabiliter ab ISIDE, cui olim conſecrata fuit, unde etiam quibusdam *ſacra* audit *herba*, quamquam nonnulli eam ideo dictam exiſtiment, quod magicis uſibus deſtinata fuerit. Vocatur itaque verbena Germanice Eiſenkraut, quaſi dicatur *herba Iſidis*, der *Iſis* Kraut, unde etiam à quibusdam, praeſertim ex Saxon. infer. oriundis, ſcribitur Yſenkraut, vel rectius, Iſenkraut, qua ſententia quoque Dominum *Philippum van Zeſen*, ut ex infra dicendis conſtabit, imbutum obſeruaui. Suſpicionem huius denominationis non parum vulgi adiuuat traditio, dubio ſine Ethniciſmo ſuos debens natales, dum herba haec mirum in modum partum promouere creditur, unde etiam parturientium potiunculam, vulgo das Kreißwaſſer ingreditur, interque reliquas, primas tenet, cum tamen nil minus quam partum facilitet, eiusmodique virtutis nihil in ſe contineat. Accedit, quod etiam apud prudentiores Medicos atque Botanicos, ſtultae hominum opinioni non indulgentes,

de ſimili huius plantae vel partum iuuandi, vel dolores ad eum neceſſarios excitandi virtute, nihil occurrat. Ethniciſmo autem, ut iam monitum fuit, ſtultam hanc plebis aliorumque opinionem originem debere primam, non adeo improbabile videtur, cum ISIDEM etiam ab Ægyptiis, pro *dea parturientibus opem ferente* fuiſſe cultam, apud Antiquitatum ſcriptores legamus, **ſie ſey vor eine Göttin der Geburth, derer Gebährenden und Kreißenden verehret worden.** Vnde etiam nomen *Latonae*, *Luciferae*, *Lucinae*, quod eius opera foetus in lucem prodeat, poſtea accepit. Quapropter Catullus:

> *Tu LUCINA dolentibus*
> *JUNO dicta puerperis &c.*

Cum itaque ISIS, multis nominibus gaudens, (*) *pro parturientium dea* habita

(*) Permultis nominibus ipſam fuiſſe inſignitam, rerum antiquarum peritis notum eſt. Imo μυριώνυμα dicta fuit, ut ex Inſcriptione inferius adducenda patebit. Ve-

ta fuerit, quid quaeſo credere vetat, herbas ipſi ſacras, ſimili partum pellendi, facilitandique virtute veteres crediſſe donatas. Quomodo vero noſtras ad terras ſuperſtitioſa haec peruenerit opinio, nemo miretur. Iſis enim noſtra quoque in Germania, aliisque totius Imperii Romani locis, cultu diuino affecta fuit, vt *Tacitus* libr. de *mor. German.* ſcribit: *Pars Sueuorum & Iſidi ſacrificat. Philipp. van Zeſen* in denen Anmerckungen zur Aſſenat, *Auentinus*, aliique teſtantur, quorum ille Auguſtae Vindelicorum Iſidem cultam olim fuiſſe commemorat, dicens: Daß ſonderlich zu Augsburg der Iſis Götzendienſt im Schwange gegangen, bezeuget neben andern Merckzeichen der Kien-Apfel oder die Zwiebel-Nuß in dem Wappen dieſer Stadt, dieweil der

 Pinus,

de vero tot nomina non tam Iſidis, quam etiam aliorum deorum dearumque ortum duxerint, Ariſtoteles in *libr. de mundo* nos edocet, dicens: εἷς δὲ ὢν πολυώνυμος ἐστι, κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν ἅπερ αὐτὸς νεοχμῆ.

Pinus, Fichten-Baum der groſſen Mutter der Götter, das iſt, der *Iſis*, heilig war. Ja, dergleichen Anzeigungen des Iſiſchen Götzen-Dienſtes findet man auch anderwärts, ſo wohl in Nieder- als Hoch-Teutſch-Lande. Eißleben hat ihren Nahmen zweiffelsfrey von dieſer Iſis; ſo auch das Eiſen-Kraut, *Iſidis Herba.* Hic vero, *Auentinus* nempe, in ſuis *Annalibus Boicis L. II.* Inſcriptionem, qua, ibidem etiam Iſidem adoratam fuiſſe, edocemur, affert, hunc in modum ſa habentem:

ISIDI.
MYRIONYMAE.
SACRUM.
FESINUS. T. IULI.
SUTURNINI. G. P. P.
SERRARI. POSUIT.
FORTUNATUS.
EIUSDEM. SER. T. S.
FACIUNDUM.
CURAVIT.

Aliam Inſcriptionem Iſidis, in Germania infer. aliquando repertam, laudatus *Phil.* von

von Zeſen p. m. 374. vbi etiam Auentini extat, adducit, ita fluentem:

ISIDI. SACRUM.
SEX. POMPEIUS. SEX. L. SYRUS.
MIL. LEG. V. AUG. V. S. L. M.

Ex his aliisque monumentis teſtimoniisque, ſatis patere arbitror, quomodo per traditionem propagata, atque ad nos Chriſtianos peruenerit ſupra memorata ſuperſtitio, cuius certe prudentiores (qui ſaepius, vt ipſe aliquoties audiui, vim quandam plane diuinam & coeleſtem partum educendi ipſi ineſſe ſancte affirmant, licet euidentisſime opinionis origo & vanitas, ipſis demonſtretur,) puderet. Verum, citius Herculi extorſeris clauam, quam ſuperſtitioſam ſententiam, menti ſemel firmiter impreſſam, eorum animis exemeris, quod certe dolendum. Viuimus iam in ſeculo, vbi doctrina coeleſti omnes imbuti ſumus vbi & illa, quae vera ſunt, & quae falſa, ficta & vana, clarisſime demonſtrantur; nihilo tamen ſecius autem, tam turpes, nefarios, putidasque deprehendimus quotidie ſuperſtitiones, vt haud

raro ethnicis adhuc ſint turpiores. Hi enim ſemper rationem quaerebant, (licet ſaepiſſime fallaciam cauſae ut cauſae committerent,) deque *modo operandi* ſoliciti erant; noſtri vero homines id non agunt, ſed in omnis generis vanas, futiles, abſurdas, deteſtandasque ſuperſtitiones, absque nulla prius adhibita ratione & vera perſcrutatione, coeco ſtatim impetu, vt ab aliis accipiunt, ruunt, easue amplectuntur, venerantur que, quod certe prudentum non eſt hominum.

OBSERVATIO LXXXI.

VAL. HERMANNI THRYLLITII,

Medici Ciuitatis Geithayn. Ord.

de

Aelianorum,

Quorum monumenta ſuperſunt, aetatibus.

AElianorum celebre quondam Romanis nomen erat. Laudantur eo conſpicui ſane complures, quorum bonam ſyl-

uam

tiam apud *Dn. D. Ioh. Alb. Fabricium* Biblioth. Gr. L. IV. P. I. c. 21. legas. Addas eis licet CN. PAPIRIUM AELIANUM, Traiani Legatum, ex *I. Gruteri* Inſcript. CCXXVII. 3. quem *Caſp. Barthium* Aduerſar. L. CLVI. qui eſt in ineditis, cap. 1. vt in Claudium transformaret, multum aliquando, ſed fruſtra forſan, laboraſſe deprehendi. Ingenio autem valuerunt etiam ex iis multi non parum. Eius rei quorundam teſtimonia ſuperſunt: *Hiſtoria Animalium*; *Hiſtoria varia*; *Epiſtolae*; *Tactica*; *Fragmenta* quibus addas ex deperditis.

Cum ſed haec omnia literarum monumenta vulgus eruditorum fere vni ſoli tribuere conſueuerit Aeliano: Alii ex aduerſo rectius vindicarint pluribus aetate diuerſis; poſteriores tamen certent adhuc inter ſe; Eam in rem mihi quae videantur eſſe vero ſimillima nunc referre conſtitui.

Quodque ad *Hiſtoriae Animalium* Autorem; vixit hic, quantum ex eius L. II. c. 2. colligas, aetate Germanici. Id autem ante me obſeruauit Autor Libri, *Hiſtoire Critique de la Republique des lettres*. P. I. p. 174. Neque vero is Claudius ille Aelianus ciuis Romanus, Praeneſte in Italia natus; Aetate inferior hic enim; & iuxta *Suidam* poſt Hadriani tempora demum Rhetoricam profeſſus eſt; & dignitate conſpicuus Pontificis, *Suida* autore; & Sophiſtae praeterea, quod ex *Suida* patet

iterum, & *Philoſtrato*, auctus fuit nomine: cum Autor Hiſtoriae Animalium locupletibus accedere noluerit, aut ex eorum numero cenſeri; multo honeſtiore loco & maiore, ſi vnquam hoc appetiuiſſet, confiſus ſe futurum dignitate, quam erat. Vid. Hiſt. Anim. Epil. Adde quod Autor Hiſtoriae Animalium vltro ſe fateatur fuiſſe Alexandriae L. XI. c. ult. cum alter Sophiſta, quem genere adeo Romanum *Philoſtratus* nominat, iuxta eundem *Philoſtratum* de ſe affirmauerit ipſe, quod nunquam mare conſcenderit, neque mare nouerit, neque vsquam profectus ſit vltra fines *Italiae*; atque pluris ideo Romanis habitus ſit, ὡς τιμῶν τὰ ἔθη. Videtur alioquin *idem Autor Hiſt. Anim.* ſcripſiſſe Librum περὶ προνοίας, *Suida Euſtathioque* ad *Homerum* & *Dionyſium Periegetem* Aeliani nomine memoratum: *Idemque* alterius περὶ θείων ἐνεργειῶν, *Suida* quoque paſſim adducti eodem nomine; niſi idem ille περὶ προνοίας fuerit Liber. Epicuraeos enim uero tangit aeque Hiſt. Anim. VII. 44. & alibi huiusdem Autor Aelianus. Opus autem περὶ θείων ἐνεργειῶν Epicuraeos paſſim feriebat, vnde illud reſpicitur, ab *Iſ. Caſaubono* ad *Athenaeum*, vbi *Aelianus* memoratur *de doctrina Epicuri*.

Varia Hiſtoria Aelianica, Claudium Aelianum Pontificem & Sophiſtam Praeneſte in Italia natum iuxta *Suidam*, genere Romanum

iuxta

iuxta *Philoſtratum*, & quod ipſe innuit, Var. Hiſt. L. II. 38. XIV. c. 45. ceterum cognomi-natum Meligloſſum vel Meliphthongum, vti autor eſt *Suidas*, haud dubie habet Autorem. Huius vita eſt apud Philoſtratum; qui eum non minus eleganter Graece locutum teſtatur, quam vel mediterranei loquantur Athenienſes. Oblato autem Sophiſtae titulo Aelianum hunc de ſe nullam, ait idem, cœpiſſe fiduciam; quin potius,cum ſuas ipſe vires trutinaſſet, easque declamatoriae palaeſtrae impares iudicaſſet, ad condenda & relinquenda ſui ingenii monumenta ipſum ſe contuliſſe, & admirationem inde conſecutum eſſe. Aelianum vixiſſe hunc ſub Elegabalo,vel ptimis annis Alexandri Seueri, Imperatorum, ſcripſiſſeque, contendit *Iac. Perizonius.* Verum fruſtra. Si enim poſt Adriani tempora Romae Rhetoricam profeſſus eſt, iuxta *Suidam*; ſi Pauſaniae fuit auditor ſecundum Philoſtratum; & Pauſaniae aetate imperium geſſit Adrianus, ut ipſe quidem refert Pauſanias L. I. Vita hic Pauſanias licet adeo Antonini Aurelii annum imperii decimum quartum attigerit, quae circa tempora nimirum Eliaca priora affirmat ſe ſcripſiſſe, quando annum ducenteſimum decimum ſeptimum poſt Coloniam deductam Corinthum, quam videlicet C. I. Caeſar vltimo vitae ſuae anno, reſtaurauit, nominat: Ad Elegabali imperium perue-

nire

nire non potuit Aelianus. Hunc etenim Philoſtratus ait ſexageſimum aetatis annum exceſſiſſe parum; illum, puta Pauſaniam, idem refert Philoſtratus admodum quidem ſenem vita functum; Sed collatis etiam annis Adriani ad Antonini decimum quartum vsque, apparet hoc ipſo Pauſaniam iamdum in ſumma ſenectute conſtitutum fuiſſe. Et reputato vero Aelianum poſt Adriani tempora Romae eſſe profeſſum Rhetorica ſecundum *Suidam*, indeque temporibus Adriani eum videri Pauſaniae fuiſſe diſcipulum vel paulo poſt; computato etiam vitæ Adriani termino fatali cum ſpatio dein annorum circiter LVIII. videlicet ab anno XIV. Antonini usque ad primum Alex. Seueri intercedentium forte; nec enim eam *Ioh. Vignolii Philippique a Turre* recentisſimam de primo Alex. Seueri Imp. imperii anno nunc fecero meam controuerſiam: palam eſt, Aelianum noſtrum nec ad Alex. Seueri aetatem adſpiraſſe, adeoque in accuſatione τȣ̃ Γύννιδος nec Elegabalum, ſed Domitianum omnino, notaſſe; nec eum eſſe Athenaeum ſubinde ſecutum in ſuis Hiſtoriis: ſed vel vnum eundemque ipſi & Athenaeo fuiſſe fontem, vel hunc potius Aelianum eſſe ſecutum. Conſtat autem *Athenaeum* ſcripſiſſe poſt mortem Oppiani ex L. I. dipnoſ. vbi *Oppianum* ὡς ὀλίγῳ πρὸ αὐτȣ̃ γενόμενον in iis, qui Halieutica compoſuerunt, nominat. Et Oppianus vero Sept. Seuero

Seuero, vel potius huius filio Ant. Caracallae, ſuperſtite tamen adhuc Seuero, in ludis ſecularibus A. C. CCIV. obtulit Halieutica ſua, atque non ita multo poſt anno aetatis triceſimo peſte exſtinctus eſt ante Elagabali imperium. Patet ceterum inde praeterea Philoſtrati Lemnii aetas, qui Aelianum reprehendit coram, cum Gynnidis accuſationem in manibus habentem offenderet; & *Iac. Perizonium*, cuius manes & eruditionem ſumme ceteroquin veneror, hic dormitaſſe.

Epiſtolarum, quae ſuperſunt Aeliani nomine Autor videtur idem eſſe Aelianus Sophiſta, qui Variam reliquit nobis Hiſtoriam.

Tacticorum Autor patria Graecus fuit, quod ipſe innuit in praefatione, & Graecae rei militaris inprimis, Romanae non ita peritus fuit, quod ex eadem diſcas. Cum Nerua Imp. cumque *Frontino* Formiis de hoc argumento ſermones ſe contuliſſe ſcribit eodem loco. Diuerſus tamen a reliquis, vt puto, Aelianis quos nouimus coaeuis; cum de nullo horum conſtet, qui Graecus fuerit, vt Græcam rectius noſſe potuerit rem militarem, quam Romanam. Claudii praenomen male additum eſſe in *Scriuerii* & *Arcerii* editionibus, quod in manuſcriptis & prioribus abeſt editionibus plures iam animaduerterunt.

Multa autem Celeberrimi *Ioh. Alb. Fabricii* Libro ſupra citato hic omnino me debere, vltro

tro libensque ſateor, & grata mente agnoſco, & vt ipſum adeat potiſſimum, quisquis plura hanc in rem volet, merito ſuadeo. Diſſenſio tamen a *Iac. Perizonio*, quem ibi ſequitur Excellentiſſimus Vir, nonnullas quas confer, ſi libet, ob cauſas; iuſtas puto: inprimis vbi Cl. Aelianum Praeneſtinum Sophiſtam ſub Imp. Elegabalo & primis annis Alex. Seueri ad ſcribendum ſe contuliſſe ait; eundemque Variae pariter ac Animalium Hiſtoriae Autorem prodit.

Tantum eſt de cetero hanc in rem. Nunc ad vos, Lectores, reliquum relinquitur. Si verum dixero; ſi placuero; neque odio fuero: bene eſt. *Valete!*

OBSERVATIO LXXXII.

GOTTFR. CHRIST. BENCKERI,

Paſtoris Mülroſæ Meſomarchicæ,

de

Intellectu puro.

Σύνοψις.

§. I. *Doctrina de intellectu humano noſtra ætate maxime exculta, & ratio inſtituti.*

§. II.

§. II. Intellectus puri deductio operoſior. §. III. Intellectus impuri fons & ſpurius & genuinus, isque primarius. §. IV. Conſectaria ex §. 3. & cœteri fontes ſecundarii. §. V. Effectus intellectus impuri. §. VI. Cautelæ circa intellectum purum. §. VII. Impedimenta intellectum purum acquirendi. §. VIII. Simul ac vero etiam media.

§. I.

MAgno utique ſtudio, multisque vigiliis doctrina de intellectu humano a recentioribus rerum logicarum ſcriptoribus, THOMASIO, BUDDEO, TITIO, CLERICO, LOKIOque hactenus tradita eſt, præprimis ex quo Poiretus ſuam de animæ facultatibus ſententiam in ſcenam produxit: At enim vero tam præclarum hoc argumentum eſt, ut una id ipſum ætas exhaurire nequeat, hinc multa adhuc poſteritati reſtant momenta, quæ alii velut in tranſitu tantum tetigerunt, plenius accuratiusque evolvenda. Non producam hac vice multa hujus aſſerti documenta, ſufficiat unicum, a multis neglectum, quod agit de Intellectu puro, in cujus naturam, & quanto ipſius defectu non minus triſti, quam neglectu admo-

admodum vituperabili mortales laborent, brevibus præſenti occaſione inquiram. Faxit Sanctiſſimum Numen, ut ex hoc qualicunque quoque labore quidam redundent fructus.

§. II.

Pro certo exploratoque & ceu alibi evictum pono, mentem noſtram duabus gaudere facultatibus primariis, Intellectu nimirum & Voluntate, easque facultates diverſas minime eſſe ſubſtantias, ut Autor quidam celeberrimus putat, verum unius ſubſtantiæ ſpiritualis diverſas *δυνάμεις*; intellectum vero, qui præcipue hic in cenſum venit, eſſe facultatem mentis cognoſcendi, cognitaque percipiendi & dijudicandi ac de iis ratiocinandi. Hoc fundamenti loco præmittendum erat, quo facto, ad rem ipſam progredior. Ergo obſervandum: Intellectum, ſpiritualis ſubſtantiæ facultatem, pro ſua natura ſpirituali non poſſe non ex intimo ſui ipſius niſu motuque ferri ad perceptionem dijudicationemque rerum ſpiritualium. Ea enim rerum omnium, & ſpiritualium & corporearum ratio eſt, ut eæ ipſæ, quæ unius ſunt naturæ, intima quaque ſui ipſius & efficaci afficiantur *σχέσει*. Rerum corporearum claſſem quod attinet, non opus eſt, ut multis diſquiram, qualis res fere omnes nexus, isque occultior penetret, cum ratio inſtituti hoc non poſtulet. Adi interim eos, qui de ſignatura rerum ſcripſerunt, atque exempla hu-

jus

jus rei ex acu magnetica & pulvere ſympathetico cape. Et eadem nunc quoque ratio rerum ſpiritualium eſt; patet hoc ſtatim ex eo, quod mens noſtra, res ſpiritualis, nulla re corporea, tanquam objecto finito, exſatiari queat, ſed pro intimo ſuo niſu in objecta infinita eaque ſpiritualia & ſuæ naturæ conformia tendat. Ex quo ſtatim ſequitur, intellectum tum demum ſuo rite defungi officio, quando pro natura ſua ſpirituali circa rerum ſpiritualium meditationem, perceptionem, dijudicationemque occupatus eſt, & hæc circa has res occupatio, ad easque elevatio, dicitur intellectus purus.

§. III.

At enim vero, fac, hæc extra controverſiam poſita eſſe, alia tamen hujus rei facies exoritur, quando animadvertimus, mentem noſtram in conjunctione corporis, atque hac ratione certis quibusdam repagulis corporeis circumſeptam, vivere. Incluſa mens corpori ſedet, arctiſſimoque ideo rebus corporeis nexu adſtringitur; quæ quidem objectio quibusdam tanti videtur roboris, ut omnem exinde intellectus puritatem plane negent. Sed reſpondeo *a)* equidem ſuboriuntur quædam intellectus puri impedimenta ex corporis cum mente conjunctione; interim tamen non tot atq; tanta, quanta quidem multi putant. Qui enim aſſerunt intellectum plane nihil, niſi per imagines corporeas, ſibi

Tom. IV. Obſ. LXXXI. LXXXII. & LXXXIII.

concipere poſſe, confundunt intellectum cum imaginatione, omneque ejus diſcrimen, licet non aperto marte, per cuniculos tamen ſubruunt. Conjunctio enim hæc corporis cum mente non eo usque extendenda eſt, ac ſi vis propterea omnis intellectui exſpiraret citra imagines corporeas res ſpirituales pure contemplandi. Ceſſat quidem hodie mens rarius a rerum corporearum occupationibus, ſed inquirendum ſimul, num rarior hæc ceſſatio a ſola mentis cum corpore conjunctione, an vero ex alio ſimul fonte ſuam ducat originem. Et hic quidem *b*) exiſtimo, præcipuum intellectus puri defectum in corruptione noſtra, per lapſum Protoplaſtorum menti noſtræ contracta, quærendum eſſe. Equidem conjuncta erat mens Adami cum corpore ante lapſum, non tamen tanta, ut nos, & ille poſt lapſum, laborabant difficultate pure intelligendi. Centrum enim lapſus, Adami noſtræque corruptionis in maxima totius animæ a Deo, qui eſt Spiritus, averſione &, intima ad rerum corporearum amorem pravum, ut ita dicam, adverſione ponendum eſt. Ideo etiam ſequitur, mentem ipſam pro ſuo nunc ſtatu corrupto magis in rerum corporearum, quam ſpiritualium contemplationem amoremque ferri, voluntatemque perverſo rerum corporearum amore captum non permittere, ut intellectus propter ſuum in Intellectum imperium puris rerum ſpiritualium notionibus recte imbuatur.

§. IV.

§. IV.

Hic vero fons primarius intellectus impuri duo gignit maximi momenti conſectaria: *a*) non plane impoſſibile eſſe, magnam etiam in hac vita intellectus puritatem acquirere, licet mens corpore iuncta maneat. *b*) Medium emendandi intellectum ad puritatem ſuam non in ſolo Algebræ ſtudioque mathematico eſſe quærendum, ſed præcipue in intima mentis totius ad Deum converſione. Dum vero corruptionem mentis ex labe originali fontem dico primarium intellectus impuri, non omittendi ſunt rivuli, qui ex hoc quidem fonte propullulant, magnum inſuper huic malo augmentum ſuperaddentes. Ex quibus prava educatio primo loco nominanda eſt, per quam mens juvenilis tenerrima ad res corporeas ita allicitur, ut nunquam aſſveſiat, citra imagines corporeas quicquam pure concipiendi; præmia enim & pœnæ ex rerum corporearum claſſe ſolum ducuntur, hinc non mirum eſt, ut & voluntas majori ſemper amore rerum corporearum dulcedineque capiatur, & intellectui ferme omnis pure intelligendi vis plane exſpiret. Accedit informatio præpoſtera eorum, qui, poſthabita intellectus cultura, memoriæ tantum imaginationisque ſtudio manum admovent. Succedunt denique, & priores cauſas corruptionis fœcundant, imitatio & conſvetudo aliorum, apud

quos ſæpius, licet ſortis etiam ſuperioris ſint, ne quidem ſcintillula intellectus puri eſt.

§. V.

A fonte ad effectus intellectus impuri, licet admodum triſtes, progredior. At paucis multa dicam. Ex intellectus puri defectu omnes notiones erroneæ, falſæ, atque ſpuriæ de rebus ſpiritualibus, totoque cultu divino, qui eſt cultus Spiritualis, oriuntur, cum tali ratione intellectus parum ſollicitus ſit rem ſuo æſtimare pretio, ſed ad ductum voluntatis perverſæ, rerum corporearum dulcedine captæ, conceptus ſibi formet perverſos, cujus amori deinde ſta[illegible]ditque in judiciis ſuis de maximi etiam momenti rebus. Cupimus exempla? adſunt quampluríma.

Ipſas primo quod attinet notiones de Deo, nonne ex hoc errore plurimi mortalium putant, eum nonniſi per imaginem corpoream concipiendum eſſe, nec concipi poſſe? Neque deſunt, qui erroris quoque hujus, *Deum non niſi imagine corporea* concipi poſſe, præſidium quoddam in voce *perſona*, qua venerandæ Trinitatis myſterium longe diſtinctius exprimere ſolemus, inveniſſe ſibi videntur, aſſerentes, ad primum ſtatim vocis *perſona* auditum ſuboriri ideam corpoream. Sed caute hic procedendum eſt, ne vel in *Socinianorum*, divinas perſonas plane inficiantium, vel *Reformatorum*, diſtinctioni earundem

rum dem *reali*,(licet *non eſſentiale ſit*,) adverſantium, devia prolabamur. Fac, non deeſſe permultos, quorum mens hac in parte ad ideam puriorem flecti conſveta videtur, ſit tamen hoc tantummodo apud illos, & quidem rarius, quorum intellectus ſublimioribus ideis aſſvevit, apud cæteros vero, plebejos nimirum & eruditos ſimul permultos, altum hac de re eſt ſilentium, cum vix voces intellectus puri cognitas perſpectasque habeant.

Quid dicam de precibus, in Spiritu fundendis? idem & hoc loco ſe exſerit effectus. Primo Deus ſub ſchemate corporeo adoratur, quod ex antea dictis ſequitur: deinde majori homines ſtudio, majorique cura pro rebus corporalibus, quam ſpiritualibus apud Deum orant, cum intellectus impurus ex hoc fundamento illis majus, quam his, pretium ſtatuat.

Vitam ſi ſpectemus æternam, certum eſt, itidem ex Puri intellectus defectu tot perverſas de ea notiones provenire. Plerique enim mortales, cum fruitionem Dei ex puritate intellectus præcipue derivandam ignorent, nonniſi corporeis carnalibusque ideis indulgent, quotiescunque de vita æterna cogitant.

Ipſum converſionis opus non minus ex hoc fundamento ſua nanciſcitur incommoda quammaxima. Longe enim majori cura atque vigiliis homines in rebus corporeis extra ſeipſos citra ullum tædium occupantur, quam ut unius horu-

læ ſpatium intra ſe ipſos maneant, ac per ſeriam ſui ipſius attentionem, rerumque iſtarum, quæ huc ſpectant, meditationem emendare mentem incipiant. Cauſam ſi quæris? ſtatim in promtu eſt. Eſt res ſpiritualis, quæ mentem a rebus caducis, quæ ſunt corporeæ, avocat, & ad ſpiritualia, æternaque ducit.

En! quam fœcunda multorum, & quidem tantorum, errorum mater exiſtit intellectus puri defectus.

§. VI.

Ut autem juſtum huic etiam rei pretium ſtatuatur, obſervandum, duo hic evitanda eſſe præcipitia, quæ mentem circa hanc materiam in ſua facile devia deducere poſſunt, quorum dextrorſum tendit alterum, alterum ſiniſtrorſum.

a) Dextrorſum iſti tendunt, qui hoc loco in exceſſu peccant, ſtudioſi nimirum vitæ contemplativæ quidam, qui myſticorum nomine nobis veniunt. Inter hos ſane bene multi intellectus puritatem ultra, quam par eſt, extendunt, & Angelum potius, quam hominem, hac in re conſiderant. At enim vero, recogitandum hic, animam in conjunctione corporis vivere, & quidem in ea adhuc morari vita, in qua continuum ipſi commercium cum rebus corporeis intercedit, ejusque hinc ἰσαγγελίαν, etiam quoad intellectus puritatem, denique in altera vita eſſe expectandam.

b) Sini-

b) Siniſtrorſum iſti flectunt, qui quidem in defectu peccant, & dum corporeis tantum ideis aſſvefacti ſunt, intellectus puri uſum, uſusque reſtitutionem, maxime neceſſarium cane pejus atque angue fugiunt, eumque plane negant. Non producam hac vice hujus rei teſtimonia, quorum alias multa producere poſſem. Media hic inſiſtendum eſt via; ſtudendum eſt intellectus puritati, ſed ita, ut præſentis vitæ non immemores ſtudeamus.

§. VII.

Ita vero in ejus ſtudio procedendum: removenda ſunt impedimenta, quæ huic ſtudio remoram injiciunt, nec minus media adhibenda, quibus progreſſus in eo feliciores tentari queunt.

Impedimentum affert:

a) Præjudicium, ac ſi parum neceſſe ſit, multum huic ſtudio temporis tribuere, cum res ſit admodum ſublimis, ad abſtractiones mentales theoreticas unice tantum compoſita. Sed contrarium evincit defectus purarum notionum de Deo, precibus, vita æterna, converſione & toto cultu divino, ex intellectus impuritate unice derivandus. Quantum itaque damnum rebus etiam practicis ita non affert hujus ſtudii neglectus?

b) Præjudicium, ac ſi parum poſſibile ſit, quosdam in hoc ſtudio progreſſus facere, ejus-

quæ quædam ſpecimina dare. Verum enim vero contrarium & hic evincit, ipſius intellectus natura, qui pro intimo ſuo niſu in ſpiritualia fertur.

§. VIII.

Media, huic ſtudio inſervientia, commonſtrari poſſent plurima, niſi brevitati ſtuderemus. Sunto itaque unico eique primario momento incluſa ſequentia: Medium palmarium hic eſt ſerius totius mentis ad Deum, qui eſt Spiritus, per veram pœnitentiam (μετάνοιαν) regreſſus. Non enim aſſequimur intellectus puritatem, niſi in puriſſimi intellectus divini ſimilitudinem, quantum licet, migremus. Hinc gentilium decantata ἐπιστροφὴ εἰς ἑαυτὸν καὶ κάθαρσις, ſtylo Chriſtiano intellectæ, maximum hic quoque faciunt momentum. Ante Converſionem & regreſſum hunc impurus intellectus omnis; hinc divina colluſtrandus luce, ut ad primævam ſuam puritatem perveniat. Quo ſerius propiusque itaque ad Deum regredimur, eo purior intellectus exiſtit. Converſionem vero intelligo totalem per intellectus & voluntatis conjunctionem; cum enim pleraque impedimenta intellectus puri ex voluntate, dulcedine rerum corporearum capta, ſimul proveniant, non mirandum, ſi nihil iſte, etiam hac in re, proficiat, qui voluntatis emendationem negligit. Sed ſumma hic mentis ſinceritate opus eſt, niſi fruſtra operam navare velis. Alii, ſecus hic facientes, parum

rum audiendi ſunt, ſed intra ſe ipſum manendum, donec ipſa experientia interna edocti ſciamus, rem noſtram non infeliciter nos egiſſe. Comparandæ invicem ſubinde atque conferendæ incomprehenſibilis infiniti intellectus divini puritas, & ſumma proprii intellectus impuritas miſeraque facies, & ex hac collatione novum atque efficax quidem huic ſtudio calcar addendum eſt. Elevanda mens ſimul iteratis vicibus ad æterna, atque cœteras res ſpirituales, cum aſſiduo precum ſtudio. Et ita brevi non minima ex his omnibus incrementa capiet Intellectus Purus.

OBSERVATIO LXXXIII.

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI,

Seminarii Iſenacenſis Inſpectoris,

Quatuor mendas ex primo Horatianarum odarum libro tollens.

PRæſentem principis Lyricorum illuſtrandi occaſionem oblatam mihi fateor eſſe a viro quodam doctiſſimo, qui Diſſertatione

 Criti-

Criticae, nuper (*a*) edita, HORATIO lucem inferre conatus eſt, ac profecto compluribus locis intulit liquidiſſimam. Inter hæc

I.

Ad Odam undetrigeſimam (*b*) delatus, ſubtilius, quam verius, ex Epicuri Schola mentem poetæ declarare mihi videbatur. Mirabar adhæc, eum contendere, Horatio, ſi *recurſum* aquæ ſignificare voluiſſet, vtendum fuiſſe vocula *retro*: quam ſane hic ſuperuacuam fore perſpiciebam, quippe *relabendi* verbo iam contentam. Euoluendum itaque duxi ipſum Horatium, ſi forte tota ſermonis ſeries ſententiam redderet faciliorem. At ſtatim deprehendi, iam pridem hunc Horatii locum mihi mendoſum viſum, & hunc in modum correctum fuiſſe, vt pro *montibus* reſcripſerim *fontibus*. Quam coniecturam criticam, denuo ſub examen reuocatam, cum firmam ſatis cognoſcerem, dignam iudicaui, quam publico conſpectui exponerem, ſuis comitatam ſiue firmamentis ſiue ornamentis.

Scilicet Horatio prodigii ſimile videtur, quod Iccius quidam abiectis libris, quibus antea dediti ſſimus fuerat, arma caperet, ſeque militiæ daret. Id poëtæ tantam ciet admirationem, vt, id accidiſſe videns, quod fieri nunquam poſſe putarat,

(*a*) *Dans Hiſtoire Critique de la Rep. des lettres* T. XI. (*b*) l. c. p. 158.

tarat, exclamet, ſe iam credere, *fluuios retro currere poſſe ad fontes ſuos.* Eſt iſta loquendi ratio poëtis valde familiaris tali in caſu: proferamque geminum locum, vnum itemque alterum, forte ſuccurrentem.

Luculentiſſimus locus eſt in OVIDII *Triſtibus,* quem integrum recito ex *libri primi elegia VII.* cuius hoc ipſum eſt exordium ad amicum præter omnem ſpem perfidum:

In caput alta ſuum labentur ab æquore retro
Flumina, conuerſis ſolque recurret equis.
Terra feret ſtellas, cœlum findetur aratro:
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas,
Omnia naturæ præpoſtera legibus ibunt,
Parsque ſuum mundi nulla tenebit iter.
Omnia iam fient, fieri quæ poſſe negabam,
Et nihil eſt, de quo non ſit habenda fides.

Pari modo PROPERTIUS, fieri poſſe, vt amare neſcio quam deſiſtat, poëtica figura negaturus, *lib. II. eleg. 12. v. 31.* ſcribit:

Terra prius falſo partu deludet arantes,
Et citius nigros ſol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus & ſicco gurgite piſcis erit;
Quam poſſim noſtros alio transferre calores:
Huius ero viuus, mortuus huius ero.

Idem

Idem *lib. III. eleg. 17.* feminarum libidinem modi neſciam inſectans:

Neſcitis, inquit, *capta mentis habere modum.*
Flamma per incenſas citius ſedetur ariſtas,
Fluminaque ad fontis ſint reditura caput;
Quam poſſit veſtros quisquam reprehendere curſus,
Et rapida ſtimulos frangere nequitiæ.

Iam nullum eſt mihi dubium, quin Horatius loco ſupra indicato ſic ſcripſerit:

— — *Quis neget arduis*
Pronos relabi poſſe riuos
Fontibus, & Tiberim reuerti?

Illud adhuc moneri oportet, *relabi fontibus* dictum eſſe pro *relabi ad fontes*, Græciſmo non infrequenti in poëtarum libris. Solus iam VIRGILIUS exempla nobis ſufficito. *It clamor cælo*, id eſt, *ad cælum*, inquit is *Æneid. V. 451*; *penitus terræ* (pro *in terram*) *defigitur arbos*, *Georg.* II. 290; *dona præcipitare pelago*, pro *in mare*, *Æneid. II. 36*; *molem educere cælo*, pro *in cælum vsque*, *186*; *illabitur vrbi*, *240*; *multos demittimus orco*; *398*; *auo* (id eſt, *ad auum*) *puerum Aſtyanacta trahebat*, *457*; *lateri capulo tenus abdidit enſem*, *553*; *Cælo* (id eſt, *ad cælum*) *palmas cum voce tetendit*, *688*; *cælo* (pro *usque in cælum*) *capita alta ferentes*, *Æneid. III. 678.* *Fluuii* igitur, inquit

inquit Horatius, *relabentur proni ad arduos fontes ſuos:* vbi facile ſimul intelligitur, duas illas voces, *pronus* & *arduus*, adhiberi propter curſum in ſuperiora loca remetiendum.

II.

Oda XXXII. ita lyram ſuam affatur lepidus poeta;

O decus Phœbi, & dapibus ſupremi
Grata teſtudo Iouis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque ſalue
Rite vocanti.

Τὸ *cunque ſalue* valeat, quippe ne Latinum quidem. Quare ne dubites, corruptum eſſe hunc locum, quem ego quidem ita reformo: *mihi nunc reſolue*, o mea lyra. Græca videlicet loquendi conſuetudine τὸ *reſolue* ponitur ſenſu paſſiuo vel reciproco pro *reſolue te*, vel *reſoluaris quæſo*: cuius Græciſmi prope innumerabilia exempla collegit VECHNERUS *lib. I. Hellenolexiæ cap. 6.* Cæterum *vox* poſt ſilentium *ſolui* ac *reſolui* dicitur, cum loqui incipimus. OVIDIUS *Triſt. III. 11. 20.*

Soluat & in mores ora diſerta meos.

Illud lectori arbitrandum relinquo, an etiam pro *vocanti* ſcribi oporteat *vacanti*. Mihi quidem hoc non ineptum videtur.

III.

III.

Oda XXXV: hunc in modum deſcribitur infidum amicorum vulgus:

> — — *Diffugiunt cadis*
> *Cum fece ſiccatis amici,*
> *Ferre iugum pariter doloſi.*

Quid ſibi *doloſi* velint hoc loco, nullus equidem video. Reſcribo *peroſi*. *Peroſus* actiuo ſenſu idem eſt, quod *auerſans*. OVIDIUS *e Ponto IV*. 4. 24:

> *Quos ego, cum loca ſim veſtra peroſus, amo.*

LIVIUS *III*. 34: *Plebs conſulum nomen peroſa*. CURTIUS *V*. 12. 10: *Solitudinem peroſus*. Idem τὸ *exoſus* ita vſurpat. *Beſſi* (inquit V. 13. 9.) *parricidium exoſi* (id eſt, auerſati & abominati) *transfugerant*. Et *VIII*. 7. 12: *Patrios mores exoſus es*.

Porro poëtica auxeſi HORATIUS dixit: *ferre pariter* (id eſt, vna) *iugum peroſi*, pro *ferre vna iugum detrectantes*. Rurſus hic Græciſmus latet, vberrime illuſtratus a VECHNERO *lib. I. c.* 21. vnde vel hæc exempla repetam in lectoris mei gratiam: *Dedignatus teneri; aſpernatus rogari; indocilis pauperiem pati; indoctus iugum ferre;* quod poſtremum HORATIUS noſter habet *lib. II. Oda 6, v. 2.*

IV.

IV.

Oda XXXVII. hæc leguntur:

Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis auitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus & imperio parabat.

Dementes ruinas, qui voluerit, interpretetur, per me licet. Ego quidem eas non expono, ſed intrepide pro *dementes* repono *demens &*, atque ita jam lego: *dum Capitolio regina demens & ruinas, funus & imperio, parabat.* Scilicet in ſoluto ſermone dixiſſet Horatius ita: *regina demens & ruinas Capitolio & funus imperio parabat*; ſed metri cauſa τὸ & ordinaria ſua ſede mouere coactus eſt: id quod nemo, qui poëtarum lectioni adſuetus eſt, mirabitur.

OBSERVATIO LXXXIV.

M. GEORG. CHRIST. WAGNERI, CYGNEI,

ſiſtens

Hiſtoriam de morte magni PANIS, apud Plutarchum de Oraculorum defectu, ſub examen revocatam.

§. I.

Quo in loco noſtris temporibus habeatur ſtudium criticum, quantaque diligentia

gentia ex omni genere hiſtoriarum fabulas exterminare, & veluti certatim convellere ſoleant præclara ingenia, notius eſt, quam quod imprææſentiarum pluribus exponatur. Nec eſt, cur tempora tua, L. B. longiori exordio moremur, quod ſufficiat dixiſſe, nos imitatos æmulatosque eos viros, qui hactenus cum laude in id genus argumentis elaborandis verſati ſunt, ſicque ſuſcepiſſe *examen iſtius hiſtoriæ*, vel potius *fabulæ*, a PLUTARCHO relatæ, ut non primi equidem eam falſitatis coarguerimus, cum jam alii, infra commodius allegandi auctores, in fabularum numero eam habuerint; ſed tamen nos meliori ordine additisque inſuper argumentis nondum ab aliis adhibitis tractaverimus, ubi cæteri confuſius quandoque, & numero magis, quam pondere argumentorum decertarunt.

§. II.

Sicque ad rem devenientes ex Plutarchi in fronte allegato Dialogo hiſtoriola de MORTE MAGNI PANIS repetenda eſt, ita tamen, ut eam, præſentis anguſtiæ ratione habita, in compendio adducamus: Scilicet „*Epitherſes*, quem „auctor grammaticæ doctorem, civemque ſuum vocat, in Italiam aliquando navigaturus, „navim multis vectoribus mercibusque onuſtam conſcendit. Sub veſperam autem vigilantibus pleriſque vectorum, cum ad Echin-

„das eſſent, ventus poſuit, naviſque incerto
„curſu ad inſulam *Paxos* delata. Tum ſubito
„exinde vox audita, *Thamum* quendam, Ægy-
„ptium gubernatorem, nominatim ciens, qui
„etiam bis aut ter vocatus reſpondit demum, ac-
„clamantisque juſſum, excepit: *Ubi ad Palodes*
„*veneris, annuncia, magnum Pana eſſe mortuum.*
„Omnibus ex voce perterritis, & quid facien-
„dum ſit, dubitantibus, ſtatuit Thamus, ſi mala-
„cia exiſteret ad eum locum, mandatum ſe ex-
„ſecuturum. Poſtquam etiam inibi eventus re-
„ſpondebat propoſito, e puppi verſus terram
„proſpiciens Thamus vocem ſibi injunctam enun-
„tiavit, cui a littore magnus gemitus multorum
„admiratione mixtus reſpondit. Rei poſtmo-
„dum fama per vectores Romæ undique vulgata
„ad aures quoque *Tiberii Imp.* pervenit, qui &
„rem a Thamo accerſito curioſius exploratam
„credidit non modo, ſed & diligentius de *mor-*
„*te magni iſtius Panis* inquiſivit, Philologique,
„quos habebat ſecum, conjecerunt, eum eſſe, qui
„*Mercurio & Penelope natus* fuerit.

§. III.

Ut autem ordine circa rei ita narratæ examen procedamus, negotium nobis erit initio cum ſolo PLUTARCHO, ita ut videamus, quibus argumentis tueatur ſuam fidem, & adducamus breviter, quibus ea labefactari poſſe videatur; Deinde ut nos audiamus, qui inter Chriſtianos nar-

narratiunculam illam in opinionis præconceptæ confirmationem pertrahere conſueverunt. Nititur autem omnis hiſtorica fides teſtibus, qui vel ipſi rem viderunt, vel a primis iis acceperunt, vel aliunde fide non indigni habentur. Sic apud Plutarchum occurrit primo PHILIPPUS, qui rem in Dialogo narrat, (*a*) & quem ille hiſtoricum vocat. At verane illa aut ficta dialogi perſona ſit, non ſatis liquet. Iſtud quidem certum, eum inter hiſtoricos, qui circa ea tempora claruerunt, non reperiri. Atque ſi hac ratione auctore ipſo fere ignoto nullo amplius negotio totam rem in dubium vocaremus, nemo forte ſcepticiſmi hiſtorici nos jure poſtulare poſſet. Sed omnino ex antiquo proverbio lente feſtinandum eſt. Provocat ille Philippus ad teſtem αὐτόπτην Epitherſen Grammaticum, ſuumq; civem, quod tamen admodum ignotum nomen eſt in antiquitate. Qui enim eum inter veteres grammaticos retulerunt, non niſi eo ipſo Plutarchi loco nixi ſunt. Unicum meminimus Virum Celeb. FABRICIUM, qui annotavit, (*b*) Epither-

ſis

(*a*) Falluntur itaque VOSSIUS, &, qui eum fere ſecutus eſt, HUETIUS, qui Aemilianum rhetorem ea narrare dicunt.

(*b*) Vir Cl. JO. ALB. FABRICIUS *in Biblioth. Gr. L. V. c. VII. p. 60.* Epitherſen illum Plutarchi in grammaticis præceptorem facit, ſed quia non adducit auctorem

[illegible] iſtius λέξεως citari ab EROTIANO, ſeu quod alii volunt, HERODIANO in Lexic. dictionum Hippocrat. ſub voce ἄμβην. Verum dubitatio tamen adhuc ſupereſt, ſitne ille Epitherſes, de quo hic ſermo eſt, an vero alius. Sed nec de eo litigemus, cum Plutarchus in eo non

ſerti, vix dubium eſt, quin nitatur illud ipſo loco, quem tractamus, ubi Philippus de Epitherſe; ἐμὸς πολίτης, καὶ διδάσκαλος γραμματικῶν. Quod JO. VIGERUS in verſione ſua Euſebii Præparat. Evangel. l. V. c. XVII. ita reddidit: *Quo & populari & in grammaticis præceptore uſus ſum.* Sed cuilibet patere poſſe exiſtimamus, plus ponere iſtam verſionem, quam in textu Græco legitur, indeque a Xylandro videmus redditum; *civis meus, & grammatica doctor.* Deinde & temporis ratio vix patitur, ut Epitherſes Plutarchi præceptor in grammaticis fuerit. Vixit enim ille ſub Tiberio, Plutarchus autem Trajano & Hadriano imperantibus potiſſimum floruit. Hinc & Aemiliani, Epitherſis iſtius filii, jam tum ſenis, immo fere defuncti meminit. Quid quod ſi præceptor ejus fuerit Epitherſes, ipſe forte Plutarchus rem illam de morte magni Panis ab eo accepiſſet, nec ad teſtimonium Æmiliani, ejusdem filii, aliorumque provocaſſet.

conſiſtat, ſed provocet ulterius ad ejusdem filium AEMILIANUM rhetorem. Cujus autem nomen eadem, qua Patris, obſcuritate laborat, etſi enim idem apud ATHENÆUM, (c) & LIBANIUM (d) occurrit, illius tamen Æmilianus eſt grammaticus, cognomine *Mauruſius*; hujus quidem rhetor, ſed tempus non adeo videtur in noſtrum quadrare. At ſi & eum admittamus jam omnino neceſſarium erat, ſi rei debita fides debebat conſtare, ut alios quoque produceret teſtes, qui idem ſecum ab iſto Æmiliano perceperint. Nec defuiſſe videtur Plutarchus iſti officio; Philippum enim dicit habuiſſe quosdam ex iis, qui una tum adfuerint, idemque ab *Æmiliano jam ſene* acceperint. Sed ſi novit eos Plutarchus, cur non nominatim citavit? id quod tamen & ſuis & noſtris temporibus maximopere requirebatur. Homines enim veritatis ſtudioſi, qui tum vivebant, ita rem ulterius explorandi locum non habebant, & apud nos omnis ejus hiſtoriæ fides hac ratione in ſolum Plutarchum, qui tamen non niſi per tertium aut quartum habet, reſolvitur.

§. IV.

Fidem iſtius hiſtoriæ ulterius labefactat ſilentium ſcriptorum, qui eorum temporum res geſtas

(c) Dipnoſoph. lib. I. p. 83.
(d) Liban. Epiſt. lib. III. Ep. 61.

ſua diligentiſſime literis retulere. Si enim ſupponimus, quod Plutarchus aſſerit, famam illam de morte magni Panis, tanto prodigio annunciata, longe lateque Romæ ſparſam fuiſſe, Tiberiumque Caeſ. ipſum magna cura rem inquiſiviſſe, ratio ſane prorſus non patet, cur *Cornel. Tacitus*, *Dio Caſſius*, *Xiphilinus*, & *Suetonius*, celeberrimi eorum temporum hiſtorici, qui ſæpius multo leviora de Imperatoribus annotarunt, rem adeo mirabilem & memoratu dignam, ſiquidem reapſe acciderit, ita ſilentio præterierint.

§. V.

1. Illud quoque dubium fabuloſæque fidei videtur SAM. BASNAGIO, qui hanc contra iſtam narratiunculam diſputat, (e) quod Tiberius de morte de Pane iſto diligenter inquiſiviſſe, cum tamen ex Suetonio (f) auctore fide digniſſimo pateat, *eum circa deos & religiones negligentiorem fuiſſe; quippe addictum mathematicæ, perſuaſioniſque plenum, cuncta fato agi.* Verum vix validum videtur illud argumentum, ut hiſtoriæ noſtræ quicquam fidei detrahere queat. Quod enim Suetonius de Tiberii negligentia circa deos religioneſque habet, iſtud modo de religioſo eorum publicoque cultu videtur intelligendum,

(e) Baſnag. Annal. Eccleſiaſt. Polit. Tom. I. fol. 401.

(f) *Sueton.* in Tiber. c. LXIX.

dum, cui omnino perſuaſio illa de cœco aliquo fato maximopere repugnat. Illud tamen nihil impedit, quo minus Tiberius de morte magni Panis curioſius quæſiviſſe potuerit, ſi conſeramus præcipue, quod in ſequenti capite Tranquillus tradit, *eum maxime curaſſe notitiam hiſtoriæ fabularis.* Immo & ille Imperator ingentem quandoque morum ſanctitatem, religionisque ardorem effinxiſſe dicitur, quibus iſta de Pane Deo inquiſitio ſollicita, ſi quidem res in ſe vera eſſet, tribui poſſe videretur.

§. VI.

Jam ſi & contra noſtrum Plutarchum ex propria ejus mente diſputare lubet, conſtat equidem inter eruditos, ejusque ſcripta etiam loquuntur, eum nulli ſectarum, quæ tum obtinebant, ita fuiſſe addictum, ut nunquam alterius ſententiam, ſi quid rectius videbatur ſtatuere, amplecti voluerit, nihilo ſecius tamen PLATONEM plerumque ſecutum, eidemque plurimum tribuiſſe. Si autem Philoſophi iſtius ſententiam de *dæmonibus* evolvamus, ille & omnes ejus interpretes ſectatoresque uno ore inter affectiones eorum ſpirituum ponere ſolent, eos ἀθανάτας ſeu immortales eſſe. Id quod tantum certe debebat valere apud Plutarchum, ut ſuſpenderet conſenſum circa illam hiſtoriam, nec exinde confirmaret ſententiam, dæmones quoque morti obnoxios eſſe. Quin immo ulterius debebat in-

veſtigare

veſtigare rei veritatem, & quærere, ecquis fuerit iſte vocans, qui vocem illam ad Thamum ediderit? Non dubium eſt, Plutarchum ipſum eam a dæmonum quoquam profectam crediſſe. At cur miniſterio hominis ille utatur in re dæmonibus aliis ſui generis ſignificanda? Præſertim quia ipſe dæmon, ex mente certe Platonicorum, malaciæ iſtius, quam ortam dicit Plutarchus ad Paxas, procul dubio auctor, ſicque ipſe præſens extiterit. Sollicitus demum eſſe debebat noſter de ratione reddenda, cur gemitus ille multorum admiratione mixtus editus fuerit.

§. VII.

Sane ſi ita penitius paullo penſitaſſet ea omnia Plutarchus, multa ipſi obvenire potuiſſe videntur, quæ illam narrationem fabulis annumerandam ſuadere ipſi poterant. Verum uti animus non eſt, defraudare noſtrum iis laudibus, quibus paſſim ab eruditis mactari ſolet, quippe ſubacto judicio, doctrina multiplici, magnoque in ſcribendo candore præditum eum exornatumque fuiſſe dicunt; ita neminem, qui veritatem auctoritatibus anteponere didicit, negare poſſe exiſtimamus, ad vitium eum ſæpius ſecutum iſtum ſcribendi morem, ut concinno dicterio, lepidave hiſtoriola exordium ceperit ſcriptorum, eaque ulterius id genus crepundiis exornaverit. Prodit iſtud narrandi ſtudium non modo paſſim in ſcriptis, ſed & præcipue in libello, ex quo hi-

ſtoria illa de Pane magno deſumta eſt. Siquidem vel ſolæ illæ fabulæ, quibus dialogum orditur, & quæ noſtram ſtatim excipit argumentorum æqualitate ſuſpicionem movent, quo in loco noſtra quoque ſit habenda.

§. VIII.

Sed eorum quoque in medium adducamus argumenta, qui inter Chriſtianos aliunde ſibi fictas opiniones ex iſta Plutarchi fabella comprobare voluerunt. Autores autem ii in duas potiſſimum partes abeunt, quorum alii magnum Pana dæmones eſſe, alii Chriſtum ipſum ſub iſto nomine latere ſibi perſuadent. Illam ſententiam præ cæteris tuentur EUSEBIUS, *(g)* PHILIPP. MORNÆUS, (*h*) aliique, quorum ille voce iſta, quæ Thamum dicitur provocaſſe, indicatum putat, *dæmones tum ex humana vita pelli ejicique cœpiſſe, ſicque tempus eſſe definitum exterminatorum dæmonum, quos ante illud nunquam ex omni memoria fugatos eſſe* conſtaret. Jam ubi ad convellendam eam ſententiam accedimus, monendum omnino eſt, nos ſuperſedere prorſus poſſe iſta peculiari diſputatione, quia, ſi corruat fides a Plutarcho narratorum, nec ii, qui con-

(*g*) *Euſeb.* Præparat. Ev. l. c.

(*h*) *Mornæus* de veritat. Relig. Chriſt. l. 11. c. 16.

concluſiunculas ſuas inde deduxere, habebunt amplius, quo pedem figant. Ut tamen pateat ulterius, quamvis rei ſua in ſe fides conſtaret, eos tamen auctores nihil inde lucrari poſſe, obſervamus contra Euſebium, duplici potiſſimum falſo præſuppoſito ſententiam, quam adduximus, niti. Primò enim dum bona fide credit Plutarcho, magnum dæmonem mortuum eſſe, haud obſcure prodit, ſe quoque non alienum eſſe ab iſta opinione, quæ magnum quendam trucemque diabolorum principem & ducem ſtatuit, & quæ apud Platonicos non modo, quibus eam & noſter procul dubio debet, ſed & Judæos olim, quod Beelzebub ille teſtatur, & Pontificios hodie ex male intellecto loco Eſ. XIV. 12. admodum recepta eſt. Quo in loco autem ea ſit habenda, cuilibet ſtatim liquet, qui cogitat, eam & ex ratione & Scriptura S. debito fundamento prorſus deſtitui. Deinde quod tempore Chriſti ex omni hominum memoria pulſos, electosque dæmones dicat Euſebius, ſatis luculenter ſuppoſuiſſe ſecum videtur, omnes eos, quos innumeros credebant, religioſeque cultis edita oracula accepta referebant gentiles, dæmones, genioſque; ipſos cacodæmones ſeu diabolos fuiſſe, quod tamen quam falſum ſit, & quam inſigni fraude ea omnia, quæ dæmonibus tribuebant ethnici, a poëtis ſuperſtitioſisque hominibus primitus inventa, per callidos gentilium flamines & ſacerdotes peracta fuerint,

jam pridem luculenter adeo demonſtrarunt viri eruditi, ut dubitationis locus non amplius ſuperesſe videretur. Quod ſi melius & accuratius quoque formato conceptu voce illa de morte Panis magni edita Euſebius fractam morte Chriſti potentiam diaboli in homines ſpiritualem intellexiſſet, duo tamen adhuc non contemnenda poſſent objici: Primo enim nulla prorſus ratio patet, cur omnes in univerſum dæmones uno illo, eoque ita inſolito magni Panis nomine comprehenſi fuerint. Alterum eſt, quod diabolus cum ſociis ſuis non morte affectus fuerit morte Chriſti, eſt enim ſpiritus immortalis, ſed potentia mortis, quam antea habebat, ſpoliatus ab Apoſtolo dicatur.

§. IX.

Alia adhuc in genere moveri poſſunt dubia, quæ tamen inferius paullo adducemus. Audiamus jam & *Philippum* MORNÆUM, aliosq; Chriſtianam religionem tuentes, qui ſilentium potiſſimum oraculorum exinde deducere conantur. Verum uti & iſtud præſuppoſitum refutatum jam a viris doctis fuit, ANTONIO cumprimis *van* DALEN (*i*) in Tract. de *Oraculis*, ita quærendi ulterius nobis locus eſt, eoquando unquam Pan ille Paſtorum apud gentiles Deus

oraculum

(*i*) *van Dalen de* Oracul. Diſſertat. II. c. I.

oracula ediderit? aut qui fiat, ut uno iſto nomine omnia oracula comprehendantur? Sic enim vox illa, procul dubio non mortem Panis, ſed magni Apollinis aut Phœbi, oraculorum perfidis, enuntiaſſet, ſi quidem illorum ſilentiumea voce indicatum fuiſſe credendum ſit.

§. X.

Alii, qui ſub magni Panis nomine *ipſum Salvatorem* latere arbitrantur, voce iſta ejusdem mortem veluti ſtupendo miraculo gentilibus ennunciatam fuiſſe contendunt. Ita enim HUETIUS, (*k*) &, quem hic fere ſecutus eſt VOSSIUS, (*l*) mentem ſuam explicant, & duobus potiſſimum argumentis in eam rem utuntur, quorum prius a Panis appellatione, poſterius a circumſtantia temporis deſumtum eſt. Ut itaque in illo denominationem illam Chriſto vindicare queant facilius, Pana apud gentiles totius naturæ imaginem fuiſſe contendunt, & PETRUS MOLINÆUS (*m*) inſuper addit, *vocem iſtam aptiſſimam eſſe ad ſignificandum Dominum*

(*k*) *Huet.* Demonſtrat. Evangel. Propoſ. IX. C. CXXXVI. §. 4. p. 1014. edit. Lipſ.

(*l*) *Voſſ.* Harmon. Evangel. lib. II. c. IX. § 23.

(*m*) *Petr. Molin.* in Vate lib. III. c. 11.

minum univerſi, juxta dictum 1. Cor. XV. 28. Ut ſit Deus omnia in omnibus. Sed quod Huetii Voſſiique argumentum attinet, valde dubia adhuc videtur iſta *de Pane naturâ imagine* aſſertio; figuræ enim ejus idoli, quam gentiles ipſi tribuebant, expoſitio, & ad naturam univerſam accommodatio, prout Voſſius eam ex JUNIO PHYLARGIRO ſuppeditat, adeo eſt frivola & contorta, ut leve equidem & quotidianum auctoris ingenium, at nullum in re fundamentum oſtendat. (*n*) Deinde & notum eſt, alios aliter rem expoſuiſſe. Ita enim POLYÆNUS (*o*) *Pana fuiſſe* dicit *militiæ ducem, qui primus cornua & phalanges in acie invenerit,* indeque eum poſtea *cornutum* depictum. Aliter demum ipſe Huetius rem explicans, magno eruditionis apparatu probat, ſub Panis illius fabuloſo involucro *Moſen ipſum* latuiſſe. Porro quanquam & concedamus, Pana illum naturæ imaginem ethnicis fuiſſe, tamen a morte iſtius Panis vel naturæ ad ejusdem Domini interi-

(*n*) En Phylargiri verba: *Pan Paſtoralis Deus. Per cornu ſolem ſignificat & Lunam, per fiſtulam ſeptem Planetas, per pellem maculoſam cæli ſidera, per cannam ventos, per ungulas caprinas ſoliditatem terræ, villoſus eſt, quia veſtitis gaudet terra.*

(*o*) *Polyæn.* Stratagem. lib. I. p. 58.

interitum debitam conſequentiam merito deſideramus. At quia iam dictum a Molinæo allatum in locum probationis cedere poſſe videtur, reſpondemus, iſtud non de Chriſto, ſed de Deo Patre peculiariter agere, & licet eandem appellationem filio Dei quoque debere quis contendat, tamen magnum inter eam & magni Panis nomen ſupereſſe diſcrimen cuilibet patere poſſe exiſtimamus.

§. XI.

Alterum, quod adhibent auctores iſti, argumentum urget potiſſimum tempus, quod Plutarchus hiſtoriam illam ſub Tiberio geſtam narret, ſicque ætas cum morte Chriſti apprime congruat. Sic enim MOLINÆUS (p) expreſſe contendit, *veriſimilitudinem rei a tempore cumprimis dependere.* Verum enim vero ſicut Plutarchus non niſi in genere tempus ponit, quo Tiberius ſummam imperii geſſit; ita exinde ad diem mortis Chriſti nulla certa, ac quidem probabilis, conſequentia datur, niſi alia graviora argumenta accedant, & rei fidem faciant. Hinc non immerito miramur lapſum BOISSARDI, (q) qui magna fiducia non dubitat aſſerere, vocem.

(p) *Molin.* l. c.

(q) Boiſſard. de Divinat. & magicis præſtig. lib. II. c. XIV.

cem illam apud Plutarchum anno XIX. Imperii Tiberii, qui etiam annus mortis Chriſti dicitur, contigiſſe.

§. XII.

Argumentis iis ita facili negotio deſtructis, varia inſuper opponi poſſunt dubia, ita quidem, ut quæramus primo, *ecquis fuerit ille præco*, qui Thamum prætervectum acclamavit? Spiritus ſane, non homo, reſpondebunt. At ſi ſpiritus, neceſſe eſt, album illum aut atrum fuiſſe. Sed non albus; non quidem ea ratione, quod vult nobis laudatus ANTON. *van* DALEN, quum mirum videri potuerit, Tiberium cum ſapientibus ſuis non conjecturaſſe, vocem illam *de filio Dei* prolatam, ſi angelus eam ediderit, iſtud enim in occæcatas eorum hominum mentes cadere potuiſſe abſurdum non videtur; ſed quia bonus angelus tale quid ſine ſingulari Domini ſui juſſu non fecerit. Aſt, inſtat HUETIUS, quidni Deum hujus rei facerem auctorem, qui ita per miraculum mortem Chriſti annunciari voluit? Verum quid opus erat miniſterio angelorum, adeo inſuper dubio, ubi paſſio & mors Salvatoris non multo poſt miniſterio duodecim Apoſtolorum multo clarius & luculentius patefieri debebant? Immo & cur Deus inſolita illa planeque ethnica magni Panis appellatione de filio ſuo uti voluerit? Nec ater quoque fuit ille præco aut ſpiritus, qui vocem edidit. Quid eſt

enim,

unicam, cur ille juratus Jeſu Chriſti hoſtis mortem ejus gentilibus, mancipio ſibi datis, annunciaverit, quamvis occultaverit eum ſub nomine magni Panis? Periculum quoque erat, ne morte magni dæmonis ipſis inſinuata, de cæterorum etiam potentia deſperarent, eorumque neglecto cultu non adeo moleſtas infeſtasque aures præberent Chriſtianæ religioni, quæ mortem filii Dei prædicare ipſis debebat. Deinde creditu admodum difficile eſt, diabolum citra naturæ ordinem ventorum flatus coërcere, & malaciam pro lubitu efficere potuiſſe, cumprimis quod iſtud inter ea miracula ſit, quibus ipſe Salvator ſuam divinitatem declarare hominibus voluit. Nec facile permiſſu divino ejusmodi effectum a diabolo editum aliquis ſibi perſuadebit, qui cogitat, nec Deum diaboli fraudibus poſſe velificari, nec locum hic fuiſſe divinæ ſapientiæ, vertendi eam in uſum gentilium, qui nihil antea de myſteriis divinæ veritatis acceperant.

§. XIII.

Si quæramus denique, *quis gemitus iſtos ediderit*, reſpondetur, fuiſſe dæmones, morte Salvatoris ita vehementer percuſſos. Sed reſpondemus dupliciter: Primo falluntur, quod diabolos morte Chriſti lugentes, gemitusque fundentes, ſibi fingant, cum tamen illi potius morte

morte illa, cujus auctores per inſtrumenta ſua Judæos fuerant, veluti de ſuperato hoſte ſecure triumphaſſe credendi ſunt, donec fracta demum per reſurrectionem Christi eorum vi & potentia in homines contriſtandi & ingemiſcendi locum in vinculis habuerunt. Deinde quomodo factum, ut ad Palodes, modo, loco a Judæa adeo remoto, gemitus iſte auditus fuerit, ac ut dæmones illi per hominem demum illum Ægyptium de morte Chriſti certiores fierent?

§. XIV.

Unicum adhuc ſupereſt argumentum, quod & BASNAGIUS huic ſententiæ, de morte Chriſti voce iſta publicata, oppoſuit. Scilicet addit inter alia Plutarchus ſuæ narrationi, *Tiberium accerſiſſe Thamum* illum, & ab eo rem diligentius exploraſſe. Sed conſtat ex C. Tacito, Dione, aliisque ſcriptoribus eorum temporum, tempore mortis Chriſti Tiberium non amplius Romæ fuiſſe, ſed diſceſſiſſe jam tum in Campaniam, immo in inſulam Capreas ſeſe abdidiſſe. Incidit enim mors Salvatoris juxta communem calculum chronologorum in decimum nonum aut vigeſimum annum Tiberii, qui tamen per undecim annos ab urbe abſens fuit, nec poſt diſceſſum unquam rediit. Et quamvis objici poſſe videatur, nec iſtud ex Plutarchi relatione ſequi, Tiberium tum Romæ ſeſe tenuiſſe, quia & abſens, poſtquam rei fama ad aures ejus ad-

volarit,

volarit, Thamum ad ſe potuiſſet acceſſere; tamen Plutarchus, veluti ea de re nihil cogitans, prorſusque ſecurus, præſentiam Imperatoris haud obſcure ſuppoſuiſſe videtur. Immo & ſi SUETONIO fidem habeamus, Tiberius poſtquam aliquot ante obitum annis in inſulam Capreas redierat, omni Reip. cura plane abjecta, non niſi ſecretis ſuis ſpurciſque libidinibus totus inhæſit, nec de fabuloſa iſtius Panis morte amplius curam habere voluiſſe videtur.

§. XV.

Iſta autem ſententia de Tiberio, tempore mortis Chriſti Roma abſente, pugnare videtur cum eo, quod TERTULLIANUS (r) tradidit, Cæſarem illum de miraculis a Salvatore patratis, ejusque morte prodigiis ſtupendis conſpicua, a Pilato per literas certiorem redditum, detuliſſe ad Senatum, ut Chriſtus in numero Deorum haberetur. Verum dupliciter reſpondere poſſumus; Aut enim integra Tertulliani auctoritate dicimus, Tiberium per literas, ſi quidem abſens fuerit, illud ad ſenatum deferre potuiſſe: Au tres plane in dubium vocari poteſt, cum variæ inſuper rationes haud leves occurrant, quæ rem falſitatis coarguere ſuadeant. Enimvero Tertulliano, auctori Chriſtiano, in re, pro tuendis ſuorum partibus adducta, non temere videtur cre-

(r) *Tertullian. in Apologet. c. V. & XXI.*

credendum, præcipue quia ſolus ille rei auctor exiſtit, & ſcriptores eorum temporum eam ſuo ſilentio dubiam magis ſuſpectamque reddunt. Nec obſtat, quod quidam objiciunt, eos auctores odio in Chriſtianos adductos ſiluiſſe. Quid enim commodi redire poterat ad Chriſtianos ex ſuffragio Imperatoris, dudum defuncti, & cujus memoria crudelitatis aliorumque ſcelerum nota pene infamis erat. Nec plus valet, quod alii pro tuenda Tertulliani relatione adducunt, provocaſſe nimirum eum in Apologia ſua ad Senatum, ad ipſa eorum commentaria. Non enim utitur iſto teſtimonio, niſi ut probet, quod ſequitur in ejus oratione, ſub Nerone demum primam Chriſtianorum perſecutionem eveniſſe. Nimis alienum etiam fuiſſe videtur Tiberii ingenium ab iſto conſilio, quod, uti ſupra memoratum, longe aliter Suetonius deſcribit, cui inſuper ex eodem auctore accedit, (s) quod Imperator ille erga populum Judaicum durum admodum & inclementem ſeſe præſtitit, eosque urbe Italiaque S. C. ejecit.

§. XVI.

Atque iis obiter ſaltem adductis dum finem imponimus huic obſervationi, duo potiſſimum obſervamus exiſtere potuiſſe, quæ auctores ſuperius allegatos adduxere, ut fide Plutarcho uſtro

(s) *Sueton.* in Tiber. c. XXXVI.

tro habita, ejus de magni Panis morte narrationem in Chriſtianorum partes transferrent. Vnum eſt fides illa & auctoritas, quam Plutarchus ſibi intemeratam ſemper apud eruditos conſervavit. Non itaque in mentem venit illis viris, hiſtoriam tanti nominis teſtimonio communicatam in dubium vocare, quam tamen omnes forte, ſi inter veras LUCIANI hiſtorias occurrerit, magno ſtrepitu exploſiſſent. Alterum eſt ſincerum quidem, ut imprudentius quandoque adhibitum ſtudium defendendi veritatem religionis Chriſtianæ iis quidem argumentis, quæ ex gentilium doctrinis religioneque deprompta veluti propriis armis fundere eos & convellere poſſe videntur. Sic enim quicquid vel leviſſimam ſpeciem convenientiæ cum religionis noſtræ fundamentis dogmatibus que exhibuit, ſtatim in partes tractum, & quâ fieri potuit, probabilitatis ſpecie exornatum amplius fuit. At nihil fere ea opera effectum eſt, niſi ut virorum illorum ingenium quidam admirati fuerint, plurimi autem probationum nervos genuinaque fundamenta deſideraverint; quod HUETII ſupra allegati exemplum præcipue confirmat. Nos veritatem ſanctiſſimæ religionis noſtræ tenentes, tantum roboris firmitatisque inconcuſſæ eidem ineſſe arbitramur, ut ejuſmodi argumentis, non niſi veriſimilitudinis qualiſcunque ſpecie ſeſe commendantibus, prorſus non opus habeat.

OBSERVATIO LXXXV.

IOHANN. MICHAEL. WEINRICHII,

Illuſtr. Lyc. Meinung. Inſpectoris & Rectoris,

de

Abſtinentia carnis Pythagorica.

PYthagorae philoſophia quo antiquior ſimpliciorque fuit reliquis philoſophandi generibus; hoc iniquiora ſaepe ac crebriora fata ſuſtinuit, diuerſis plane judiciis, & fere ex cuiusque ingenio, modo improbata, modo laudata, ſuaeque reſtituta dignitati. Graeci aeque ac Romani nihil habuere antiquius, nihil vtilius Pythagorae doctrina, adeo, vt aliqui eorum maluerint cum Pythagora ejusque apud poſteros defenſore Platone errare, quam cum aliis in veritatis rationem penitius diligentiusque inquirere. Sectatores, & qui de Pythagorae vita, dogmatibusue commentati ſint, ſtudioſe commentariis ſuis complexus eſt perſequuturque GERHARDUS IOANNES VOSSIUS, de *Sectis Philoſophorum* Cap. VI. MORHOFIUS *Polyhiſtoris* Tom. II. libr. I. Cap. II. & Gelch.

STRU-

STRUVIUS in *Bibliothec. Philoſoph.* Cap. II, §. 2. De Morhofio id notandum, quod falſo duos diuerſos eſſe ſcriptores credat *Malchum* & *Porphyrium*, pag. 11. ſic commentatus: „*extat &* „*Malchi de vita Pythagorae liber, editus a Conra-* „*do Rittershuſio 1610. Porphyrii quoque liber ex-* *ſtat de vita Pythagorae* &c. Liber enim vnus idemque duplici auctoris nomine inſcriptus Malchum ſuum parentem agnoſcit, qui poſtea praeceptoris conſilio nomen Malchi cum illo Porphyrii ingenioſe commutauit. vid. Dn. IOANNIS MOLLERI Homonymoſcopia Part. III. Cap. IV. §. 3.

Noſtra aetate vti vniuerſa cultioris Graeciae ſapientia negligitur, & graecarum litterarum vſus pauciſſimis ad palatum videtur; cum plurimi Gallorum linguam in locum graecae ſubſtituant, eiusque magis veneribus, quam huius deliciis oblectentur, quaſi ſola Gallia, ſuperba illa domina, & ingeniis reliquarum gentium infeſtiſſima, noſtris idem ſit, quod olim Romanis fuit Graecia; ſic etiam Pythagoricae Philoſophiae parum operae impenditur, &, quo fere nihil moleſtius eſt, a multis nota turpitudinis inuritur. Equidem Pythagorae ſui ſunt errores, ſummo nobis vitandi opere; an vero tota eius philoſophia damnanda prorſus ſit ac prohibenda, aliis diiudicandum relinquo. THOMAS GATACKERUS, Angliae decus, cuius ingenio atque induſtriae politioris doctrinae viri multum debent,

in praefatione ſua ad Pythagorae fragmenta non dubitat his verbis amicum adloqui: „*heic* „*mitto Pythagorae myſticam an magicam dixerim* „*diſciplinam, cuius rudera dumtaxat & λείψανα* „*disiecta iam ſuperſunt. Aureum enim carmen,* „*quod huius nomine proſtat, eiusdem notae eſſe* „*cenſent eruditi cum Phocylidae monitorio: ſuppo-* „*ſitum vtrumque.*

Me taedet ad retundendam aliorum limam Vulcani arma ſollicitare, aut in deſcribendis eorum portentis aliquid ſtudii temporisue conſumere: neque tamen mihi temperare poſſum, quin vnius adhuc viri ampliſſimi doctiſſimique de Philoſophia Pythagorica ſententiam ſpecioſe propoſitam breuiter attingam. Is eſt COLBERGIUS, quidam P. P. in Academia regia Griphiswaldienſi, inaudito legendi ſtudio memorabilis, qui, cum omnes curas cogitationesque conſumſerit in profligandis improborum hominum ſomniis, multum & laudis apud doctores purioris eccleſiae, & dignitatis in republica litteraria conſecutus eſt. Mirum autem id videtur, quod ſibi perſuadet, *omnes*, quos adpellat, *Enthuſiaſtas*, vim hodie doctrinae pariter & vitae Chriſtianae nouitatis ſtudio inferentes, *ex Platonis & Pythagorae philoſophia errores ſuos hauſiſſe.* Dogmata enim improborum euerſurus in libro, quem titulo inſcriptum das Platoniſch-Hermetiſche Chriſtenthum, anno cIↃ IↃCXC. prodire iuſſit,

Plato-

Platonis dum doctrinam erroris insimulat, omnis tanquam corruptionis matrem pestilentissimam, Pythagorae, vix ſperandum eſt, vt modeſte parcat, ſed certum eſſe potius exploratumque credit, Platonem ſua dogmata ex Pythagorae ſcholis tranſtuliſſe, omnisque enthuſiaſmi inde auctorem exſtare. Operae fortaſſe pretium faciet, qui tanti viri ſententiam ex veterum monumentis & ipſius rei conſecutione ſibi ſumet decidendam. Vix enim credibile, omnes haereſes & peruerſas doctrinas ex ſolo Pythagora & Platone enatas eſſe. Voces & phraſes, quibus vtuntur haeretici, non ſtatim euincunt, eos Platonis ſequi doctrinam, mentem, & ſententiam, & eandem cum iſto de hac vel illa re ideam complecti. Ex aliis philoſophorum ſectis non minor Chriſtianorum doctrinae clades inlata eſt, quam *Colbergius* perperam ſaepe Pythagorae tribuit ac Platoni.

Inſtituti ratio non permittit extra oleas vagari: neque tamen poſſumus facere, quin rem vno exemplo clariorem reddamus. Colbergius libr. I. cap. I. pag 41. *Manichaeos* adfirmat, duplex principium adſerentes, ex Pythagorica diſciplina ortos eſſe, hac ſcilicet vſus praeclara argumentatione; quod Boehmii ſectatores eodem modo, quo Manichaei, de Deo philoſophati ſint, manifeſtum eſſe, Manichaeos originem ſui referre ad Pythagoram, (de Platone enim in praeſenti non diſputo:) cum

tamen nondum patefactum ſit, ſatisque illuſtratum, cuncta Boehmii dogmata ex Platone & Pythagora promanaſſe. Ni fallor, ipſe HIEROCLES in Comment. aureo ad carmen aureum p. m. 13. cui addatur IAMBLICHUS de vita Pythagorae C. 32. p. m. 185. Pythagorae mentem de Deo, omnium cauſa & opifice, adcurate exprimit; Τὴν δὲ ὄντως, ſcribens, ἀξίαν τοῦ κοσμοποιοῦ καὶ ἀριστοτέχνου θεοῦ μόνως ἂν ἐξευρήκειμεν, εἰ καὶ Θεῶν αἰτίαν αὐτὸν, καὶ ἀτρέπτων λογικῶν οὐσιῶν ποιητὴν ἡγησόμεθα. Quo vero modo iſta cum dogmate Manichaeorum conſentiunt? Plura in praeſenti addere non licet; quanquam facile eſſet probatu, ex philoſophia Ariſtotelica pariter triſtisſimas haereſes ac diſcordias inter Chriſtianos conflatas eſſe.

Cognitum eſt ſatis, Pythagoram etiam dici *carnis vſum ſuis prohibuiſſe*: qua de ſententia nunc breuiter nos differere, Lectori amico honoratisſimoque moleſtum haud erit. Quod nobis nulli Pythagorae libri ſuperſunt; ſi quidem vel ipſe nihil litteris tradidit, vel quod tradidit, iam pridem interiit; vix fieri poteſt, vt, quem hac in re modum finemque intenderit, aperte dicamus. In carminis aurei verſu LXVII. praecipiens inducitur Pythagoras: ἀλλ' εἴργου βρωτῶν, ὧν εἴπομεν. Sed Pythagoras vix auctor iſtius carminis exiſtimandus eſt, & per vocem βρωτῶν *omnis generis eſculenta* indicantur, non ea ſolum, quae ex carne parata

ſunt.

ſunt. Interim vt praetermittamus ea, quae DIOGENES LAERTIUS; HIEROCLES ad verſum iſtum, GELLIUS, & alii memoriae prodiderunt; vnius IAMBLICHI teſtimonio contenti ſumus, qui C. XIIX. p. 88. de vita Pythagorae ita refert: εἰς μόνον τῶν ζώων οὐκ εἰσέρχεται, ἀνθρώπου ψυχὴ, οὐ θέμις ἐςι τυθῆναι. διὰ τοῦτο τῶν θυσιμῶν χρὴ ἐσθίειν μόνον, εἰς ἂν τὸ ἐσθίειν καθήκῃ, ἄλλου δὲ μηδενὸς ζώου. Ex hac Oratione perſpicuum eſt, quam potiſſimum ob cauſam Pythagoras & qualium carnium vſum interdixerit: non omnium, ſed eorum in primis animalium, *in quorum arbitrabatur corpora poſt mortem hominum animas tranſire*, & quae Deorum ſacris offerre nefas putabatur. Ergo haec carnis abſtinentia videtur ex doctrina Pythagorae de *tranſmigratione animarum* orta, quam μετεμψύχωσιν vocare ſolent eruditi. VOSSIUS l. c. p. m. 41. ita concludit: atque hoc μετεμψυχώσεως dogma in cauſa eſſe creditur, cur Pythagorei carnibus abſtinerent; nempe ne ignari forte comederent parentes, auos, aliosue conſanguineos: Neque leue eſt argumentum, quod ex OVIDII libr. XV. Metamorphoſ. deſumtum ad confirmandam hanc opinionem profertur. Sic enim verſu 138. ſeqq. Naſo fingit Pythagoram loquentem:

Vnde fames homini vetitorum tanta ciborum?
Audetis veſci, genus o mortale? quod, oro,
Ne facite, & monitis animos aduertite noſtris &c.

Animalia, quorum carne & mactatione abſtinendum ſit, nominatim notare, partim haud neceſſarium eſt, partim difficile; quod ipſi Pythagorei iſta ſingulatim recenſere noluerunt. Varia conſtituebant animalium genera, a quibus reciperentur animae humanae poſt mortem: hinc & varia credebant eſſe animalia, quorum carne abſtinendum ſit. Quot ſtatuerint illorum claſſes, ex PLOTINO, Pythagorae & Platonis perpetuo cultore, intelligimus, qui Ennead. III. libr. IV. cap. 11. haec ex ſuorum ingenio refert: „anima tandem corpore „migrans id ipſum, quo abundauit, euadit. „Itaque ad ſuperiora confugiendum, ne in ſen„ſualem ſpeciem delabamur, ſimulacris ſcili„cet & ſenſibilibus obſecuti. Quicunque pro„prietatem ſeruarunt humanam, homines ite„rum renaſcuntur. Quicunque vero ſolo vſi „ſunt ſenſu, bruta animalia redeunt: ita ta„men, vt qui ſenſu praecipue vna cum ira, „animalia fera exoriantur, atque in his diffe„rentia differentiam quoque talium adferat.

Qui

„Qui vero ſenſu per concupiſcentiam volu-
„ptatemque vſi ſunt; ſalacia & ingluuiosa ani-
„malia reuertantur. Verum ſi non tam ſen-
„ſu vna cum his, quam ſenſus degeneratione
„vixerint, vna cum ipſis plantulis repullulant.
„Solum namque vel maxime in his viguit ve-
„getabile, omnisque illis cura fuit, vt in
„plantas commutarentur. Proinde qui Mu-
„ſicis modulis nimium deleniti vixerunt; in
„coeteris non deprauati, animalia Muſica re-
„naſcuntur: etſi qui ſine ratione regnarunt,
„fiunt aquilae, niſi prauitate alia ſint infecti.

Haec ſomnia Pythagoreorum expoſuit PAGANINUS GAUDENTIUS, ICtus, & in inclyto Piſarum Athenaeo Eloquentiae Profeſſor, optimis libris, ſed extemporaneo quodam calore fuſis, clariſſimus, in diſſertatione, quam nec tamen omnibus numeris abſolutam anno MDC.XLI. in 4. de *Pythagorica animarum transmigratione* conſcriptam edidit. Addatur ex parte AMBROSII RHODII dialogus de transmigratione animarum Pythagorica anno cIↄ. Iↄcxxxviii. typis exſcriptus: qui ſuo interdum & genio & ingenio nimium indulget. Omnibus ergo & auibus & quadrupedibus, & herbis abſtinendum erat, quod metuendum ſemper, ne anima hominis amici vel cognati ſedem in iis fixerit. Sed vero ipſius Pythagorae hoc dogma fuiſſe, idque ex

migra-

migratione animorum ab ipſo deriuatum, tantum abeſt, vt veriſimile videatur, vt potius Pythagoram exiſtimem hac in re iuſte excuſandum.

Primum enim nemo eſt, qui ignoret, Pythagoram a Iudaeis multa doctrinae ſuae capita accepiſſe: quid autem credibilius, quam eum ex Moſis libris didiciſſe, animalium haud exiguum eſſe diſcrimen, & alia de munditie ſua commendari, alia ob immunditiem prohiberi plane? quae differentia, quo tempore, quo auctore, & quo tandem fine mortalibus tradita ſit, multi adhuc doctiſſimi viri in vtramque partem diſputant. vid. HERMANNI WITSII Miſcellan. Sacr. Tom. I. libr. II. diſſertat. II. §. XIV. XV.

Deinde id quoque manifeſtum puto, Pythagoram, cum primus philoſophari coepiſſet inter barbaras gentes, eo potiſſimum reſpexiſſe, vt inconditos, feroces, ac crudelitatis haud immunes earum mores emolliret, omnesque, quanta fieri poſſet induſtria, ad ſaniorem & victus & amictus rationem reuocaret. Cum ergo videret, animalia crudeliſſima morte trucidari, carnes pro cuiusque deuorari libidine, & hac crudelitate ipſas hominum mentes obbruteſcere; facere non poterat, quin auctores tantae feritatis tamque inhumani moris differentiam doceret animalium, eosque ſenſim ad abſtinentiam deflecteret. Hinc recte

Gallus

Gallus quidam „ Blaiſe de Vigenere dans les „images ou tableaus de platte peinture de „Philoſtrate du ſecond liure pag. 509. Par „ceque grande partie des gentils, ceus la „meſmement, qui ont fait profeſſion d' une „plus pure & parfaite doctrine, tels que les „Pythagoriciens & autres, ont deteſté cett „cruelle boucherie & maſſacre des pauures „innocentes beſtes, que les dieux tres purs, „tres nets, benins, & pitoyables ne peu„vent ſi non abhorrer &c.

Praeterea finis eius erat, viros ſapientes reddere, & ad ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ adducere: quamdiu autem cuticulae ventriſque maior habebatur ratio, quàm ſobrietatis & mitioris vitae, fieri non poterat, vt ſapientiae locus relinqueretur. Hinc in aureo carmine verſu 35. ſapipienter dictum eſt; ἐνθίζε δὲ δίαιταν ἔχειν καθάρειον, ἄθρυπτον.

Et quid? nunquam probari poterit dilucide, Pythagoram omnem carnis animaliumque vſum damnaſſe; multo minus eum abſtinentiam carnis initutiſſe propter animarum transmigrationem, qui quippe ſatis edoctus erat, animam cum mactata carne non interire, ſed tanquam *ſpiritum ſuperſtitem manere*, & ad alia loca demigrare. Facta enim purgatione docebat relicto corpore animam ad liberum aethera venire, Deumque eſſe immortalem.

Quod

Quod non Porphyrius ſolum apud STOBAEUM multis locis de Pythagora teſtatur; ſed & carmen aureum his verbis confirmat:

> Ἢν δ᾽ ἀπολείψας σῶμα, ἐς αἰθέρ᾽ ἐλεύθερον ἔλθῃς,
> Ἔσσεαι ἀθάνατος Θεὸς, ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Neque ipſe Pythagoras carnis eſum pertinaciter fugit; neque eius ſectatores; de quibus Porphyrius libr. I. pag. 49. memoriae prodit: ἱστορεῖ δὲ τινες καὶ αὐτοὺς ἅπτεσθαι τῶν ἐμψύχων τοὺς πυθαγορείους, ὅτε θύοιεν Θεοῖς. Τοιαῦτα μὲν καὶ τὰ παρὰ κλωδίῳ καὶ ἡρακλείδῃ τῷ ποντικῷ κ. τ. λ. addatur HIEROCLES cap. 69. p. m. 299.

Tandem id praetermittendum haud eſt, Porphyrium, infeſtiſſimum religionis Chriſtianae oppugnatorem, in iis libris, quos περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων confectos reliquit, egregie quidem abſtinentiam carnis commendare, ſed, quod ego ex feſtinatione notare potui, nullum argumentum petere a transmigratione animarum. Vniuerſum enim nexum Philoſophiae Pythagoricae & finem in primis reſpicit, adiungens, animantes non ſolum medium inter terrae fruges & hominem tenere, ſed etiam ad humanam naturam propter adfectuum & cognitionis ſimilitudinem propius accedere: praeterea triplicem eſſe vitam, & hominis vitam ſecundum mentem

tranſigi oportere, non autem corpus ciborum mole onerari. e. ſ. p. Ergo cauſam abſtinentiae huius ἐκ τῆς μετεμψυχώσεως depromptam non omnibus Pythagoreis, multo minus ipſi Pythagorae probatam eſſe, probabili coniectura ad credendum inducimur. Porphyrius, quod iam dixi, τέσσαρα βιβλία περὶ τῆς ἀποχῆς ἐμψύχων conſcripſit: quorum primo egregie probat, tenuem victum & paratu facilem adhibendum eſſe: in reliquis autem de abſoluta apoche ab epulis carneis & ſacrificiis cum aliquo ingenii acumine diſſerit.

Nemo quidem Chriſtianorum eſt, qui dubitet, vitam ſobriam ac parabili victu contentam, maiori laude efferendam eſſe, quam eam, quae luxuria multisque commeſſationibus diffluit. Haec enim vti ſenſus animumque hebetat, & ſanctiores mentis operationes impedit: ſic illa e contrario expeditiores nos reddit ad exercitia & corporis & animi ſubeunda, & multis eiusmodi abſtinentia ad ipſam ſalutem aeternam vtilis videtur, non en l' operant media tenent, mais en nous facilitant l' obſeruation des devoirs neceſſaires pour y reuſſir. Et je ſuit perſundé, que le melleur eſt de ſ' abſtenir autant, qu' on pouve de tous les plaiſſirs non neceſſaires, & de s' acoûtumer e on geure de vie le moins delicat qu' il ſera poſſible. Quae verba ſunt doctiſſimi viri Monſieur LA PLACETTE, dans nouveaux

Eſſeis

Eſſeis de Morale Tom. premiere ſec. eſſai, chapit. IX. & X. p. m. 117. 119. Sed vero vel omni carnis vſu abſtinendum eſſe neceſſario, vel, ſi certo tempore ſtatisque diebus carnes animalium remoueantur, Dei nonnihil gratiae nos promereri aut ſingularem cultum praeſtare, neque rationis lex, neque ſanctiora aeterni numinis oracula ſuadent aut praecipiunt.

Quid ergo de decretis quorundam conciliorum & Pontificum ſentiendum ſit, quae omnem carnis fruitionem ex republica Chriſtiana certis temporibus ſublatam, & non niſi venia impetrata percipiendam volunt, facile quisque animo ſecum poteſt conſiderare. Carnis priuium, vt hac voce barbarorum vtamur, (vid. CAROLI du FRESNE gloſſarium fol. m. 939.) nullius pretii, nullius vtilitatis eſt, ſi eo tantum conſilio carnis eſus intermittitur, vt conſuetudini ritibusque ſatisfiat, aut neceſſaria pars diuini cultus in eo ponatur. Id enim, quod vtile eſſe ac laudabile poterat, virtutem ſuam aeſtimationemque amittit, ſi ad finem trahitur, & rationi & Scripturae S. contrarium. Confer. hic GERHARDUS in Confeſſione Catholica libr. II. part. III. Artic. XXIV. Cap. II. fol. 1580. 1581. Ad *Porphyrium* redeamus. Huius libri *de abſtinentia* cum notis LUCAE HOLSTENII prodierunt, doctis hominibus haud ingrati. Sed iſti multo ante iam ex puluere protracti fuerunt, anno ſcilicet M. DC. XX. Lugduni Bata-

iorum in 8. maj. quae editio vel hanc ob cauſſam allegánda videtur, quod Clariſſ. editor, FRANCISCUS de FOGEROLLES, Conſiliarius & Medicus regius, poëtica arte inprimis excellens, non Synopſin ſolum Apoches Pythagoricae nitidiſſimis verſibus expreſſam, ſed duplicem etiam diſſertationem praemiſit. Prima eſt de *virtutibus Heroicis & exſuperantia virtutum*, qua in re ſibi valde adſentientes habet BOECLERUM, BECMANNUM, aliosque, *exſuperantiam quandam virtutum adfirmantes*: poſterior *Chriſtianam apochen ſanctiſſimis religionum ordinibus*, carnis priuii obſeruatoribus, *commendat*.

Quod ad primam, mirari ſubit, tantos viros exſuperantiam virtutum admittere, quam figmentum potius eſſe dixerim. Haec enim vel in gentilibus vel in Chriſtianis adfirmatur eſſe: ſi in gentilibus, nullam ibi veram inuenies virtutem: num roſas licet ex ſpinis decerpere? ſi in Chriſtianis, vix integrum eſt ſtatuere, Chriſtianum virtutes poſſe exercere, quae diuinae voluntatis regulam ſua excellentia exſuperent. Quare virtutes quidem heroicae in ſenſu Ariſtotelico reiiciuntur, ſed a doctiſſimo FOGEROLLES in ſenſu Pythagorico & Platonico admittuntur. De poſteriori obſeruamus, quod Fogerolles *apochen Chriſtianam neceſſariam eſſe* adfirmet, eamque conſiſtere in abſtinentia a carne & omnibus eduliis, quibus corpus ineſcari & ad libidinem incendi poteſt, non tamen in ab-

ſtinentia a vino; cauſſa inprimis hac adducta: quanquam Ebraei vino, & Syri piſcibus *abſtinuerint*, Chriſtianos tamen iisdem vti: conceſſas enim carnes Iudaeis ieiunantibus *propter agnum myſticum*: concedi vinum Chriſtianis ieiunantibus *propter calicem myſticum*: quae ſane cauſſa praegnans eſt, perpulcra, & plauſu digna, ſcilicet. Nunquam Pythagoras crederet ieiunium eſſe & abſtinentiam, ſi in hanc vitam reuocari poſſet, vt oculis ſuis cerneret, piſces delicatos copioſe deuorari, vel vinum largius hauriri, etiamſi remota ſint eſculenta: hoc enim diceret pugnare cum ἐχεμυθίᾳ ſua, de qua eſt apud IAMBLICHUM, de vita Pythagorae, Cap. XXXI. vel potius cum aliis praeceptis, a ſe virtutis amantibus propoſitis.

Tandem concludit FOGEROLLES, *Chriſtianam Apochen virtutem eſſe Heroicam, diſcretione, candore & religione comprobatam*. Omnes in hoc cum ipſo conſentiunt, quod ieiunia ſint neceſſaria, & Chriſtianum omnino hominem deceat, abſtinentia & modico cibo animum aptum reddere, vt ſtudia rerum diuinarum & caſtitatis pietatisque exercitia hoc expeditius peragere poſſit: modo abſit opinio quorundam, quod *apoche iſta medium ſit*, non paraſceuaticum, ſed *meritorium*, & tantae neceſſitatis, vt, qui contra ordinem eius regulasque agat, haud leue committat peccatum. Caeterum egregie factum, quod Fogerolles duas has quaeſtiones ſcite ſol-

uerit

uerit partim ex ipſius Pythagorae doctrina, partim ex contraria eius adplicatione: mirum tamen illud, quod quaeſtionem de origine ſacrificiorum, verum ex lumine rationis ſint, an ex aeterni numinis praecepto inſtituta, intactam plane praetermiſerit, cum Porphyrius libr. II. p. m. 123. de primis diſſerat ſacrificiis, & variis gentium ritibus. Reliqua in alium locum tempusque reſeruantur.

OBSERVATIO LXXXVI.

M. IOH. CHRISTIANI KOCHII,

de

Quaeſtione:

Num S. Coena poſſit vocari medicina corporis?

§. I.

RECtiſſime ſanctiſſimus Martyr & Confeſſor IGNATIUS Epiſt. XI. ad Epheſios S. coenam φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν vocavit, cui pro fide orthodoxa tam fortiter dimicans ATHANASIUS acceſſit cum Sacramentum hocce ἔλαβεν εἰς τὴν ἀνάστασιν καὶ εἰς τὴν σωτηρίαν appellavit. Probe caveamus,

ne verba horum aliorumque Eccleſiæ Patrum ita capiamus, aeſi cibum ſacramentalem pro nutrimento corporis, vel medicamento univerſali, quo mediante nos adverſus mortis temporalis inſultus munire valeamus, venditaverint. De pharmaco ſpirituali, de vita æterna, morti alteri Apoc. XX. 6. oppoſita, conf. Joh. VI, 54, 55, 56. ipſis modo ſermo fuit. Deteſtanda autem eſt hominum plebejorum potiſſimum anilis ſuperſtitio, quæ tam altas noſtro exulcerato ſeculo egit radices, ut etiam ſanctiſſimis actibus, imo ipſis myſteriis fidei, ſeſe immiſcere conetur. Quis enim fidus animarum paſtor, in urbe aut in agro degens, non abhorreret variarum ceremoniarum copiam, quibus inferioris ſortis utriusque ſexus perſonæ circa vitæ ingreſſum, progreſſum & finem indulgent? Cui malo ſereniſſimus Mecklenburgenſium Dux mandato ad D. MICH. SIRICIUM Anno 1683. d. XVI. Decembris dato obviam ivit, cujus tenor ſequens eſt: Daß ihr bey denen euch untergebenen Predigern die Verordnung machet, daß ſie, und ein jeder für ſich in denen zu ſeiner Pfarr gehörigen Dörffern herum reiſen, Dorff bey Dorff, und Hauß bey Hauß nach der Unterthanen und Einwohner Leben und Wandel, auch ob ſelbige in einem und andern ei-

nigen

nigen Aberglauben gebrauchen, und ſpühren laſſen, ſich behutſam, und genau erkundigen ſollen. Has inter vaniſſimas ſuperſtitiones illa inprimis indignationem meam provocavit, quando varios Auditorum meorum obſervavi, qui ægrotantibus vel hanc ob cauſam S. cœnam propinari exoptarunt, ut *vel priſtinam conſequantur ſanitatem*, vel eo citius *ad placidam ἀνάλυσιν perveniant*. Eſt enim in vulgus nota vox: Es wird ſich nach dem Heil. Abendmahl bald ändern, entweder zum Leben, oder zum Sterben.

§. II.

Neque exiſtimemus, errorem hunc inter noſtros natum eſſe, origo certe ejus ab ipſius Papatus incunabulis repetenda videtur. Liceat jam ad CORNELIUM a LAPIDE ab hac ſuperſtitione non alienum provocare. Famigeratiſſimus iſte Commentator p. 343. in Johann. ſequentem in modum diſſerit: *quod panis & cibus præſtat corpori, hoc Euchariſtia præſtat animæ, ſubinde etiam corpori, ut ſcilicet corpus quoque alat, vegetet, viviſicet, imo quandoque morbos ſanet, & mortis pericula depellat.* Paucis interjectis GREGORII NAZIANZENI Patris exemplum allegat pergens: *Ita Gregorius S. Gregorii Nazi-*

anzeni pater ardentiſſima & diuturna febri exhauſtus, mortique vicinus, ab ea liberatus, vitæque & ſanitati reſtitutus eſt per Euchariſtiam, in die Paſchatos ſumtam, uti refert Nazianz. orat. quam habuit in funere patris. Idem ibidem narrat, *matrem ſuam a gravi & periculoſa morbo panibus a ſe ſacrificante conſecratis ſpiritualiter nutritam convaluiſſe.* Idem Orat. in funere S. Gorgoniæ ſororis ſuæ teſtatur, *illam a membrorum omnium diſſolutione, ac graviſſimis cruciatibus, quibus affligebatur, per Euchariſtiam fuiſſe ſanatam.* THEOPHRASTUS ſane PARACELSUS pariter huc referendus videtur. Vocatus enim aliquando a ruſtico ægro, cum Euchariſtiæ uſum intelligeret, ſuæ arti jam non locum eſſe apud illum, qui alium auxiliatorem quæreret, ajebat, vid. B. GRYPHII *vit. ſelect. Erudit. viror. p. 616.* Pertinent & illi hanc ad claſſem, qui S. cœna corporis nutriendi & vegetandi cauſa uſurparunt. Ex quorum numero CATHARINAM SENENSEM, MARIAM OGNIACENSEM, S. EBRULPHUM ABBATEM producimus, qui SURIO teſte ſola Euchariſtia, ſine alio cibo, multo tempore vixerunt. De LUDOVICO PIO Imperatore relatum legimus, quod in ſupremo morbo totos XL. dies jejunus tranſegerit,

rit, S. cœnam ſolam quotidie ſumens. Nos cum Theologis Eccleſiæ purioris Evangelicæ DANNHAUERO Lacte Catechetico P. IX. & JOH. ADAMO OSIANDRO Th. caſual. P. IV. aliisque, finem hunc abominamur, atque ſanctiſſimum hoc Sacramentum *medicinam ac nutrimentum animæ, non corporis, vocari poſſe*, præeunte S. pagina & analogia fidei, docemus. Quod aſſertum argumentis quibusdam fulciemus, atque ab objectionibus diſſentientium breviter divina adſpirante gratia vindicabimus.

§. III.

I. Sacra Cœna ab optimo Teſtatore inſtituta eſt *in remiſſionem peccatorum* Luc. XXII, 19. 20. Matth. XXVI, 28. quod contra THEOD. HACKSPANIUM B. CALOVIUS in diſſert. ſolenni A. 1685. & contra *Dippelium*, aliosque hujus farinæ Fanaticos Dn. D. JOH. JOACH. WEIDNERUS diſſert. pecul. A. 1710. Roſtoch. habita, contra *Pontificios* Canon. V. Concilii Trident. concludentes: *Si quis dixerit, præcipuum fructum Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum anathema ſit!* B. DANNHAUERUS P. IX. Lact. Catech. p. 402. aſſeruerunt. Jam, ſi cibus iſte ſanctisſimus a Salvatore ſanctisſimo in remisſionem peccatorum, in commemorationem ſui ordinatus eſt, ſequitur, quod animæ

 non

non corporis nutriendi & conſervandi cauſa ſit datus, cum alias intentio Chriſti mutaretur, & ſalutaris finis, a Salvatore intentus, non obtineretur.

§. IV.

II. Chriſtus præterea *poſt cœnam vulgarem* Eucharistiam inſtituit, conf. Luc. XXII, 20. vide B. GERHARDUM, qui *Harm. Evangel.* Tom. II. p. 1083. Evangeliſtas prima fronte a ſe invicem diſſentientes, conciliavit. Eo ipſo autem clariſſime demonſtravit, cibum hunc, quem diſcipulis exhibebat, non ad alendum corpus, ſed reficiendam animam, non ad conſervationem animalis aut temporalis, ſed ſpiritualis & æternæ vitæ, ordinatum eſſe. Quod Chriſtiani Eccleſiæ primitivæ probe intelligentes per aliquot ſecula ſumta prius cœna vulgari Eucharistiam celebrarunt. Id quod etiam ex *Agapis* patet, quæ poſt ſeculum II. a nato Chriſto deſierunt, & ab urgenti primorum Chriſtianorum amore ortæ videntur, vid. Unſchuld. Nachr. 1703. p. 136. nec non D. JOH. NIC. QUISTORPII diſput. *de Agapis naſcentis Eccleſ. Chriſtianæ*, Roſtoch. 1711. inprimis excellentiſſimi Dn. D. BOEHMERI *Diſſert. Juris Eccleſiaſt. Antiq. ad Plinium, & Tertullian.* Diſſert. 10. pag. 223. ſq. Quodſi Redemptor noſter ſapientiſſimus corpori mederi voluiſſet, non poſt, ſed ante cœnam, non in remisſionem peccatorum, quæ animam vulne-

vulnerant & lædunt, (corpus peccati particeps redditur ſaltem ut inſtrumentum animæ,(*) ſed in ſanitatem corporis inſtituiſſet, & dubio procul finem iſtum, ſi vel aliquo modo intendiſſet, explicitis verbis indicaſſet. Iſtud cum non factum ſit, firmiter concludimus, cœna ſacra medicinæ loco utentes *contra finem Sacramenti* impingere.

§. VI.

III. Superſtitio, quam repudiamus, ſummum hoc myſterium elevat. Corporis conſervationi medicamenta inſerviunt, de quorum effectu rationes phyſicas reddere poſſumus, ſunt enim ex regnis animali, minerali, vegetabili deprompta. Quin omnis medicina, cujus operatio cauſas naturales tranſcendit, vel ad easdem reduci nequit, piis Chriſtianis, voluntati divinæ ſeſe committentibus, eſt ſuſpecta, quorſum curæ nonnullæ ſympatheticæ, caracterum & figurarum Taliſmanicarum (**) appenſio, & interdum trans-

 planta-

(*) Corpus vocamus *inſtrumentum animæ*, non autem *inſtrumentum hominis*, uti Arminiani volunt; quia corpus eſt pars eſſentialis hominis æque ut anima.

(**) TALISMAM vel TILSEMA eſt *ſtatua ſub certa conſtellatione facta*, in quam ſuperiores mundi virtutes derivantur. In genere ſignificat quemlibet lapidem, gemmam, annulum, laminam literis, ſignis, & caracteribus incisis notatam, vid. GREGOR. MICHAE-

plantatio quoque morborum a me in *Obſervationibus miſcellaneis* T. III. p. 596. (quas perperam Auctor der müßigen Stunden, P. IX. perſtringit)

LIS *Not. ad Gaffarell. Cur. inaudit. pag.* 258. Sunt Talismani icunculæ aliæve figuræ gemmis inſculptæ, aut ex auro, argento, ære, ferro conflatæ, cuſæque, aut e ligno vel lapide cæſæ, conſecrationibus carminibusque myſticis, aliisque certis artibus, inprimis obſervato ſyderum motu, ad mala averruncanda, aut proſpera conferenda factæ, ita *Mr. Baudelot de Dairval de l' utilité des voyages* T. II. p. 394. ubi tales figuras æri inciſas exhibet. De uſu earum phyſico Dn. D. RUDIGERUS ob ſublimitatem, ut loquitur, rerum nondum aliquid definire vult. *Phyſic. divin. L. I. cap. IV. ſect. IV. §. 61. p. 171.* mirandum tamen iis effectum in curandis febribus aliisque morbis aſſignat Autor gallicus quidam, qui Anno 1675. ἀνονύμως diſcurſum phyſicum *de influxu Aſtrorum* Pariſiis edidit, cujus ſummam vide in *Journ. des Scav. T. II. A. 1675. p. 76--82.* melius GODOFREDUS BIDLOO *Exercit. Anatomic. Chirurgic. decad. I.* (A. 1708. edit. in 4to) amuleta talismanica ſuperſtitioſa, ſacrilega, & ridicula vocavit.

git) improbata, * ſpectant. Jam ſi perpendas ſacramentum corporis & ſanguinis Domini pavendum myſterium Gregorio M. audiviſſe, & ab Eccleſia primitiva inter majora Chriſtianiſmi myſteria relatum fuiſſe, quorum aſpectu etiam Catechumeni prohibebantur, facillime divinabis, ſublimitati illius multum decedere, ſi remediis talibus adjungatur, imo æquiparetur, quorum efficacia a cauſis phyſicis dependet. Aſt Sacramentum noſtrum rationis ſphæram longiſſime excedere inter Chriſtianos veros pie creditur.

§. IV.

IV. Ad S. cœnam accedens ex mandato Apoſtoli ἑαυτὸν δοκιμάζειν, & SIC, (aut ut Syrus reddit TUNC,) quando ſcilicet ſe prius probaverit, de pane illo edere, & de calice bibere debet 1. Corinth. XI, 28. Eſt autem δοκιμάζειν idem ac *explorare, judicare, num aliquid recte ſe habeat?* Significat non ſolum ſe ſuasque vires examinare; ſed & rem, quæ ſuſcipienda eſt, debito modo ponderare, atque ita ejus dignitatem, difficultatem, neceſſitatem & utilitatem, ſi decenter peragatur, nec non damna atque pericula, ſi circa eam erretur, recte intelligere. vid. Dn. D. BUDDEI *Theol. moral. P. I. p. 434.* & B. JOH. GEORG. NEUMANNI *diſſert. inaugural. Witeb. 1709. §. 3.* Sed quid opus eſſet tam ſedula tamque

* Nuperrime doctiſſimum ſcriptum de *Taliſmanibus* Dn. PETR. FRID. ARPE, vir litteratiſſimus, edidit.

que provida δοκιμασία, ſi cibus iſte medicinæ vicem ſuſtinere ex mente Chriſti, & virorum θεοπνεύστων debuiſſet? In adhibendis medicamentis prudentia, verum non tanta, quantam Paulus inculcat δοκιμασίαν, requiritur. Hanc intermittens, judicium ſibi ipſi comedit & bibit, reus evadit corporis & ſanguinis Domini 1. Cor. XI, 27. 29. Quis unquam medicus ægrotanti medicinam propinans talem comminationem addidit, aut addere potuit? Jubet proinde Doctor gentium probe diſcernere corpus Domini, & ſic cibum ſacramentalem, non a vulgari ſaltem quotidiano, ſed φάρμακον animæ quoque a corporali diſtinguit.

§. VII.

V. Nemo, ut opinor, Capernaiticum errorem ſuum faciet. Execramur enim cum B. FRANZIO Orat. *cur Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit vocatus Emmanuel*, Witeb. 1597. p. 48. ſq. „ capernaiticas opiniones, quaſi dentibus comminuendum, & fruſtratim conſumendum ſit corpus „ Domini, ſicut fit in cibis quotidianis, ſed cum „ Teſtamentum Filii Dei diſertis & perſpicuis „ verbis affirmet, in cœna non tantum eſſe divinitatem aut virtutem aliquam, aut memoriam, „ ſed ipſum corpus, & ſanguinem Chriſti, & „ quidem corporaliter, ut loquitur Aug. Confeſſ. Apologia, vel ut LUTHERUS interpretatur

„ tatur definitive h. e. non fictitie, ſed vere: id-
„ circo pie credimus, nos una cum pane mandu-
„ care ipſum corpus, & una cum vino bibere
„ ipſum ſanguinem Chriſti, non tamen juxta
„ craſſas & ſenſibiles rationes, ſed ſecundum mo-
„ dum cœleſtem, & ſecundum modum unionis
„ Sacramentalis. Neque Patrum quorundam Phraſes approbamus, *ex ſanguine & corpore Chriſti ſubſtantiam noſtram augeri & conſiſtere* ſcribentium, conf. Unſchuld. Nachr. 1711. p. 633. ſq. Iſtud firmiter nobis perſuadentes, quod ſuperſtitio, qua Symbola Euchariſtica medicinæ loco adhibentur, ab errore Capernaitico minime ſit immunis. Male, imo peſſime, P. TEMMIK in *Philoſophia vera* p. 462. *Stomachus minima Euchariſtica reſolvit, quo facto deſinit Sacramentum, & fit chylus, cui tamen materiam dant miſcibilia elementalia, ex quibus Chriſti corpus naturale conſtat.* Hoſtiæ quidem noſtræ verus panis corporis nutrimentum ſuppeditans rectiſſime vocantur, at corpus Domini, quod IN, CUM, & SUB illis vere & realiter utentibus exhibetur, nequaquam in chylum tranſit, aut corpori conducit, abſit blaſphemia! Rationes hactenus allatas conjunctim ſi Lector benevolus expenderit, mecum omni procul dubio fatebitur, *minus commode S. Cœnam a ſuperſtitioſis quibusdam pro medicina corporis haberi.* Nullus unquam error adeo deformis fuit,

qui

qui non fuco aliquo a deceptis illinitus fuerit. Audiamus itaque Objectiones nonnullas diſſentientium, easque diſcutiamus.

§. VIII.

Primo loco ad Experientiam omnium rerum magiſtram provocant, contendentes, plurimos ægrotos poſt S. Cœnæ uſum rectius valere incepiſſe, quin ſæpiuscule ex agone in vitam revocatos fuiſſe. Et mihi experientia ſemper in magno fuit pretio; quantum enim valeat & conducat in rebus omnibus rite cognoſcendis dijudicandisque doctisſima MAD. de SCUDERY Dialogo lectu jucundo (*T. I. Entret. de monde p. 122. ſqq.*) palam fecit. Hæcce tamen, ni fallor, adhibenda eſt cautela: Caveamus, ne Experientia unquam ſanæ rationi contradicat, quo in capite mecum conſentit BAYLE, medicus Toloſanus *in Diſcours ſur l' Experience, & la Raiſon* An. 1675. in 12. edito, deinceps ſedulo diſpiciamus, ne illam in trutinandis myſteriis fidei admittamus. Quibus poſitis Experientiam omnem hoc in caſu prætenſam reſpuimus, reconvaleſcentiam talium ægrotantium medicamentis, efficaciæ precum, divinæ omnipotentiæ & clementiæ, aut etiam temperamento robuſto, minime omnium vero Euchariſtiæ uſui adſcribentes. Poteſt enim experientia contraria allegari, ſiquidem inter mille vix decem homines occurrunt,

currunt, qui S.Cœnæ participes facti a ſponda fatali liberantur. Evaneſcit igitur exceptio ab Experientia deprompta.

§. IX.

Sed alia in promtu eſt. *Si anima ſanatur*, pergunt, *etiam corpus; eſt enim inter utrumque arctiſſima unio & connexio.* Reſpondemus, conſequentiam iſtam minus feliciter procedere. Dantur innumeræ inſtantiæ h. l. non enumerandæ. Quoties quæſo rectisſime valet corpus, animus eſt in patina; capiti pedibusque bene eſt, anima vero triſtitiæ nebulis plane obducta variisque anxietatibus oppreſſa gemit? Quoties miſer ægrotus vix osſibus hæret, anima vero, gaudio cœleſti perfuſa, nullius inopiæ, nullius doloris ſibi conſcia eſt? Præterea ſi vel concederem, morbum poſt impetratam remisſionem, dignumque Sacramenti confirmationis uſum ceſſare, exinde tamen non ſequeretur, cœnam S. eſſe medicinam corporis. Sublata enim cauſa (peccato nimirum) tollitur effectus, (morbus ſcilicet.) vid. Matth. IX. v. 6.

§. X.

Diſpiciemus nunc, quid ad locum Matth. VIII, 17. ad quem ſuperſtitionis hactenus impugnatæ Patroni tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, reſpondendum ſit? Narraverat

Evange-

Evangeliſta v. 16. *Jeſum ſpiritus ex obſeſſis verbo ejeciſſe, & omnes male ſe habentes allatos ſanaſſe*, addit v. 17. *ut impleretur, quod dictum eſt per Eſaiam Prophetam dicentem, ipſe infirmitates noſtras ſuſcepit, & morbos portavit.* Si igitur ipſe Evangeliſta Spiritu S. incitatus ab Eſaia de curatione morborum ſpiritualium, peccatorum nimirum, prædicta ad ſanationem infirmitatum corporis, a Chriſto tunc temporis peractam, applicuit, quid prohibet, quo minus credamus, eundem Dominum in S. Cœna realiter præſentem adhuc hodie morbos corporis tollere? Verum enim vero oleam & operam perdunt ad locum allegatum provocando ſuperſtitioſi. Etenim Matthæus, verſione LXX. relicta, textum authenticum preſſius ſequitur; (quanquam JOHAN. PEARSONUS in *Annot. ad S. Ignatii Epiſtolas genuinas* p. 25. perperam exinde colligat, Matthæum Evangelium ſuum hebraice ſcripſiſſe,) & dicere quaſi vult: Tunc Eſaiæ vaticinium adimpletum fuit, quod Jeſus morbos abſtulerit, & pro iis ſanandis curam geſſerit *non ſine delaſſatione*, quam humanæ naturæ patiebatur imbecillitas, id enim verbum βαςάζειν innuit, vid. B. GOTTFR. OLEARII *Obſ. in Matth. Obſ. XXIX. pag. 256. ſq.* Hoc modo neutri virorum ſanctorum de infirmitatibus animæ, ſive peccatis, ſermo fuit. Ponamus autem explicationem communem ſua luce radiare, nihil tamen pro ſuo errore diſſentientes præſidii reperient. Poſ-

ſumus

ſumus enim cum B. DORSCHEO Comment. in h. l. p. 138. reſpondere, *Matthæum oſtendere voluiſſe, officia Chriſti jam conjunctim fluere, nempe ſacerdotale, de quo Eſaias, Regium & Propheticum, ſub quibus etiam miracula comprehenduntur*, aut cum B. VELTHEMIO aſſerere, Evangeliſtam indicaſſe, Chriſtum ſanando ægrotos a morbis corporalibus, hoc *quaſi præludio* ſignificaſſe, ſe & ſpirituales hominum morbos ſanare poſſe, *Diſſert. Theol. de Scr. S. literal. & myſtico ſenſu* §. 20. Jen. 1686. Non video proinde, quantum roboris ſententiæ contrariæ hoc loco Evangelico accedat? a muneribus enim officii Chriſti prophetici, ad finem cujus S. S. myſterii corporis & ſanguinis Chriſti nemo ſobrie argumentabitur.

§. XII.

Sicut autem ſuperſtitionem creduli vulgi S. Cœna ſanitatis recuperandæ, vel mortem effugiendi cauſa fruentis ad extremos Garamantas ablegamus: ita inficias ire nolumus, ſanitatem corporis *gratuitum præmium accidentale* digne tremendo hoc ſacramento utentium appellari poſſe. Id quod vi oppoſitorum pateſcit. 1. Corinth. XI, 30. divus Apoſtolus ſcribit: *Propter hoc* (quia indigne comeditis & bibitis) *multi*

infirmi & invalidi inter vos ſunt, & dormiunt multi. (*). Jam collige: Si Deus in juſtam pœnam indignos exquiſitisſimis morbis excruciat, quin imo ipſa morte mulctat, ſequitur, quod digne accedentes *forte a morbis præſerventur, priſtinam valetudinem ſecundam conſequantur, vel longiore vita in hoc ævo beentur.* Subjicio hanc meam ſententiam Theologorum orthodoxorum judicio, & poſito illam firmam eſſe, nollem tamen concedere, exinde colligi poſſe: *E. Sacra Cœna poteſt medicina corporis vocari.*

(*) Ita explicat h. l. D. HIERONYMUS vel quisquis Auctor ſit *Comment. in I. Epiſt. ad Corinth.* T. IX. p. m. 198. b. ſcribens: *ſignificat* (Paulus) *Corinthios propter ſupra dictum peccatum ægrotatione, & imbecillitate, & morte a Domino eſſe correptos.* Inter recentiores mihi jam ſuccurrit Theologus accuratisſimus B. SCHOMERUS h. l. ita dilucidans: *Hinc patet, judicium Dei apud Corinthios vindicaſſe contemptum Sacramenti, ut multi ægrotarent, & multi cita morte abrepti eſſent. Cujusmodi exemplis Deus voluit reliquos ad majorem cautionem adducere.* Exegeſ. in Epiſt. ad Corinth. p. 100.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVII.

M. TOB. ECKHARDI,

Quedlei Rectoris,

de

Scholis a Iuliano Apoſtata Chriſtianis occluſis.

I.

MAgnum IULIANI, Imperatoris ſapientis, fortis, temperantis, imperioque vtilis, in hiſtoria nomen eſt, neque tamen perinde bonum atque laudabile per omnia exiſtimatur. Laudem enim, quam fortitudine, rebus praeclare geſtis, ac ſapientiae eloquentiaeque ſtudiis commeruit, non parum obſcurauit foedauitque eius inconſtantia, & a fide chriſtiana, ſi vnquam ſincere eam imbibit, animoq; tenuit, *a*) defectio, & gentis chriſtianae odium vexatioque ingens.

a) Quo de diſquiritur in *Obſ. Hallenſ.* Tomo III. obſ. IX.

Quanquam enim cruore abſtinuit, vt EUTROPIUS ſcribit, b) & aperte ferro flammisque in chriſtianos non ſaeuiit, nec publico eos edicto vexauit, quod ipſe iactitat; c) non tamen ſine omni eccleſia ſanguine permanſit, idque variis artibus inſidioſe egit, vt opprimeret cultum chriſtianum, paganamque ſuperſtitionem ſuſcitaret iterum ac propagaret. In technis hiſce atque inſidiis non poſtremae cenſeri debent, cum *Scholas chriſtianorum iuſſit occludi, literasque humaniores iuuentutem chriſtianis addictam ſacris doceri prohibuit.* Num ſcholas Iulianus occluſerit chriſtianis vniuerſas, an certa tantum conditione, res eſt, quam breuibus iuuabit exquirere.

II.

Recentiores ſi conſulamus, nihil definite pronunciant, & occluſas tantummodo ſcholas fuiſſe ſcribunt. Vir doctiſſimus, IO. CONR. DIETERICUS ſcholas chriſtianorum Iulianum occluſiſſe ſcribit d)

b) Breuiar. L. IX. c. 8.
c) Epiſt. XLIII. p. 424.

d) Hiſtoria Eccleſiaſtica Gothana: *ſcholas Chriſtianis* Iulianus *claudit*, *liberosque eorum in literis inſtitui vetat*. *e*) FRIDER. SPANHEMIUS ſcholas Chriſtianis interdictas ſcribit. *f*) CHRISTIANUS MATTHIAE *iubebat*, inquit, *ipſorum* Chriſtianorum *ſcholas claudi*, *ne addiſcerent liberales artes*. *g*) Similiter IO. PAPPUS: *legem tulit*; *ne Chriſtiani Grammaticam aliasque liberales artes vel docerent, vel diſcerent*. *h*) Omitto alios, qui ſimili ratione generatim clauſas fuiſſe ſcholas ſcribunt.

III.

Veteres igitur aduocemus ſcriptores, eosque arbitros, qui ſoli hac in cauſa idonei exiſtunt, deligamus. AUGUSTINUS *an ipſe*, inquit, Iulianus *non eſt eccleſiam perſecutus*, *qui Chriſtianos liberales literas*

N 3 *docere*

d) Breuiar. Hiſtor. p. 212.

e) p. 331.

f) Summ. Hiſt. Eccleſ. p. 195.

g) Theatr. IV. Monarch. p. 691.

h) Epit. Hiſt. Eccleſ. p. 140. vid. Kippingius in not. p. 122.

docere ac diſcere vetuit. i) Dubium videri queat, quid ſignificare velit ſanctus Pater, num Chriſtianis interdixerit, vt ipſi docerent artes liberales, an generatim & illis, & paganis, vt ne hi quidem Chriſtianos in diſciplinam reciperent. Priorem ſenſum AMBROSIUS exprimit: *petunt etiam, vt illis priuilegia deferas, qui loquendi & docendi noſtris communem vſum Iuliani lege proxima denegarunt. k*) Et ipſe Hipponenſis Praeſul: *Imperatoris Iuliani temporibus lege data prohibiti ſunt Chriſtiani docere literaturam & oratoriam. l*) Certe MUSONIUS Iuliano imperante τόπου τοῦ παιδεύειν ἐξειργόμενος, *a docendi munere excluſus eſt*, propterea quod Chriſtianus eſſe videbatur, vti prodidit EUNAPIUS. *m*)

IV.

Ipſum audiamus Iulianum, optimum ſuae mentis interpretem. Chriſtianos eum

i) De Ciu. Dei L. XVIII. c. 52.
k) Relat. I. contr. Symmach. in epiſt. Symm. p. 469.
l) Confeſſ. L. VIII. c. 5.
m) In v. Proaereſii p. 153.

eum intellexiſſe doctores ex verbis eius ſatis confirmatur, cum abſurdum eſſe ait, qui libros Homeri, Heſiodi, Demoſthenis, Herodoti, Thucydidis, Iſocratis, Lyſiaeque exponant, Deos vituperare, quos tamen auctores illi coluerint: neque tamen velle ſe, vt diſcipulorum cauſa ſententiam mutent, ſed aut ne doceant, quae non bona eſſe cenſeant, aut ſi doceant, perſuadeant diſcipulis, nihil impietatis in auctoribus iſtis contineri, illorumque cultum imitentur; aut ſi ab hisce in Deum peccatum eſſe arbitrentur, in Galilaeorum abeant eccleſias, ibique Matthaeum & Lucam interpretentur, vt eorum & aures & lingua, quod ludens addit, renaſcerentur, *n)*

V.

Sed Sophiſtas paganos audire fortaſſe permiſſum fuit Chriſtianis, bonasque artes ex illis addiſcere. Neque hoc permiſit Iulianus. Socrates ſcribit, τὰς χριςιανὰς ἑλληνικῆς παιδείας μετέχειν ἐκώλυεν, *Chriſtianos humaniore imbui literatura vetuit. o)*

 ἑλλη-

n) Ep. XLII. p. 423.
o) Hiſt. Eccleſ. L. II. c. 14.

ἑλληνικὴ παιδεία, quam Romanos adoleſcentes addiſcere, Romae agente cum aliis Carneade, Athenienſium legato, M. Cato, Plutarcho teſte, aegre tulit, ipſe tamen iam ſenex addidicit, *p*) quid ſit, A. GELLIUS interpretatur: *qui verba latina,* inquiens, *fecerunt, humanitatem appellauerunt id propemodum, quod Graeci* παιδείαν *vocant, nos eruditionem inſtitutionemque in bonas artes dicimus.* *q*) Graecas itaque literas graecorumque diſciplinas, quibus ad humanitatem iuuentus imbui ſolet, intelligi facile intelligitur. Sed non eſt, vt aliunde interpretes aduocemus: habemus doctorem Chriſtianum SOZOMENUM, optimum mentis Iuliani interpretem: *non permiſit, vt Chriſtianorum liberi Poëtas, & alios ſcriptores gentiles perdiſcerent, horumue doctores audirent.* *r*) Quoscunque igitur, ſiue chriſtiani eſſent, ſiue pagani, audire prohibuit. THEODORETUS clarius exponit: *vetuit*, inquit, *ne Galilaei* (ſic

vocat

p) in V. Catonis p. 349. C. Nepos in V. Catonis c. 3. Cicero de ſeneſt. c. 8.

q) Noct. Attic. L. XIII. c. 15.

r) Hiſt. Eccleſ. L. V. c. 17.

vocat Iulianus chriſtianos) *Poëticam, Rhetoricam, aut Philoſophiam diſcerent.* s) Clariſſime omnium AMMIANUS MARCELLINUS, homo gentilis, & olim miles ſub Iuliano: *illud*, ait, *inclemens obruendum perenni ſilentio, quod arcebat docere magiſtros Rhetoricos & Grammaticos ritus chriſtiani cultores.* t) Magiſtri illi Rhetorici & Grammatici non alii ſunt, quam Sophiſtae, qui ornate copioſeque dicendi facultatem & artes vniuerſas, quibus ad humanitatem adoleſcentia imbuitur, vtpote Poëticam, eique ſubſeruientem Mythologiam, Hiſtoriam, & Philoſophiam docebant, quorum vitas EUNAPIUS atque PHILOSTRATUS deſcripſerunt. Equidem Iulianus hoſce diſtinguit, τῶν παλαιῶν ἐξηγηταὶ γενόμενοι συγγραμμάτων, εἴτε ῥήτορες, εἴτε γραμματικοὶ, καὶ ἔτι πλέον οἱ σοφισταί. *Qui adoleſcentes in veterum ſcriptis inſtituunt, ſiue ſint rhetores, ſiue Grammatici, & praecipue Sophiſtae.* u) Sed ſtrictiori hic verborum

s) H. E. L. III. c. 7.

t) L. XXII. p, m. 239.

u) epiſt. XLII. Vid. Acta Philoſoph. P. I. p. 32. ſq.

quodque accipit, & Sophiſtae nomen de veterum more, cum ampliatione quadam interpretatur, cum addit: *qui non ſolum verborum, ſed etiam* MORUM MAGISTROS *ſe eſſe volunt, & ad ſe philoſophiam de* ADMINISTRANDIS REBUS PUBLICIS *pertinere contendunt.* Grammaticus etiam ille dicitur, qui omnem literaturam ſeu literarum eruditionem, omniumq; diſciplinarum cognitionem animo comprehendit, quem πολυμαθῆ, Criticum & Polyhiſtorem appellant; diſtinctum longe a Grammatiſta, qui literarum rudimenta inculcat, primasque lineas quaſi ducit. *) Noluit igitur Iulianus, vt bonas & liberales artes chriſtiani neque a chriſtianis, neque a ſophiſtis paganis addiſcerent, auctoresque profanos, Poëtas, Hiſtoricos, oratores voluerent, legerent atque audirent.

VI.

Aſt Iulianus tamen aliter ſuam declarat mentem in epiſtola ſuperius citata quadrageſima ſecunda. Cum enim ea expoſuiſ-

*) Vid. Woweri Polymath. cap. II. & IV.

fuiſſet, quae iam attulimus, ſubiungit iis, quod doctoribus legem hanc ſtatuat, adoleſcentes autem, qui ire velint, minime prohibeant; propterea quod adhuc ignaros, quo ſe vertant, a via repellere iniquum eſſe videatur. Vbi permittere videtur, *vt chriſtiani adoleſcentes ſcholas ſophiſtarum non-chriſtianorum frequentent.* Et LUDOVICUS VIVES ſcribit, quod Prohaereſio, ſophiſtae Caeſarienſi, cum Athenas veniſſet, Iulianus conceſſerit, vt ipſe ſolus chriſtianos docere poſſet; ſed eruditus homo, indignatus tam atrox & iniquum Principis edictum, ſcholam reiecerit non ſine ſtudioſorum permagno dolore. y) Fuſe Proaereſii vitam Eunapius deſcripſit, neque tamen vllam ibi eius rei iniicit mentionem. Sed is ex Armenia, non Caeſarienſis fuit. z) SVIDAS commemorat Proaereſium, Caeſarienſem ſophiſtam, qui Iuliani vixerit tempore; ſed cui vt aegre imperator faceret, librarium magis colue-

y) not. ad Auguſtin. de C. D. L. XVIII. cap. 52.

z) in V. Proaereſii, p. 125 - 128. ſqq.

coluerit ac honorarit. *aa*) Quod ſi ita eſt, non veri ſit ſimile, ei fuiſſe permiſſum, vt chriſtianos in diſciplinam ſolus reciperet. An PHILOSTRATUS aliquid de eo prodat, nunc exquirere non licet. Illud vero intelligimus, quod cum ſolus ſcholas aperire potuerit, tamen indignatione commotus edicti Iuliani deſeruerit ſcholam. Et Auguſtinus loco, ſuperius e ciuitate Dei citato, diſerte ſcribit, quod *diſcere vetuerit literas liberales*: & in altero e Confeſſionum libris laudat Victorinum aliquem, qui legem Iuliani amplexus loquacem ſcholam malueret deſerere, quam verbum illud, quod linguas infantium facit diſertas. Quod nos exemplum docet, deſeruiſſe ſcholas gentilium Chriſtianas, etiamſi permiſerit Iulianus. ORIGENES quidem *Plotinum*, *bb*) *Libanium* BASILIUS MAGNUS & GREGORIUS NAZIANZENUS, alii alios, audiuerunt: ſed factum hoc eſt ante latam a Iuliano legem. Similiter Ruffinus Iuliani mentem eſt interpretatus: *ſtudia auctorum gentilium*

aa) in V. προαιρέσιος.
bb) Eunapius in V. Porphyrii p. 34.

um chriſtianos adire prohibens ludos literarum illis ſolis, qui Deos Deasque venerarentur, patere decernit. cc) Quod itaque in Epiſtola Iulianus adoleſcentibus chriſtianorum inſidioſe permittit, vt ſcilicet inescarentur, id in lege haud dubie generatim prohibitum fuit.

VII.

Cauſam interdicti ſi quaeramus, THEODORETUS loco antea citato hanc prodidit: τοῖς οἰκείοις φησὶ πτεροῖς, κατὰ τὴν παροιμίαν βαλλόμεθα. ἐκ γὰρ τῶν ἡμετέρων συγγραμμάτων καθοπλιζόμενοι τὸν καθ' ἡμῶν ἀναδέχονται πόλεμον. CASSIODORUS haec ita interpretatur: *propriis pennis, ſecundum prouerbium, vulneramur: ex noſtris enim armati conſcriptionibus contra nos bella ſuſcipiunt:* dd) quae verba in Theatro MATTHIAE Ruffino tribuuntur, addito loco, quem ſupra citauimus, vbi nihil omnino legitur. Tantum putabat intereſſe literas Graecorum noſſe chriſtianos, vt imminui putaret Iulianus paganam ſuperſti-

cc) Hiſt. Eccleſ. L. I. c. 32.
dd) Hiſtor. Tripart. L. VI. c. 17.

perſtitionem, ſi eos cognoſcerent, huiusque abſurditatem ex iis demonſtrarent. Certe CLEMENS ALEXANDRINUS, ARNOBIUS, MINUTIUS FELIX, & alii, feliciter argumentum hoc ſunt contra gentes perſecuti, viuisque coloribus paganam ſuperſtitionem depinxerunt. GREGORIUS NAZIANZENUS, Iuliani æqualis, & Athenis ſtudiorum ſocius, hanc rationem affert, quod ſermo Græcus non linguae, ſed religionis eſſet, eaque velut alieni boni fures a ſermone Graeco eſſe arcendos chriſtianos. *ee*) Pluribus hanc rationem vtroque loco confutat, oſtenditque inter alia, ſubdole prolatam hanc fuiſſe orationem, cum potius timuerit, ne impietas pagana confutaretur. Sermo Graecus & linguae & religionis ſit: non refragabimur magnopere: neque vero hoc impedit, quo minus & chriſtiani eius auctores voluant ac legant, etſi non omnia probent. Atque hinc *inclemens edictum* a MARCELLINO appellatur. Accipimus tantiſper id, quod ἑλληνα λέγον καὶ ἑλληνίζειν, *Graecum ſermonem atque graeca-*

ri,

ee) Orat. III. adu. Iulian. p. 51--97.

ri, vt in tranſcurſu hoc addamus, religionis eſſe ait Iulianus. Inde enim lucem accipit, cum ſacri ſcriptores orbis terrarum incolas in Iudaeos & Graecos diuidunt, Act. XVIII. 4. Rom. III, 9. 1. Corinth. I, 24. vt Graecorum nomine vniuerſos comprehendi intelligamus, qui paganam ſuperſtitionem, quos inter facile principes Graeci fuerunt, ſunt ſectati.

IIX.

Dum autem Iulianus prohibuit a lectione ſcriptorum Graecorum chriſtianos, vt chriſtiana iuuentus non omni deſtitueretur ſtudio humanitatis, APOLLINARIUS vterque, pater & filius, quorum ille εὐθὴς γραμματικὸς, *perfecte literas doctus*; filius autem Sophiſta audit, vtilem eccleſiae operam praeſtiterunt, & tum Moſis aliosque Veteris Teſtamenti libros carmine heroico expreſſerunt, vel per tragoediae formam exhibuerunt; tum Euangelia & alia Noui Teſtamenti ſcripta ad morem Platonis in dialogos redegerunt, ne Graecae locutionis forma chriſtianis inaudita

ac

ac inuſitata relinqueretur. *ff*) Sed genus hoc ſcriptorum omne interiit, niſi Tragoediam, quae *Ieſus patiens* inſcribitur, & GREGORII NAZIANZENI nomen praeſert, *reliquias Apollinarii ſenioris* dicamus. Perire permiſit Deus, quicquid humana prudentia excogitarat ad conſulendum eccleſiae, vt ſuae prouidentiae laus conſtaret, quae nunquam eam prorſus deſtituit.

IX.

Num cauſam habuerit GREGORIUS M. cur plures aboleuerit auctores profanos; & GRATIANUS, cur Theologis interdixerit lectionem gentilium ſcriptorum; & alii nonnulli, cur e ſcholis eosdem eliminari cupiant, nunc non diſquiro, ſed aliis diiudicandum, ſi nondum diiudicatum iam ſit relinquo.

---

ff) *Socrates* Hiſt. Eccleſ. L. II. c. 14. *Sozom.* H. E. L. VI. c. 25. *Hieronym.* Catal. Script. Eccleſ. c. 104. & not. h. l. *Caue* Hiſt. Liter. Sc. Eccleſ. p. 125. 141. *Olearius* Biblioth. Script. Eccleſ. p. 71. ſqq.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVIII.

M. DAN. FRIDERICI IANI,

Schol. Torgau. Con-Rect.

de

Odio Veterum Germanorum in cauſſarum Patronos.

Quam capitali odio Germani * veteres cauſſarum patronos habuerint, & quam crudeliſſime cum eisdem

* De origine nominis Germanorum & Germaniae agit doctiſsimus IOANNES HENRICUS EGGELINGIUS in diſſertatione de miſcellan. German. antiquitatibus; cui addi poteſt theſaurus Electoralis Brandenburgicus ſelectus, vbi in nomen Germanorum ex inſtituto inquiritur. Eggelingius autem putat, Teutones dictos eſſe, quod Cimbri ad Maurium legati ſibi & fratribus ſuis Teutonibus agros petiiſſent. Hinc a Marii militibus Teutones dictos Germanos eſſe, ſcilicet Cimbrorum. Sed quid

 mili-

eisdem egerint, nullum certius argumentum habemus, quam e L. ANNAEO FLORO, Romano ſcriptore, qui lib. IV. capite vltimo ait: *nihil illa caede per paludes, perque ſiluas cruentius, nihil inſultatione barbarorum intolerabilius, praecipue tamen in cauſſarum patronos: aliis oculos, aliis manus amputabant: vnius os ſutum, reciſa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem*, inquit, VIPERA SIBILARE DESISTE. Ingens omnino ſtrages fuit, cum barbari QUINTILIUM VARUM cum tribus legionibus, legatis & auxiliis omnibus feliciſſime oppreſſerant, de qua STRABO lib. VII. Geograph. p. 201. τὰ τρία τάγματα Ρωμαίων μετὰ τοῦ ϛρατηγοῦ Οὐάρου Κοϊντιλίου παρασπονδηθέντα, ἀπώλετο ἐν ἐνέδραις. L. ANNAEUS SENECA epiſtola XLVII. Varianae cladis meminit: *Mariana* ** *clade quam multos ſplendidiſſime natos, ſenatorium per malitiam auſpicantes gradum,*

alii ea de re cenſeant, videantur Tenzelii colloquia Menſtr. cIↃ IↃcxcvi pag. 702. & 979.

** Malim autem legere *Varianam*, quam vt vulgo legunt, *Marianam* cladem.

gradum, fortuna depresſit ? alium ex illis paſtorem, alium cuſtodem caſae fecit. Hoc detrimentum rei publicae Romanae Auguſtus Caeſar tam moleſte tulit, vt, referente Paullo Diacono, lib. VII. hiſtor. miſcell. cap. XV. veſte capilloque ac reliquis lugentium indiciis deformis, & ſaepe per vim doloris caput parieti allidens, clamaret: *Quintili Vare, redde legiones.* Haec aliaque ad Varum pertinentia ex aliis auctoribus adfert doctiſſimus RHENANUS in inſtitut. rerum Germanicarum nou-antiquar. lib. I. pag. 49. Huius quoque cladis veſtigia hinc inde in Veſtphalia extare celeberrimus Epiſcopus Paderbornenſis FERDINANDUS de FURSTENBERG aſſerit in monumentis Paderbornenſibus, p. 27. Sed, qui mirum? Varus Germanos aſſiduis iurisdictionibus vexauerat, teſte VELLEIO PATERCULO lib. II. hiſtor. cap. CXVII. qui exiſtimauerat, *eſſe homines, qui nihil, praeter vocem, membraque haberent hominum: quique gladiis domari non poterant, poſſe iure mulceri.* ***

*** PLINIUS lib. IV. hiſtor. natural. c. XIV. ait: *Germania multis poſtea annis, nec tota*

Ecquid autem profecerunt? haec clades gloriae propemodum Romanae finis; Germaniae autem laudis initium fuit. *Eſto*, inquit, CONRADUS SAMUEL SCHURZFLEISCHIUS, vir polyhiſtor, in diſſertatione de Arminio, Germanorum duce fortisſimo, ſectione XVII, *triumpharint Romani de Germanis. Saepe triumphus ſine victoria, ſaepe plus famae, quam gloriae & meritorum erat.*

II.

Hinc, vt fieri aſſolet, variae criminationes in cauſſidicos coniiciebantur, quos alii viperas, canes, togatos vultures; alii vilisſima capita, forenſia pecora, omnis nequitiae exempla, eorumque eloquentiam,

---

pericognita eſt. Certe maiores noſtri Romanis ignoti erant ad Cimbricum vsque bellum; quo tempore ſe primum in Italiam Galliamque diffuderunt, &, regibus domitis, variisque gentibus bello ſubactis, terrorem iniecerunt, & famam ſui nominis longe lateque propagarunt. Quod argumentum ex auctoribus ſpectatae fidei, more ſuo, hoc eſt, erudite eruit V. CL. CHRISTOPHORUS CELLARIUS, in diſſertatione de initiis cultioris Germaniae ſect. IX.

am, verba canina nominarunt: id quod ex Ammiano Marcellino, Apuleio, Salluſtio, Horatio, Columella, aliisque eiusdem generis auctoribus ſatis perſpicuum eſt. Quid? quod CORNELIUS TACITUS lib. XI. annal. de iis iudicauit, *nihil quidquam publicae mercis tam venale fuiſſe, quam aduocatorum perfidiam.* Haec aliaque complura huius generis dicteria e variis ſcriptoribus conlegit CHRISTOPHORUS ADAMUS RUPERTUS, celeberrimus olim Profeſſor Altdorfinus in obſeruationibus ad Florum, & CASPAR ZIEGLERUS, vir elegantiori non minus doctrina, quam iuris ciuilis adcurata ſcientia illuſtris, in Rabuliſt. ſiue in diſſertatione de artibus Rabulariis.

III.

Res eo vsque peruenit, vt, exemplo veterum Germanorum, Pannonii, qui Germanis proximi erant, iuſſu & auctoritate Regum, cauſſarum actores e ſuis finibus eiecerint. Haec omnia ita eloquitur LUDOVICUS VIVES lib. IV. de cauſſis corrupt. art. circa finem: *Venerunt in Pannoniam iuris conſulti aliquot, qui barbarum morem, vt ipſi dicebant, magno vultus &*

ſuperciliorum faſtidio aſpernati, auctoritate ſua facile perfecerunt, vt homines rudes atque ſimplices, illorum ſe ſapientiae concrederent. Cœperunt illi formulas praeſcribere, quibus eſſet petendum atque excipiendum, dies legitimos notare, iudici quoque aliquid adſignare, quod diceret, ne muta eſſet perſona. Breui tempore, vbi prius nullae erant lites, omnia vidiſſes feruere litibus, controuerſiis, petitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procraſtinationibus. Quod malum tantum & tam ſubitum animaduerſum, homines prudentiores detulerunt ad Regem, qui, re percognita, iuris conſultos illos continuo regni finibus excedere, & omnia in priſtinum morem reuocari. Sedata eſt ſtatim tempeſtas illa, tanquam ſi venti poſuiſſent.

IV.

HIPPOLITUS a LAPIDE, doctisſimus auctor, in praefatione diſſertationis de ratione ſtatus in Imperio noſtro Romano-Germanico imaginem iuris peritorum, ſatyrico plane more, exprimit, eosque paene ab omni dignitate & honoris cultu excludendos putat. Reges olim Hiſpaniae doctoribus iuris & aduocatis iter in Indiam

am edicto publico interdixerunt, cum male de hoc ordine iudicauerint. Vide CARPZOVII iuris prudent. forenſ. Part. I. conſtit. 1. definit. XVIII. & celeberrimi SAMUELIS STRYKII diſſertationem de conſcientia Aduocati cap. 1. num. LXXVII. Ferdinandus certe Catholicus expreſſe Petro Arlaſio prohibuerat, cum eum vicarium in Indiam ablegaret, vt ne iuris conſultos eo ſecum adduceret, qui auctores eſſent omnis confuſionis & controuerſiarum.

V.

Enim vero diſcrimen eſt faciendum inter Rabulas forenſes, quos eleganter deſcribit FRANCISCUS POLLETUS, Duacenſis iuris conſultus, in hiſtoria Fori Romani lib. II. cap. IX. quorum turba vbi ſtrepit, ibi litium anfractibus tota ciuitas ardet: & inter veros iuriſconſultos, quorum officium vitae humanae neceſſarium vel laudabile eſt, IV. cod. de Aduocat. diu. iudic. quod effatum imperatoris Anaſtaſii e collatione omnium titulorum codicis Iuſtinianaei, qui de aduocatis agunt, adcurate examinat conſultisſimus D. MENTETUS KETTWIGIUS in libro, de am-

bitu antiquo & hodierno, qui Bremae prodiit cIↄIↄcxcvi. De his vtique *M.* TULLIUS CICERO lib. I. de orat. cap. XLV. ait: *domus iuriſconſulti eſt totius ciuitatis oraculum.* Sed non eſt, quod exempla rei per ſe clariſſimae aliunde repetamus, quibus, quae diximus, illuſtrentur ad fidem plenius faciendam. Quis enim neſcit, MARCUM ANTONIUM PEREGRINUM, tam conſummatum in vtroque iure fuiſſe, vt pleniſſimo eruditorum conſenſu, *oraculum* vocacaretur; aut cui ignotum eſſe poteſt, SCIPIONEM PERIERIUM vocatum fuiſſe *Papinianum ſui ſaeculi.* Ceterum conſtat, in quanto pretio Alexander iuris conſultos habuerit, DOM. VLPIANUM, & IULIUM PAULLUM, vt ſine illis nihil ardui in ſuis negotiis & procuranda re publica ſuſceperit.

VI.

Quod igitur ad Germanos attinet, qui cauſſarum Patronis tam infenſi erant, non equidem eis rerum omnium ignoranti-

am

am * exprobro, cum nemini incognitum ſit, quanto ſtudio ſapientiam, probi-

O 5 tatem,

* Multi exiſtimarunt, Germanos veteres tam rudes fuiſſe, vt neque legere, neque ſcribere, vt ita loquar, potuerint: illamque eorum ignorantiam probare adniſi fuerunt e Cornel. Tacito cap. XIX. de moribus Germanorum, qui ita infit: *litterarum ſecreta viri pariter ac feminae ignorabant.* Tantum vero abeſt, vt ille locus, quem adlegant, crudem ignorantiam prodat, vt potius Germanorum animum indicet, a rebus Venereis, adulterio & ſcortatione alieniſſimum. Hanc interpretationem argumento eſſe conuenientiſſimam & per litterarum Secreta, litteras amatorias intelligi, dudum eruditi euicerunt; pluribusque id rationibus demonſtrauit D. ANDR. LUDOVICUS KOENIGSMANNUS, Profeſſor clariſſimus & Inſp. Gymnaſ. Oſnabr. duabus diſſertationibus in Academia Kilonienſi, quarum altera cIↃ IↃccvII. de origine litterarum apud Germanos agit: altera cIↃ IↃccvIII. de origine litterarum amatoriarum. Alio etiam loco auctor habet dictionem, ſecreta pectoris, quando infit: *gens non aſtuta, nec callida, aperit ſecreta pectoris*, hoc eſt, Germani ſunt cordati homines. Ceterum Germanos vete-

tatem, aequitatem & fidem amplexi fuerint. CORNELIUS TACITUS teſtatur, eos fuiſſe Germanos veteres, apud quos nemo vitia riſerit, neque corrumpere & corrumpi ſaeculum vocatum, plusque *boni mores* valuerint, quam alibi *bonae leges.* Ipſe quoque fide dignisſimus auctor, cum procurator Belgio datus eſſet, & Germanorum res propius intueretur, in eis non ſolum virtutes animaduertit, quas corruptis Romanorum moribus antetulit, ſed etiam multum *rationis & diligentiae:* id quod ſpeciatim de Cattis pronuntiat. Inde ex hoc recte faciendi ſtudio eſt, quod ex ingenito animi candore in leges Romanas non inquiſiuerint, ſed eas potius iniuſtas & earum propugnatores Germanici nominis oſores exiſtimauerint. Quamuis igitur, Romanorum exemplo Graecam Latinamque dicendi rationem tam impenſe

non

res in paganiſmo habuiſſe litteras, demonſtrat. D. IOANNES SCHILTERUS in praefatione der älteſten Teutſchen ſo wohl allgemeine, als inſonderheit Elſaßiſche und Straßburgiſche Chronicke von Jacob von Königshoven.

non excolerent ; conſiſtebat enim, vti CAESAR lib. VI. B. G. cap. XXI. memoriae prodidit, *vita eorum omnis in venationibus & cura rei militaris*, vt propterea nemo, aſſerente eodem auctore, ingenium inter eos exercuerit, nimirum eo modo, quo Latii ſolebant: & quamuis SENECA lib. I. de ira cap. XI. *Germanis quid animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius, quibus innaſcuntur, innutriunturque, quorum vnica illis cura eſt, in alia negligentibus:* quae ſingula de cupiditate fortitudinis bellicae teſtantur: attamen id non conſequitur, vt omnibus ingenii neruis ſint deſtituti, nihilque umquam ſapienter dixiſſe aut ſenſiſſe. Quum autem viderent, quod Romani in rebus dubiis & controuerſiis cauſſarum Patronos in auxilium vocauerint, ſibique inde iniuriam inferri, multum de eis apud Cornelium Tacitum conquesti ſunt, quod omnem ipſis libertatem ereptam cuperent. Quo factum eſſe non immerito exiſtimamus, odium Germanorum veterum in cauſſidicos enatum fuiſſe. Quod autem bonos illos viros cum Sycophantis, calumniatoribus & viperarum veneno comparauerint, male egerunt: quodque

que fatum alii etiam in re publica bene iam conſtituta experti ſunt. Ipſe CICERO, iuris conſultus magnus, & facundiſſimus apud Romanos orator, quique in foro maxima cum laude cauſſas egit, idem experiebatur. Cum enim occiſus eſſet, FULVIA, Antonii vxor, caput, antequam auferretur, in manus ſumſit, atque atrocibus verbis illudens & conſpuens genibus ſuis impoſuit, & linguam ex ore extractam acubus, quibus ad capitis ornamentum vtebatur, compunxit, additis multis exſecrandis opprobriis.

OBSERVATIO LXXXIX.

M. IOH. AUGUSTINI EGENOLFI,

Ill. Gym. Gr. Coll. T.

exhibens

conſiderationem

Animæ Longolianæ.

§. I.

Cum nuper experientiſſ. Dn. D. Longolii ſcriptum ad oculos meos perveniſſet, quod non ita pridem edidit hoc titulo:

JOH.

JOH. DANIEL LONGOLII Phil. & Med. Doctoris: *Wahrhafftiger Temperamentiſt, oder unbetrügliche Kunſt der Menſchen Gemüther nach ihren Haupt-Eigenſchafften zu unterſcheiden, auf Verlangen dem Drucke überlaſſen* &c. Argumento libri motus, avide illum perlegebam. Etenim ſperabam, me novas ibi obſervationes inventurum, quia Medicorum hac de re ſcripta rariora ſunt, licet certum ſit, illis optimam eſſe occaſionem, ut alia naturæ arcana, ita quoque temperamenta, quæ vulgo vocant, perſcrutandi. Neque etiam ſpes me fefellit. Vidi enim Dn. D. id inter cetera agere, ut nobiliſſimam de anima humana doctrinam præcipue explicet.

§. II.

Stuperent ſane ipſe Hippocrates & Galenus, ſi redirent, atque detectas noſtro ſeculo obſervationes in anatomia & corporis humani contemplatione, quæ ipſis fuerunt plane ignotæ, viderent. Hæc vero via, quæ alios in hoc ſtudio ad veritatem duxit, omnibus patet ſagacioris ingenii viris in cæteris quoque ſtudiis; illud modo cavendum, ut a nimia philoſophandi & fingendi libertate nobis temperemus, ne eam apud imperitos credendi quoque libertas ſequatur. De anima humana fateri cogimur: eam omnia creata, quamvis ſit præſtantiſſima inter illa, melius, quam ſe ipſam cognoſcere; interim neque illi mihi inique facere videntur, qui ejus

inſudant ſcrutinio, modo illud ſobriis fiat ratiociniis. Experientia enim teſtatur, de ea quoque hodiernos philoſophos nonnulla animadvertiſſe, quæ priſcis obſcura fuere. Et augeremus noſtram, niſi fallor, propriæ animæ cognitionem in diem, niſi ex perverſo more ea, quæ ſunt intra nos negligentes, omnem curam, omneque ſtudium noſtrum, in illis rebus, quæ ſunt extra nos, collocaremus.

§. III.

Duo proinde laudanda in DN. D. LONGOLIO. Primum, quod ad ſcribendum de anima appulerit animum, deinde quod ſcripturæ ſacræ, quæ omnis divinæ & humanæ ſapientiæ fons & origo eſt, fidem habere innitatur, quippe ex qua plurimas ſuas theſes probare ſtudet: dijudicent vero alii, an dicta ab ipſo adducta id corroborent, quod vult & credit illa probare; &, an ſcopulos diverſas diverſorum ſententias conciliaturis obvios ubique ſatis caute vitaverit. Id enim agentibus, & ſententias, quæ ſibi invicem non contradicere videntur, & circa eandem rem verſantur, ſed a diverſis auctoribus defenduntur, & proinde e diverſis principiis profluunt, conglutinare conantibus ut plurimum accidit, quod olim Cadmo, cujus milites ex iisdem ejusdem ſerpentis dentibus prognati ſibimet ipſis ita adverſabantur, ut ſe mutuis lanienis fere omnes interficerent.

§. IV.

§. IV.

Equidem magnitudo, hiſce lucubrationibus præſcripta, non fert, ut omne illud enumerem, quod in dicto libro toto ſuſpectum eſſe mihi videtur; quare circa unum modo alterumque Cl. Auctoris aſſertum, *de anima humana*, cujus naturam exponit c. 2. 3. 4. &c. nonnullos movebo ſcrupulos, idque nullo alio fine, quam veritatis eruendæ cauſa faciam. Æquum enim eſt, illos, qui ſcripta ſua publici juris faciunt, hunc ſibi habere præfixum ſcopum, vt rem aliquam vel nova, ea tamen ſana ratione explanent, vel de veritate rerum & opinionum recens inventarum diſpiciant.

§. V.

Propoſueram mihi, meas quoque de eadem materia obſervationes addere; ſed uti non omnia, quæ de anima in dicto libro propoſuit Dn. L. ſed potiora tantum hic adduxi, idque quantum fieri potuit breviſſimis: ita tamen me invito hoc crevit ſchediaſma, ut dictas meas meditationes eruditorum cenſuræ hac vice ſubjicere non potuerim; quod tamen Deo volente alio tempore faciam.

§. VI.

Per titulum hujus obſervationis, quem brevem eſſe fas eſt, nihil aliud intelligo, quam conſiderationem deſcriptionis, quam *Cl. Dn. D. Longolius* animæ humanæ tribuit. Quemadmodum enim breviter dicimus: *homo Platoni-*

cus,

cus, *ſententia Theophraſtica*, & ſic porro; ita etiam mihi licebit dicere, *Longoliana animæ conſideratio*.

§. VII.

Ita vero ille animam humanam deſcribit: *Eſt ſpiritus, omnis materiæ, etiam ſubtiliſſimæ plane expers, quandoque tardus, quandoque celer, modo aptus, modo ineptus, in quodam corpore potens, in quodam impotens, tam magnus, ut totum corpus humanum complectatur, & in ſe comprehendat, corpus formans & vivificans, omnes operationes animales a primo conceptionis momento in eo exercens, tandem vero ſeneſcens, ſentiens, intelligens, imaginans, computans, recordans, volens, adverſans, ratiocinans, nullam ſecum in mundum proferens cognitionem Dei, neque aliquid aliud extra ſe & præter ſe amans, neque de alia re ſciens, remotiſſima per ſe inſenſibilia & futura ſentiens, ſupernaturalia & ſpectra videns, omnipræſens circa quamvis corporis partem, corpus movens, & a putredine conſervans, ſuccos in corpore quandoque ita depravans, ut graviſſimi exinde morbi proveniant, & hæc omnia ad conſervationem corporis faciens.* Nemo facile erit, qui perlecta hac definitione non fatebitur, eam plane nova nonnulla continere; quare noſtrum erit, ut claris ipſius DN. D. LONGOLII verbis probemus, quod omnia hic enumerata animæ tribuerit.

§. VIII.

§. VIII.

Initium erat definitionis: *Eſt ſpiritus omnis materiæ etiam ſubtiliſſimæ plane expers.* Hoc profert Auctor Clariſſ. his verbis p. 10. §. 8. & 9. *Die Seele iſt ein -- -- -- und zum Ungeiſt werden müſſe.* Conf. Cap. 2. §. 1. & 2. p. 7. & pag. 28. §. 9. Negat præterea Clariſſ. Dn. Auctor, ſe concipere poſſe materiam axungia ſubtiliorem, his verbis: *Unter den Spiritibus naturalibus -- -- -- -- funambulos ſpiritus nennen wolte.* §. IX. p. 29. & 30. Uti hoc, ſic in aliis locis poſita ſua opinione Cl. Auctor ſecus ſentientes ad abſurdum adigere laborat. Sed quantum ego video, ſi quis aliquid utile in hac re præſtare voluiſſet, illi conveniſſet, ut brevibus, ſed ſolidis argumentis illorum refutaſſet probationes, qui *animam materiam eſſe* aſſerunt. Dantur eorum hoc ſeculo plurimi, quo refutaturus (Horat. Art. Poët. v. 142.) *ſudet multum fruſtraque laboret.* Neque contradictionem involvit, (utor verbis celeberrimi BUDDEI Phyſic. c. 5. §. 28.) quo minus Deus ſubſtantiam corpoream cogitantem producere potuiſſet. Credimus corpora noſtra poſt reſurrectionem fore ſpiritualia, cur non concipere queamus, ſpiritum noſtrum cogitantem eſſe corporeum? Sed quod magis mireris: *brutis* animalibus quoque immaterialem tribuit animam his verbis Cl. Dn. L. p. 16. §. 21. *Es kan wohl ein ander Leben -- -- -- -- unmaterialiſche Seele haben.* Conf. p. 15.

§. 20. Ex qua verò opinione neceſſario profluit, cum parium par ſit ratio; animas brutorum immortales eſſe, ut hominum.

§. IX.

Eſt ſpiritus *quandoque tardus*, *quandoque celer*, *modo aptus*, *modo ineptus*, *in quodam corpore potens*, *in quodam impotens*. § II. p. 41. ita Dn. Auctor diſſerit: *Der Unterſcheid der Kräffte* -- -- -- -- *in Belebung ihres Cörpers zuvor.* Animas externis ejusmodi adjunctis diſtinctas eſſe, ita ut alia ſit celerior, alia tardior, alia potentior, alia impotentior, aſſerens Dn. D. L. non male feciſſet, ſi aſſerti probationem addidiſſet. Quantum enim novi, illi, qui nihil corporeum vel materiale ineſſe animæ contendunt, celeritatem externarum actionum viresque ingenii, quibus alius ſuperat alios, ab aliis v. ſuperatur, ab organis corporeis, per quæ anima operatur, provenire docent.

§. X.

Tam magnus, ut totum corpus in ſe complectatur & comprehendat p. 25. §. II. *Ich ſage daſs der gantze Leib in der Ihn allenthalben penetrirenden Seele ſey.* Videtur hæc Hypotheſis æque minus probari poſſe, quam a Cl. Long. probatur. Neque enim ſatis capio, quomodo cum illa cohæreant ultima verba §. IX. c. 2. ubi ait, *animam in corpore, cum corpore, & per corpus operari.* Niſi fallor, putat,

animam

animam ſe habere ad corpus, ut ſpongia ad aquam, cui impoſita eſt: Sed neque huic aſſerto parum ineſt difficultatis. Res enim aliquid in ſe comprehendens & includens extenſa eſt; extenſum vero eſſe, materialitatem involvit. Et ut poſtea audituri ſumus, p. 30. §. 12. & §. 15 *priorem eſſe* putat *animam corpore*, quippe quæ extruat illud in utero materno. Si igitur ab initio tam parva eſt, ut utero materno incluſa ibi operari poſſit, neceſſe eſt, ut multum & vehementer quotidie creſcat, & major fiat, quo corpus magnum hominis adulti ita in ſe comprehendere poſſit.

§. XI.

Corpus formans & vivificans p. 31. §. 14. *Dieſe Vereinigung geſchiehet -- -- -- zu dauern tüchtig machet.* & §. 15. *Daſs die Seele alſobald -- -- -- monſtröſen Gebuhrthen unſtreitig.* Iterum p. 16. §. 22. *Ich ſage, daſs die -- -- -- und in ſeiner Macht zu haben.* Et denique p. 41. §. 1. *Die erſte Eigenſchafft -- -- -- -- Leibes.* Conf. p. 15. §. 19. Hoc dogma ignorant ſacri ſcriptores, præcipue JOBUS, quorum effata merito conſideranda eſſe illis exiſtimo, qui omnia ſua aſſerta volunt ex ſcripturis probare. Satis clare vero ille c. 10. v. 10. *Tuæ manus, Domine, me formarunt, & me fecerunt totam*

in circuitu -- -- memento quæſo, quod ſicut lutum me feceris -- -- nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti, pelle & carnibus veſtiſti, oſſibus & nervis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum &c.

§. XII.

Omnes operationes animales a primo conceptionis momento in eo exercens, tandem ſeneſcens. p. 31. §. 14. *Worauf ſie ſamt demſelben ans Tage-Licht kömmt -- -- der Hand Gottes anheim fallen muſs.* Igitur ſe aliter habet initium animæ, quam ejus finis. A primo conceptionis momento ſapientiſſima & perfectiſſima eſt, ita ut corpus quoque formare poſſit §. XII. at ſeneſcere corpus ubi incipit, animæ quoque vires decreſcunt & debilitantur, quod quidem quomodo ſpiritui, maxime vero tam abſoluto, qualem vult Dn. Auctor eſſe animam, competat, non intelligo. Rectius illi videntur ſentire, qui probant, quod decrementum virium animalium oriatur a debilitatis per annos vel morbum organis, per quæ ſpiritus noſter operatur.

§. XIII.

Sentiens, intelligens, imaginans, recordans, computans, volens, adverſans, ratiocinans, ad corpus

alliga-

alligatus, ut artifex ad inſtrumenta. vid. p. 17. §.25. 26. 27. 28. 29. 31. 32. p. 52. §. 2. Quia hæc a vulgaribus philoſophorum de anima ſententiis adeo remota non ſunt, neque eis immorabimur, eaque tantum adduximus, ut ne aliquid omitteremus, nec mancam, ſed integram animæ deſcriptionem DN. D. LONGOLII adderemus.

§. XIV.

Nullam ſecum adferens in mundum cognitionem Dei, nihil aliud extra ſe, & præter ſe amans, neque de alia re ſciens: Hæc claris verbis habet p. 125. §. II. Ich ſetze zuvor aus -- -- -- -- dahero denſelben auch allein heben. Sic pag. 21. §. 32. Die Seele des Menſchen bringt aus Mutterleibe -- -- -- als für ihm und ſeine Erhaltung. Pro explorato habeo, omne ens cogitans ab eo momento, quo tale eſt, ſe ipſum conſiderare, æque ſui ipſius conſideratione manu quaſi duci ad ſui cauſam & principium, quod ſeipſum non eſſe intelligit eo, quod ita cogitat. Jam vero concedamus, animam a primo momento quo exiſtere incipit, tanquam in ſene maturo ratiocinari poſſe, anne prius inquireret, unde in hunc locum venerit, quam quid ſibi in eo faciendum ſit? Quis porro iuſſit illam corpus ibi extruere, quis ipſam docuit hanc architecturam? Videtur præterea ſententia hæc id inferre, animam habere hanc cognitionem ex eo, quod ipſa e materia facta ſit. Si enim, quod

DN. D. L. aſſerit, in conceptione generatur corpus, neceſſario oritur e materia, quia in conceptione non niſi res materiales concurrunt. Hinc forſitan principii ſui materialis memor anima, ante res omnes materiam præſentem elaborare annititur. Cur præterea corpus ſuum edit imperfectum? Naſcimur enim ſine dentibus, & cranio aperto.

§. XV.

Remotiſſima, per ſe inſenſibilia & futura ſentiens p. 21. §. 35. 36. 37. Die neunte Eigenſchafft -- -- -- -- allerley gegenwärtige übernatürliche Dinge. §. 36. Durch die Empfindung der abweſenden -- -- -- -- Verlangen gewahr wird. §. 37. Durch die Empfindung zukünfftiger Dinge -- -- -- -- -- theure Zeit vorher ſiehet. Gen. 41. Confirmat ſuam ſententiam porro p. 45. §. 17. Die Empfindung aller -- -- -- -- -- ſeiner Nachricht bekommt. Cum his non concordant, quæ habet Dn. Auctor p. 58. §. 15. Die Offenbahrung Gottes -- -- -- -- -- -- -- Der Menſchen richte. Ex hiſtoria ſacra & profana conſtat, per Dei directionem extraordinariam reſciviſſe quandoque homines ita res futuras; extra vero illam quicunque ejusmodi ſcientiam, futura prædicendi, jactitant, non modo in Deum ſunt injurii, quia hic ſibi illam tanquam regale reſervavit, ſed & impoſtores eſſe ſolent, & niſi fanaticiſmi, ineptæ ſaltem ambitionis nomine ſuſpecti. Quid

quod

quod ſequeretur, omnes illos carere anima, qui arte divinandi deſtituuntur, ſi eſſet pars neceſſaria & eſſentialis animæ. Facete TAUBMANNUS ridebat quendam chiromantam, qui per ſcalas delapſus, brachia & pedes fregerat, quod non prævidiſſet atque evitaſſet caſum. Exempli loco adducit CL. DN. L. Davidem naturali, ut vult, animæ poteſtate prævidentem futurum malum. Sed anxietas illa Davidis effectus erat ſpiritus divini, convincentis regem commiſſi peccati, unde ſtatim addit confeſſionem & deprecationem. *Vehementer*, inquit, *peccavi, hoc faciens, tu vero, Domine, aufer iniquitatem ſervi tui. Stulte enim feci.* Alterum exemplum deſumtum eſt ex Gen. 41. ubi iterum putat, Pharaonis animam naturalibus viribus prævidiſſe annos felices & ſteriles. Sed non conſentit Joſephus, dicens ex inſtinctu divino: *Deus annunciat Pharaoni, quæ ipſe facturus eſt.* Gen. 41, 25.

§. XVI.

Spectra & ſupernaturalia videns pag. 23. §. 38. Durch die Empfindung gegenwärtiger - - - - . - . und dergleichen. Si facultas ſpectra & ſupernaturalia videndi eſt pars neceſſaria animæ, ſequitur inde, illos, qui ſpiritus non cernunt, carere anima, animalque, quo Bileamus vehebatur, magis ſpiritualem & humanam habuiſſe animam, quam eques habuerit. Sequeretur porro, diabolum illis non inſidiari, qui ejus præ-

ſentiam non percipiant, & erraſſe ſcripturam docentem, Deum illis aperuiſſe oculos, quos voluerit videre bonos malosve ſpiritus. Aliter tamen ipſe Dn. L. ſentit p. 58. §. 14. Die Beruhigung und Beſitzungen - - - - - - der Menſchen Temperamenten nichts gemein.

§. XVII.

Omnipræſens circa quamvis partem corporis p. 17. §. 24. Die andere Eigenſchafft - - - - - - - Ziel und Gräntzen ſetzet - - - - - - conferatur p. 25. §. 2. Das erſte Præjudicium kan dieſes ſeyn - - - - - in der ihn allenthalben penetrirenden Seelen ſey. Similibus hoc aſſertum illuſtrare, & ad objectiones reſpondere quærit; ſed utroque non efficit, ut ne lector forte putet, ipſum credere, animam talem eſſe, qualem pictores ſolent depingere.

§. XIIX.

Corpus movens & conſervans, præcipue a putredine p. 20. §. 30. Die ſiebende Eigenſchafft - - - - - ſchlagen, und dergleichen mehr. Qui credit, animam maxime eſſe ſpiritualem; hoc loco vero aſſerit, eam efficere omnes determinationes externarum partium, illique tribuit omne id, quod vulgo vitæ tribuitur, illius fuiſſet officium, demonſtrare, quomodo abſolutisſimus ſpiritus in materiam ſatis craſſam cogitationibus noſtris citius operari poſſit. De conſerva-

ſervatione corporis a putredine, quæ fiat per animam, ita loquitur p. 11. §. 12. Denn da die gantze Mixtur - - - - - Geiſt verrichtet werden. §. 13. Dieſes wird um ſo viel mehr - - - - - - - an ihre Stelle ſetze. §. 14. Erwegt man das Inſtrument - - - - - - - - menſchliche Seele iſt geſchehen. E multis, quæ hæc contra moneri poſſint, unicam proferam inſtantiam, nimirum ſi hæc ita ſe habeant, ſequi, omnia bruta inſecta unoque nomine viventia omnia, quin & creaturas vita carentes habere animam rationalem, quia eorum corpora & ſubſtantiæ a putredine conſervantur æque ac hominis, per tempus tam longum, quam illa vivere, hæ florere ſolent. Præterea anima rationalis muſcæ aut pulicis corpus tam ſubtile a putredine conſervans erit ſimilis, artifici minutiſſimas gemmas aptanti, cum e contrario humana in humano ſatis magno corpore operans cum cæmentario, craſſiſſima cæmenta cædenti, conferenda erit.

§. XIX.

Succos in corpore quandoque ita depravans, ut graviſſimi exinde morbi proveniant. pag. 27. §. 7. Zum wenigſten iſt dieſes - - - - - - - ſelten gar erſticket wird. §. 8. Ich will nicht hoffen - - - - - in entia realia transmutiret werden. Hæc me non capere ingenue fateor. Si omnis operatio animæ ad hominis conſervationem tendit, ut in antecedente & conſequente

§. ex ipſius verbis audimus, cur ſuccos depravando, febremque in eo concitando, idem corpus eadem interficit? Credidimus hactenus, multis experimentis & effectibus convicti, ſuffocationem illam vel citam mortem in febre quartana oriri ex melancholico vel pituitoſo humore coagulato, & parti huic vel illi corporis ut ſpleni aliisve adhærente, & periodice ibi putreſcente, qua ipſa putredine tota maſſa ſanguinea corrumpitur, circulatio illius impeditur, quicquid in ea eſt dulce, ſpirituoſum, & balſamicum, evaneſcit, ita, ut omnis ſanguis in ejusmodi ægroti corpore ſit inſtar vini aceſcentis, atque ita officio ſuo amplius nequeat fungi, unde neceſſario mors ſequitur. Sed his rejectis Dn. D. L. nova nos edocet. Ponamus igitur hæc & ſimilia efficere animam; nequiſſimi certe, ſi hæc vera, impoſtores erunt omnes medici, qui miſeros ægrotos ſuis medicamentis cruciant; cum tamen iisdem in animam, tanquam in ſpiritum, agere nequeant. Neque video, quomodo a Theologis poſſit hæc hypotheſis tolerari, qui ex ſcriptura S. norunt, morbos & mortem eſſe effectus peccatorum. Hæc & alia philoſophica nonnulla v. g. quæ habet de atomis, de quibus afferit, ſi ex illis conſtaret anima, verendum eſſe omni momento, ne ea per poros aufugiat, ut & de diſpari effectu caloris & frigoris in corpore humano, & in vitris hyemali & æſtivo tempore, per jocum Dn. D. L. protuliſſe crediderim, & venit mihi

quo-

quoque ea luſtranti in memoriam fabula, quam alicubi me in ſcriptis Celeb. CHRIST. THOMASII legiſſe memini, de ruſtico quodam in Helvetia, qui videns fumum prodire e ſterquilinio, atque in animo habens, accendere ſyringem ſuam, herba nicotiana repletam, ad idem properabat ſterquilinium, ignemque ibi quærebat. Neque enim percipiebat, aliam naturam habere, aliosque effectus producere ſolarem, alios animalem, alios elementarem & culinarem, alios denique ſterquilinii calorem.

§. XX.

Et hæc omnia ad corporis conſervationem faciens p. 20. §. 37. Die Haupt-Abſicht, - - - - - - und ſeine Erhaltung. Syrus profecto ille Terentianus anima, ſi datur, tali multo prudentior erat. Satis enim eleganter ille inquit (Adel. A. 3. Sc. 4.) *Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam iſta, quæ futura ſunt, proſpicere.* Sed anima hæc tantum ſolicita eſt de corpore, & male eo ipſo agit, quod futuram ſuam aut ſalutem, aut afflictionem non curet; neque ita in ea amor bene ordinatus ineſt, qui, ut habet notum proverbium, incipit a ſe ipſo. A corpore enim incipit, inque eodem deſinit, & forte moribunda ſe ipſam alloquitur, ut ſuam olim IMPERATOR HADRIANUS animam:

Ani-

Animula vagula blandula,
Hoſpes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula &c.

§. XXI.

Sed hæc ita fuere, quæ circa has lucubrationes de anima monenda judicavimus. Plura, ut ab initio dictum, addere dubia, & prolixiorem additorum explicationem & probationem, facilique monſtrare potuiſſem negotio, multas harum ſententiarum jam ab aliis excogitatas eſſe, & Dn. Doct. tantum nova exinde formaſſe conſectaria. Ut enim ceteros taceam Auctores, ſiſtit nobis earum nonnullas DN. CHRIST. FRIDER. RICHTER, Med. apud Hallenſes Doctor & Practicus celeberrimus, in libro Germanice conſcripto, cui titulus: Erkentnüß des Menſchen, præcipue c. 2. ſeq. qui ſe vero tam ſobrie explicat, ſuasque ſententias tam venuſte probat, ut vel per modum proponendi tolerabiles illæ videantur; quique eas perpetuo ſequetur, ad minimum ille ſibi nunquam contradicet. Sed ſufficient hæc forte ad obtinendum, quem habuimus in conſcribenda hac obſervatione, finem; qui non ille eſt, ut quenquam laceſſamus, aut alicui inſultemus, verum ut veritatem inquiramus, & imperitos moneamus, ne novos libros legentes nimia hac ſeculi noſtri philoſophandi licentia imbu-

imbuantur ejusmodi principiis, quæ vel capere, vel inter ſe conciliare nequeant.

OBSERVATIO XC.

GODOF. MARTINI,

Leubenenſium Paſtoris,
in locum
Jud. XV. com. 4.
de
Vulpibus Simſonis,
In manipulos ſtraminis transmutatis,*
formæ avitæ nunc iterum reſtitutis.

Ad Virum Per-Illuſtrem,
Dominum G. D. BOSE.

§. I.

Quas ad me non ita pridem miſiſti OBSERVATIONES HALLENSES, *Per-Illuſtris ac Generoſiſſime Domine*, Optime maximeque Patrone, non minus opportune, ac

* Conferri meretur docta b. D. JOH. FRID. MAYERI diſſertatio, quam de *Vulpeculis Simſonis* Vitembergæ 1686 edidit.

ac quas iis adjunxiſti, literæ ſunt perlatæ. Cum vero ex his ipſis cognoſcerem, gratiſſimum Tibi fore, mentem meam ſi aperirem de *Metamorphoſi Vulpecularum Simſonis in manipulos ſtraminis*, quæ *Cap. XIV. Tom. IIX. Obſervationum iſtarum habetur*, maxima certe animum occupabat lætitia, tam commoda affulgente occaſione, gratum Tibi faciendi, gratiamque eo ipſo abs Te ineundi. Poſtquam autem omne id, quod mihi imponere videbaris, negotium, accuratius paulo mecum perpendebam, parum aberat, quin prorſus iſtud detrectarem, edoctus non modo, quid valeant humeri, quid ferre recuſent; ſed excluſus etiam tempore, ad indagandam veritatem perquam neceſſario, ſubſidiisque philologicis, ut vocant, admodum deſtitutus; non dicam, quod in memoriam inſuper venerit multos, eosque non mediocris eruditionis Viros, in enucleanda hac re perardua fuiſſe occupatiſſimos, quorum magnam partem Clariſſimus M. ORTLOBIUS in Schediaſmate de *Serpente non punito cum Satana*, recenſet, ubi non mentionem tantum facit Autoris Nov. Antiqv. dum ſcribit: *Latuerunt vulpeculæ paululum in cavernis ſuis, donec formam bruti exuentes, in manipulos ſtraminis abierunt; in Nov-Antiq. vero Anno 1705. priſtina reſtitutæ formæ:* Sed meminit etiam Scriptoris cujusdam Gallici, qui in libro, cui titulus: *Renards de Simſon*, perhibet, trecentos acervos manipulorum frumenti, tempore

mes-

meſsis collectos, ab Heroe irato combuſtos fuiſſe. Diem itaque ex die aſſidue me ducentem tandem tamen cum aliis, quæ acceſſerunt, adhuc rationibus, deſiderium maxime prolixam Tuam & beneficam erga me voluntatem conſervandi, vicit, eumque in modum confirmavit, ut hæc pauca, quoquo modo poſſem, ſcribendo decernerem, certiſſima ſpe fretus, fore, ut ſi quid Tibi non probetur, pro Tua in me benevolentia non malam in partem id interpreteris.

Velim autem quam maxime, non inficior, modum ut adhibeat in ventilandis ejusmodi materiis Orbis eruditus: Commodum enim quod ſibi inde promittit, non eſt tantum, quantum damnum, quod in Eccleſiam Evangelicam, alioquin ſatis afflictam, inde redundat: Rupturæ exinde naſcuntur, per quas novitatis ægri, vulpecularum ad inſtar noxiarum, in vineam Chriſti irrepere, eamque devaſtare ſolent. Qui quidem vituperandus admodum ſcopus, quod ſcripto Dn. Obſervatoris, cujus inſignis eruditio non meis indiget encomiis, non ſit præfixus, vel ex eo colligere licet, quod partim Bibliomaſtygibus, quos vocant, Porphyriique ac Luciani complicibus, materiam calumniandi & veritates divinas ſubſannandi præripere, partim huic loco nitorem ſuum reſtituere, & a falſis eundem explicationibus vindicare, contendit. Num vero optatum hunc ſcopum aſſecuturus,

ſenten-

ſententiamque ſuam iis inprimis, qui nulla occœcati præconcepta opinione rem quamvis perſcrutantur, probaturus ſit, eſt, de quo maxime dubito. Ego certe non parum debeo Dn. Obſervatori, quod ejusmodi uſus fuerit rationibus, quæ mentem meam in explicatione, uſu huc usque recepta, magis magisque confirmant.

Ludibrio ac deriſui a Lucianiſtis & Pſeudo-Chriſtianis hiſtoriam hanc ſubinde haberi, Legendasque inter & ineptias ab Autore *Religionis Medici* referri, oppido, proh dolor! notum eſt. Aſt declarant eo ipſo, cujus Spiritus filii ſint. Stultorum os loquitur ſtultitiam, Prov. 15. 2. Et ſicut inæquales ſunt tibiæ claudi, ſic parabola in ore ſtultorum, Cap. 26. 7. Quæ ſc. verba de abominando iſto dictorum Scripturæ S. ad ludicra jocosque profanos abuſu, qui ſtultis mundanis frequens nimis eſt, exponit B. D. GEIERUS in Comment. h. l. Nos interim, quibus Scriptura S. in deliciis eſt, ſatis ſuperque habemus, quod iſtius veritas ſubſannationibus ejusmodi non opprimatur. Neque eſt cur Dn. O. ſibi perſuadeat, fore, ut hac ſua explicatione Sarcaſmos omnes reprimat. Res certe non, ut videtur, in vado verſatur. Manipuli ſtraminis multo facilius potuerunt in chartam, quam in Philiſtæorum conjici frumentum, tantumque abeſt, ut Bibliomaſtyges eo ipſo refrænentur, ut calcar potius eis ſubdatur, & occaſio præbeatur, alia quoque Scripturæ S. loca, pro

lubitu

lubitu explicandi. Quin imo, quod maxime verendum omnino eſt, ne Pontificii anſam inde capiant, B. Lutheri verſionem conviciis adhuc multo acerbioribus proſcindendi, quodque de ipſorum Doctoribus, inter quos mira diſſenſio, uſurpamus proverbium, *quot capita*, dicentes, *tot ſenſus*, in nos retorquendi.

Opera igitur quam in nitore huic loco reſtituendo Dn. O. conſumpſiſſe videtur, ut ego quidem arbitror, ſuperſedere potuiſſet: Quod enim nunquam eſt amiſſum, reſtitutione non habet opus. Taceo, quod explicatio quoque ipſius a nube tot tantorumque Philologorum, Criticorum & Commentatorum obducta, non ea ſit, quæ, ſi amiſſus eſſet nitor, reddere illum queat. Quod ſi autem Dn. O. locum hunc a falſis explicationibus aſſerere vellet, per Demonſtrationes, verum a falſo diſtinguentes, id fieri oporteret, atque tunc demum ejus paginæ non pro meris conjecturis, ſed pro Sibyllæ foliis habendæ eſſent; quanquam ſibi hanc gloriam, præclara quadam modeſtia permotus, haud arrogat, p. 374.

§. II.

Quæ vero Dn. O. citato in loco de Viro quodam Illuſtri inſeruit, qui ſuo Confeſſionario non ſemel dicere ſit ſolitus, *ſe vix a ſemet ipſo impetrare poſſe, ut credat, hanc admirabilem Vulpecularum Simſonis capturam, & eam deinceps inſecutam ligaturam, cum venandi arte inſtru-*

ctus, crebro cum damno ſuo expertus ſit, quanto-pere mordere ſoleant. Er wäre ſo vielfältig mit auf der Jagd geweſen, und wüſte gar wohl wie die böſen Dinger beiſſen könten: non tanti videntur, ut ſingularibus accenſeantur, quippe cum hodie quoque non paucos reperias, quos vanam gloriam aucupaturos, nec pietas nec verecundia impedit, quo minus ejusmodi Μωρολογίας, omnibus coram, licet non absque infirmorum ſcandalo, nec Scripturæ S. ludibrio, proferant, nedum hæc & alia dubia iis, qui a Confeſſionibus iſtis ſunt, proponant.

Aſt vero cum a re propoſita non adeo ſejunctum eſt, licebit huic, alium addere jocum. Quod ſi, inquam, Arcadum quidam, cujus patria aſinis dicitur fertiliſſima, quique proinde, quæ ſtupidiſſimis hiſce beſtiis natura & qualitates ſint, procul dubio accurate cognovit, audiret, quod GALENUS, neſcio quam ridiculam ſubtilitatem, aſinis tribuerit, quam nec Plato nec Ariſtoteles potuiſſet aſſequi; (1) Vel quod JOANNES BODINUS, Andegavenſis, magna in laude ac gloria patriæ poſuerit egregios, quos in ea reperias, aſinos, (2) Vel quod WEBERUS,

(1) JANUS HUARTUS, judicio eruditorum novator ingens, & inſigniter auda[x] Scriptor, in Tract. de Scrutin. ingenioru[m] Cap. VI. p. m. 154.

(2) BODINUS, κατ' ἀνάγρ. Andius ſine bono

RUS, aſinos omni encomio præ equis dignos habuerit; (3) Eſſet omnino ipſi, cur Galenum, Bodinum & Weberum derideret. Quod ſi vero eandem ob cauſam Hiſtoriæ Biblicæ, de Aſinæ Bileami loquela contradiceret, perhibens, ſe nequaquam hoc credere poſſe, cum probe ſciret, quam ſtupida animalia aſini eſſent: Hem, quanti arietes, quibus hoc modo veritas Scripturæ S. percuteretur!

§. III.

Quosdam Commentatores, eosque Homileticos imprimis, dum expoſuerunt hanc hiſtoriam, confugiſſe ad Omnipotentiam divinam, inficias quidem ire nequeo: Sed æque parum id Dn. O. explicationi prodeſſe, quam noſtræ obeſſe puto. Cum vero p. 370. ſcribit: *Non temere ad Omnipotentiam Divinam confugiendum eſſe, niſi extrema neceſſitas id ipſum requiſiverit*, veritati quidem conſentaneum duco; ingenue tamen fateor, quod ex adducta ratione Dn. O. mentem colligere, neque adverſariorum ſuffugi-

 um

qui in ſinu Judæum foviſſe dicitur TENZEL. D. M. 1692. 996. Ob Elogium Aſinorum Sympatriotarum hoc aculeato exceptus Diſticho:

Dum laudas aſinos patriæ, Bodine, quid erras?
Ignotumne tibi, γνῶθι σεαυτὸν erit?

(3) JOH. ADAM WEBERUS De Arte Diſcurrendi &c. Fonte 97.

um perſpicere valeam, cúm obſcurioribus uta-
tur verbis: *Quia* inquiens *ſic*, (ſtante ſc. noſtra
ſententia) *noſtris adverſariis ſuffugium oſtendi-
mus, quo ſe cum ἀλογίαις ſuis recipere, & contra
oppugnationes noſtras defendere queant.* Aut Sim-
ſon, adjutus beneficio fautricis naturæ, ſtudio, aut
alacritate, arte venandi, & in ea acquiſita dexteri-
tate, vulpeculas coactas cepit, aut Omnipotentis
Numinis juſſu adactæ in manus Simſonis beſtiæ
iſtæ ſe receperunt. Quod ſi illud ab adverſariis
negetur, quippe qui a ſemet ipſis impetrare nequ-
unt, ut id credant, hoc vero ab illis irrideatur; in
longe adhuc alia verborum expoſitione ſuffugi-
um ipſis eſt quærendum, in ea puta, quæ a Dn.
O. ſuppeditatur, quod vero ſuffugium, cum ex-
poſitio illa in quæſtione adhuc ſit, non admodum
eſt tutum; Aut, quod maxime, proh dolor! ve-
rendum eſt, improbæ ac periculoſæ nimium ad-
ſtipulentur oportet opinioni eorum, qui non ve-
ram hiſtoriam, ſed fabulam eſſe perhibent, quæ
de Vulpibus hiſce ſacræ literæ dicant, & referen-
da illa eſſe, uti Empæctæ de Bileami aſina garri-
unt, inter *mirificas & inſolentes Veritates bibli-
cas*, ſic enim periphraſi honeſtiori vocant, quæ ipſi
judicant mendacia. BRENTIUS Op. T. I.
978.

§. IV.

Sed utut res eſt comparata; impediri tamen
haud poteſt, quo minus Divini Numinis, verbi-
que ipſius gloriæ, vis inferatur: Ecquis enim non

videt, hac ratione futurum, ut non hoc ſolum, ſed alia etiam opera Dei, quin imo illa, in quibus digitum Dei quaſi manibus palpare licet, in dubium vocentur; Nihil dicam de miraculis Divinis, in quibus natura nihil quicquam cooperari potuit. Nonne autem hoc ipſo Scriptura S. a Lucianiſtis ſua privatur autoritate, operaque divinæ omnipotentiæ ludibrio ſannisque exponuntur. En viam ad extremam impietatem ſtratam; quid enim intereſt, utrum Deum neges, an infames, SENECÆ ſunt verba.

§. V.

Verum quid, quæſo, credit Dn. ♂. adverſarios eſſe oppoſituros, legentes, quod Noachus mandato divino perductus, cujusvis generis animalia, in arcam ſecum duxerit? Quomodo tot animantium, quorum numerum vix inire licet, compos fieri potuit? Certe niſi omnem prorſus fidem hiſtoriæ illi denegaverint, fateantur oportet, aut factum id eſſe adhibita a Noacho opera ſtructisque ab illo inſidiis, aut beneficio Divinæ Omnipotentiæ. Illud ſi conceſſerint, concludere quoque coguntur, quod vulpecularum captura iisdem mediis a Simſone etiam peragi potuerit, quippe cum Noacho longe majora impedimenta quam Simſoni obvenirent: Ad conſervandum enim in totius terræ ſuperficie vivum ſemen, in arcam oportebat ingredi omnis generis animantia, non ex cicuribus tantum, ſed ex feriſſimis etiam quibusvis be-

ſtiis nonnullis, Leones, Rhinocerotes, Tigrides, Pardos, Urſos, Lupos, Vulpes, & id genus alias, quarum maxima pars nobis Europæis ignota, nec non varias volueres, inſectaque varia, cum reptilia tum calcatilia. Dn. SCHROEDERUS in Ac. Bibl. Contin. T. IV. p. 1110. Curam ſane, ſtudium, periculumque ſi conſideres, quæ optimo illi ſemper ferenda hoc modo fuerunt, vix Simſon, capturam Vulpecularum quod attinet, cum Noacho comparari poterit. Sin hoc affirmaverint, & beneficio Omnipotentiæ Divinæ a Noacho id peractum fuiſſe dixerint, non video, quare in actis his Simſonis manum Dei potentem negent: Siccine in his illa eſt abbreviata? Quod autem res ita ſe habeat, & Altiſſimi auxilio inſtructus Noachus id ipſum peregerit, ex verbis Scripturæ S. patet: *Ingredientur*, ait Deus, *animalia ad Te*, Gen. 6. 20. arcano ſcilicet impulſu mota: Non enim ea capta Noachus intromittebat; ſed venientia & intrantia permittebat: Ad hoc enim valet quod dictum eſt, intrabunt ad Te, *non* ſcil. *hominis actu*, ſed *Dei nutu*, uti egregie B. D. GERHARDUS in h. l. commentatur.

§. VI.

Quemadmodum vero in gerendis Domini bellis, Defenſores veritatis Divinæ non minori prudentia quam fortuna adjuti, armis ſuis hucusque uſi ſunt; ita hic quoque non ſtatim gladium

dium Omnipotentiæ adhibuerunt, ſed nodum hunc Gordium (ſi nodum in ſcirpo dicerem, ideo non vapulavero) quem humana temeritas de vulpecularum multitudine, capiendi difficultate, & colligandi impoſſibilitate nectere ſolet, alia potius ratione ſolvere norunt. Ex multis allegaſſe ſufficiat B. D. FRANZIUM in Hiſt. Anim. Edit. rec. p. 92. & p. 700 Comment. ejusd. Excell. Dn. D. CYPRIAN. nec non M. JOH. WILH. HILLIGERUM, in Diſſert. de Vulp. Simſ. Quæſt. I. SPERLING. Phyſicam L. IIX. p. m. 1256.

§. VII.

Cum vero §. II. BOCHARTUS, qui ex Ovidio probavit, Vulpeculas Simſonis ad Ethnicos quoque penetraſſe, vanumque eſſe Ovidium, qui *Romanorum Vulpinalia* a Carſeolanis arceſſat initiis, quum potius ab iſtis Simſonis emiſſariis derivanda fuiſſent, a Dn. O. notatur carbone, rationesque ejus & conſequentiæ elumbes vocantur, male omnino, nec jure merito cum Viro iſthoc Clariſſimo, quem JOH. LUDOVICUS FABRICIUS miraculum ſeculi nuncupat, agi videtur. Verbis certe Domini Obſervatoris ſententia Viri, ad ſtuporem ac invidiam usque eruditi, infirmata eſt, quando p. 372. ſcribit: Videtur Vir eruditiſſimus σκιομαχεῖν, & *panem in furnum frigidum immittere*; Etenim non perſpicio, quid cauſæ ſit, cur Græcis

& Romanis hiſtoria hæc innoteſcere non potuerit, cum penes iſtos non omnium modo Eruditorum Metropolis quaſi fuerit, ſed ab illis etiam ſingularia cuncta, quæ per univerſum mundum acciderunt, indagata, & quæ notatu digna, literarum monumentis tradita fuerunt. Inter omnes profecto eruditos conſtat, paucas hiſtorias in ſacris literis eſſe, miraculo præſertim aut myſterio inſignes, quas non Diabolus, ad intervertendam veritatem, æmulanter affectarit, uti TAUBMANNUS oſtendit in Præf. in Virg. Cirin. Quin imo ad Ethnicos multa dimanaſſe, quæ in Geneſi deſcribuntur multis probat B. D. WALTHERUS in Offic. Bibl. §. 667.

Nec non impietatis initia ex S. literis deprompta eſſe, exemplis aliquot demonſtrat Clar. SELDENUS De Dis Syris p. m. 30. De Sabbathi & ſeptimi quieti divinitus conſecrati diei notitia ac celebratione refert quædam KIPPING. Antiquit. Rom. Lib. I. C. 9. & WALTHERUS c. l. In ſpecie autem quod hæc Simſonis acta concernit, ab eruditis luculentiſſime reperimus aſſertum, quod *fabula de Hercule* e Simſonis Hiſtoria ſit petita. vid. ZEHN. Adag. pag. 742. & D. ZIMMERMANNI Anal. Miſc. Menſtr. Menſe IV. §. 120. Cum autem hoc a vero non diſſentaneum ſit, non intortum ſane eſt, ut loquitur Dn. O. de Vulpecularum Romanarum combuſtione Ritum Carſeolanis eripe-

re,

re, & eidem Genealogiam Judaicam aſſignare: Quam facillime enim hiſtoria hæc ex Oriente in Occidentem, e Palæſtina Carſeolos & Romam transportari potuerit, probabilibus rationibus oſtendit laudatus M. HILLIGERUS c. l. Quæſt. V. quo cum alii conſentiunt.

Atque licet non omnes accurate congruant circumſtantiæ, ut anni tempus, quo Tragœdia hæc cum infauſtis illis incendiariis eſt acta, & quæ adhuc ſunt aliæ; Satis tamen habemus, quod plurimæ conveniant, quodque circumſtantiæ hæ in hiſtoria rem variare haud poſſint: Cacodæmon enim, qui ſimiæ ad inſtar, in operibus ſupremum Numen quadantenus imitari contendit, non omnia momenta tam accurate obſervat; contentus quippe eſt, modo homines in errorem inducere, mancipia ſua eos reddere, & a vero veri Dei, ipſiusque ſanctiſſimo cultu, ad execrandam Idololatriam, & alia peccata nefanda perducere queat. Huc etiam ſpectat Autorum diſſenſus, quem Dn. O. tanquam notatu dignum quid advertit, præſertim cum ALEX. ab ALEXANDRO Genial. Dier. C. 26. p. 309. referat: *Romanos ſuas Vulpes circumligaſſe* (alligaſſe lego) ſtipulis. OVIDIUS contra pro ſtipulis *tædas* habeat: Sed quod Ovidio major fides quam Alexandro in hoc negotio adhibenda, nemo unquam negabit. Ac proinde Dn. O. τὸ לְמִיר, quod in textu habetur, commode

mode omnino per *Tædas* vertit, incommode vero Kimchium, qui per *lignum ardens* vocabulum iſtud expoſuit, pro ſe allegavit, ſiquidem in plerisque Scripturæ S. locis, in quibus vocem לפיד reperimus, ſeptuaginta interpretes per τὸ λάμπας reddunt, uti hoc quoque in loco factum fuiſſe conſtat. Id quod etiam ex Ezech. I. v. 13. patet, ubi prunæ ignis ardentis, a לפידים diſtinguuntur, nec non ex Jobi Cap. 41. v. 10. ubi faces ex ore Leviathanis iviſſe dicuntur. vid. B. SCHMID. h. l. Sic etiam Nahum II. v. 4. dicitur, quod ſpecies curruum, quaſi tædarum ardentium ſive lampadum perrumpere ſoleant. Multum autem lignum ardens & torres a facibus differunt. Quod ſi LUTHERI verſionem in hoc ſequi velis, vocabulum Germanicum Brand, non in ſenſu anguſtiori, uti a Dn. O. factum fuiſſe videtur, ſed in ſenſu *latiori*, atque uti Magnif. Dn. D. LOESCHERUS loquitur, in genere pro re quavis, quæ incendi poteſt, ſumendum eſt, præſertim cum v. 5. expreſſe Simſon dicatur materiæ huic comburendæ ignem ſubjeciſſe.

§. VIII.

Tandem quod Dn. O. veretur, ne Bibliomaſtyges hac ipſa analogia inducantur, ut hanc S. Codicis hiſtoriam, eodem loco & numero, quo fabulam Ovidianam habeant, nequaquam eſt de nihilo. Viri ſane emunctioris naris dudum id ipſum olfecere. Quin imo eo nonnulli de-

venerunt timoris, ut iſtud etiam de hiſce gentilium fabulis ſuſpicarentur, quæ aliquam ſaltem cum Scriptura S. conformitatem habebant. Ac proinde egregius JUSTINI Martyris & Philoſophi locus, qui Apol. II. pro Chriſtianis extat, probe notandus eſt, cum ſcribit: „*Summa Dæmonis malitia eſſe factum, ut multa a Poëtis Gentilium fabuloſa & commentitia fuerint prodita, eorum, quæ traduntur in Scriptura S. quam ſimillima, quo ſcilicet fides abrogetur ſacris literis, reputantibus, qui ea legerent, nihilo plus ipſa eſſe credibilia priſcorum Poëtarum fabulis & commentis, quorum eſſent conſimilia*, id quod multis ibidem probat exemplis. Vid. præterea SCULTETUS in Medul. Patrum P. I. p. m. 8.

Verum, ut obiter addam, promiſcue id de omnibus dici haud poterit, præſertim de illis, in quibus hiſtoriæ Biblicæ cum Ethnicorum fabulis, quoad nonnullas circumſtantias, conformes ſunt. Siquidem deſcriptio Creationis mundi, ejusdemque conflagrationis, quæ Lib. Metamorph. Fab. IX. Ovid. habetur, ita comparata eſt, ut dubium ſit nullum, Ovidium aut ipſos Moſis libros legiſſe, aut Platonis veſtigia in his ipſis ſecutum fuiſſe. Denn ſolche ſchöne Schrifft-Blumen, ſind von ihnen ſelbſt, auf heydni-

heydniſchen Miſt nicht gewachſen: Quod ſi quis anceps hæreat, num hoc crederet, cum BASILIO tunc dicerem: Furatus eſt Diabolus noſtra, & largitus eſt ſuis. Der Teuffel hat ſolch Licht reichlicherer Erkäntnüß der Wercke GOttes, von dem Feuer im Heiligthum entführet, und den Seinigen zugebracht. Quod per *Oracula* etiam fieri potuit quam facillime: Lumine enim intellectus corrupti nequaquam eo pervenerunt gentiles.

Cum itaque non ſit, eur Dn. O. a ſententia Doctorum primævæ & hodiernæ Eccleſiæ hac in parte recedat, neque ipſum, quæ de Simſonis perſona, ejusque facto ad ductum eorundem exponuntur, in dubium vocaturum credo: Enimvero nunquam audivimus, adverſarios ideo, quod Hercules a Gentilibus ſub perſona Simſonis inductus fuerit, quodque Ovidius, quæ de Creatione & conflagratione mundi ſcripſit, e Moſe aliisque Scripturæ S. locis petierit, Moſis & Ovidii ſcripta pro eadem fabula habuiſſe; Neque hoc quidem, ab ullo unquam eorum, qui cœleſtem, atque adeo certiſſimam Scripturæ S. veritatem, prout decet ac par eſt, agnoſcunt, factum fuiſſe credo, ſubinde autem id fieri ab iis, qui τυφωμένοι i. e. inflati, in ſanis Chriſti ſermonibus non acquieſcunt, ſed veram, uti B. HIERON. WELLERUS ait, & ſanam Doctrinam Sophiſmatum præſtigiis labefactant, ac delere conantur, deliriaque ſua ſpargunt, ac fundamentum hac ratione

ever-

evertunt, Pſ. XI. cognitum eheu! perſpectumque habemus: Cum enim verbum Dei pro Principio cognoſcendi Deum, & quem miſit, Jeſum Chriſtum, non agnoſcant, religioni haud ducunt, articulos fundamentales, totumque adeo ſalutis negotium pervertere. Tunc Articulus de Peccato Originis, pro putidiſſima habetur Allegoria, (4) per Chriſtum facta Redemtio a peccatis & æterna morte extenuatur, Imputatio Juſtitiæ Chriſti ejusdemque Satisfactio atque Tentatio impugnatur, quæ, inquam, tentatio imaginaria tunc dicitur, licet exinde ſequatur, quod noſtra quoque Redemtio imaginaria ſit, cum tentationem illam expiatoriam eſſe ſciamus: Parum itaque abeſt, quin cum LEONE X. Pontifice Romano, perverſi iſti dicant: *Quam mihi de Moſe & Chriſto narras fabulam.* (5.)

§.IX.

(4) Quam obſcœnam Doctrinam HADRIANUS BEVERLANDUS, Scurrarum ſpurcorum Alpha, juſto Dei judicio mente captus, hoc de Articulo foveret, inter eruditos conſtat. Vid. M. JOH. RUS, de ſerpente ſeductore, Sect. 1. §. 2.

(5) Blaſphemo ore hæc protuliſſe verba, teſtatur *Theodoſius Berenici* (qui eſt BERNEGGERUS) in Tuba Pacis. p. m. 272. Eo, pergit, proceſſit impietatis, ut, teſtante *Pico Mirand.* quibusdam domeſticis faſ-

§. IX.

Aſt tempus jam eſſe videtur, Vulpeculis in ſtraminis manipulos transformatis, avitam formam reſtituendi. Id quod expeditu facile Dn. O. §. III. contendit reddere, dum ſcribit: *Certum eſt, in fonte S. S. Codicis pro eo quod vulpes in Verſionibus expreſſum eſt, haberi vocem* שׁוּעָל, *cujus radix nobis ignota eſt, ideoque de vera & genuina ſignificatione hujus vocis vix quicquam certi affirmari poſſe;* Occurrit inſuper nonnullis Objectionibus, in teſtimonium citato Cl. NEUMANNO. Μεγάλη χάρις αὐτῷ: Ambabus non ſolum hanc amplectimur liberalitatem, ſed noſtram etiam explicationem firmiſſimo tamdiu talo ſtare credimus, donec de vera & genuina ſignificatione vocis שׁוּעָל, certius quicquam ſtatuatur. Cum autem interim Metamorphoſin hanc Vulpecularum non niſi pro figmento habemus, nemo nobis id vitio vertet. At vero denuo luditur de Vulpecularum miſellarum corio, quia §. VII. Radix vocis שׁוּעָל reperta, ejusdemque ſignificatio amiſſa quondam, reſtituta jam dicitur & revocata: Vocabulum enim iſtud *manipulum avenæ* denotare, ſatis ſuperque perhibetur conſtare: Quam ſuam ſententiam probare Dn.

ſus ſit, nullum ſe Deum aliquando, etiam dum Pontificiam ſedem teneret, credidiſſe.

Dn. O. contendit, regula uſus ſemper ab Interpretibus recepta, atque ita ſonante: *Significatio derivatæ eo veriſimilior, quo propius ad ſuum accedit primitivum. Accedere autem dicit ſignificationem vocis* שועל *pro manipulo acceptæ propius ad radicem, quam ea, qua pro vulpe ſumitur:* radicem enim vocabuli putat olim fuiſſe שעל, indeque maxime ac immediate, juxta omnes Lexicographos, deſcendiſſe שעל, *manipulus.*

Eſto, ſed quo quæſo pacto ipſi cum Neumanno conveniet, qui ad verum, genuinum, & adæquatum vocis cujusque ſignificatum eruendum, *non Ortum* ſolum, ſed *Uſum* quoque ſimul requirit p. 376. Atque licet pro ipſius explicatione militet conformitas, quæ radici שעל cum derivato inde vocabulo שעל *pugillum* denotante, intercedit, nihil tamen hoc modo, niſi Ortus obſervaretur, dum pro noſtra *Uſum, Senſum*, & *Aſſenſum* pugnare videmus.

Neque eſt, cur quis objiciat, quod ea, quæ de Uſu dicuntur, longe nimis ſint petita: Nam ordinarie derivata participant quidem de ſignificatione radicis, ita tamen, ut non ſemper manifeſte, ſed ratione quadam, per profundiorem cogitationem perveſtiganda, quod exemplo דבר, cujus derivata peſtis, Caula, Apis &c. ſunt, B. D. PFEIFFERUS in Theſ. Hermeneut. p. m. 527. probat, quodque commodiſſime huc quadrat. BUXTORFIUS in Concord. Hebr. in voce שעל tria poſuit ſignificata, *Pugillum* dicit denotare,

Semi-

Semitam, ac *Vulpem*, quibus SCHINDLERUS in Lexico adjungit ex Arabica lingua ſignificationem *tuſſis*. Mirum ſi cuiquam videtur, quomodo cuncta derivata de unico שעל participent, is ſciat, modo eadem nos adjuti facilitate, qua Dn. O. ex hac radice ſignificationem manipuli deducere potuit, vulpem cum tuſſi, pugillo, ſemita comparare poſſumus. Cui hæc non ſufficiunt, adeat Avenarium, Schindlerum, Buxtorfium, & qui hos collegit, ſententiæque horum ſubſcripſit, B. M. Hilligerum c. l.

§. X.

Ex quibus abunde omnino conſtat, veram & genuinam hujus vocabuli ſignificationem nondum a Dn. O. eſſe inventam, ipſiusque argumenta nil niſi conjecturas eſſe. In memoriam proinde optaverim ut ille revocet Clariſſimum BOCHARTUM, in quo, (citante TOMA POPE BLOUNT in Conſ. Cel. Aut. p. m. 1030.) RICHARDUS SIMON, vir pruritui contradicendi & carpendi plane deditus, nihil reprehendere potuit, niſi quod in Phaleg & Hierozoico ipſius plurima innitantur conjecturis. Sicut autem, licet eruditionis Abyſſus eſſet, propriæ tamen opinionis & æſtimationis a leo expers erat, ut haud ſemel commiſſos in ſcriptis ſuis errores, publice ſit profeſſus; ita de eo Apulejanum hoc affirmandum eſt, quod *inter doctos nobiliſſimus, & inter nobiles doctiſſimus, inter utrosque opti-*

mus

mus, & quod merito addas, *inter omnes modeſtiſſimus* fuerit, GUILEL. SALDENUS, de uſu & abuſu Libr. En dignum, quod reputetur, encomium!

Hæc igitur, quæ adducta modo ſunt, eo animum meum permovent, ut Verſionem B. Lutheri, prout meretur, maximi ſemper faciam: Quibus etiam accedit, partim quód vocabulum hoc שׁוּעָל, in eo, quem Dn. O. tribuit illi, ſenſu nullibi in S. Scriptura reperiatur, cum *ſæpius* in ſignificatione, a nobis recepta, occurrat, eamque hoc ipſo confirmet; quippe cum ſeptem teſtes uni vel nulli prævaleant, partim, quod p. 377. ipſe Dn. O. affirmet, *genuinam hujus vocis ſignificationem e Scriptura S. exſculpi poſſe, & Pſ. LXIII. v. 11. de feris quibusvis uſurpari.* Ecquid igitur obſtat, quo minus in noſtra tranſeat caſtra? Quid juvat de *Ortu* hujus vocis adeo ſollicitum eſſe, ſi concedatur *Uſus* a Scriptura S. receptus? Sive valeat, quam de Thoës, animali, vulpeculæ ſimillimo, habet opinio, ſive non valeat, noſtræ explicationi nihil decedit.

In aureo ſuo Commentario, accurate obſervavit B. D. GEIERUS, vocem hanc loco citato quasvis ſignificare feras, carnivorasque beſtias. Quare autem vulpium meminerit David, cauſam addit: Unde apparet, non ita Dn. O. explicationi ſuæ, ut ſibi perſuadet, conſulere, cum V. hunc in modum colligere videtur: „*Quia Pſ. 63. v. 11. vocabulum* שׁוּעָל *non in ſpecie* vul-

nem, ſed in genere quamvis feram *denotare poteſt; Et peropportune Judic. 15.4. de ſtraminis manipulis explicari poteſt, ita, ut ſenſus evadat:* Und Simſon nahm 300. Strohwiſche; quum ita potius concludendum fuiſſet: Ergo τὸ שׁועל hoc in loco æque ac aliud incognitum nobis animal, cujusmodi Bocharti *Thoës*, quin imo *Ohim* (6) fuerunt, denotare poteſt, quippe cum hoc in paragrapho non tam de πολυσημίᾳ, quam de genere animalis quæſtio ſit, cujusmodi iſtud fuerit; ut ego quidem arbitror, Regulæ bonæ interpretationis & concluſionis hic rite haudquaquam ſunt obſervatæ.

§. XI.

Cum igitur hac ratione Dn. O. non ex ſententia ſuccedat explicatio, cuperet, ut videtur, modo liceret, argumenta violentiora in ſubſidium vocare, *textumque corruptionis inſimulando, Scheva in Kübbuz mutatum fuiſſe, perhibere, p. 378.* verum non niſi conjecturas ea quoque eſſe, nemo, credo, negabit; Etenim vix unum ex Criticis ac Interpretibus, nec ex iis, qui noſtræ

Reli-

(6) Excell. Dn. D. CYPRIANUS c. l. p. 71. qui Bochartum citat, locum Jeſ. XIII. de Thoibus intelligentem. Thoës Θῶες juxta Plin. Lib. 8. c. 34. ſunt *lupi*, quos SOLINUS in Æthiopia naſci tradit. ARRIANUS ait: Thoas eſſe Tigrides Indicas.

Religioni ſunt inimici, nominare poterit, cui locus hic viſus fuerit corruptus, aut quoad vocales mutatus. HUNTLÆUS certe, SALMERON, & plures adhuc alii, qui eo ſemper eniſi ſunt ſedulo, ut autoritatem & Integritatem Scripturæ S. ſuſpectam redderent, ac proinde omnia, quæ ex re ſcopo ſuo viſa ſunt, ſubinde corraſerunt; nihil tamen hoc loco reperiunt. Ac *poſito*, inquit B. D. CALOVIUS, quod *in uno alterove loco quibusdam ſcriptoribus potuerunt obrepere errores γραφικοὶ, non tamen iisdem in locis ſtatim reliquos omnes deſcribendo lapſos fuiſſe ſtatuendum eſt*, vid. Comment. ejus in Aug. Conf. p. m. 430.

Id quod Dn. Obſervatorem eo tandem perduxit, ut periculoſæ huic opinioni nuncium remiſerit; præſertim cum videret, a Proteſtantibus id contra Pontificios tam ſtrenue aſſeri, ut nihil quicquam, quod cujusdam eſt momenti, opponere valeant. Vellem omnino non citaſſet Dn. O. LUTHERUM beatum, ut teſtem, pro adſtruenda Textus ſacri corruptione: Conſtat enim inter omnes, quod Megalander iſte, cum illuminatio ejus adhuc primordia ſumeret, juſto liberaliorem interdum ſe geſſerit in concedendis iis, quæ adverſarii urgebant, quanquam tantum abeſt, ut ille improbæ LUDOVICI CAPELLI adſtipulatus fuerit opinioni, qui in *Critica ſua ſacra* impudenti conatu, variis modis & mediis, hodiernum Textum Hebræum

in corruptionis ſuſpicionem adducere, atque pro ſuá libidine emendare ſatagit, neque aliter tractat libros ſacros, atque Critici profani libros profanos; ut ipſe potius luculentiſſime declaraverit, quod nec Textus authentici depravationem, nec omnium Exemplarium aut ſcribarum inſcitia aut incuria aut malitia factam corruptionem affirmaret, vid. B. D. PFEIFFER in Critica S. p. 147.

Refutationem autem Capelli φλυαρίων feliciſſimo eventu in ſe ſuſcepere, præter laudatum Pfeifferum, Cl. WASMUTHUS, Textus authentici defenſor acerrimus, in Vind. Hebr. C. I. B. D. CALOVIUS in Crit. S. B. D. DEUTSCHMANNUS in Diſp. de Mendis Scr. S. WALTHERUS, GLASSIUS & alii. Hem! quanti viri! quibus tanquam fulgentiſſimis primæ magnitudinis Sideribus Orientalibus, ut luminis quicquam a me ſtellula minima ſuperaddatur, non eſt opus.

§. XII.

Aſt nonne violentis argumentis accenſeri poteſt, cum ad amplectendam hanc opinionem alios adigere quaſi ſatagendo ſcribit §. IIX. *Res omnis expedita erit, ſi conceſſeris, puncta hodierna vocalia ſuis conſonis non eſſe σύγχρονα*, & in ſequentibus verbis: *Id quod prorſus neceſſe eſt ut facias, niſi rationi, experientiæ, & virorum eruditiſſimorum, atque in iis ipſius Lutheri teſtimonio*

recla-

reclamare impudenter volueris. Ratio certe, experientia & Autoritas, quibus nos premere videtur, non tanti ſunt ponderis, ut ſuccumbamus. Quot conſentientes Viros eruditiſſimos ille nobis, tot & multo plures diſſentientes nos ipſi opponimus: Sed res hæc omnis in notiſſimam redit quæſtionem: *Utrum puncta cum ſuis conſonis nata, atque a Moſe & Prophetis libris ſuis ſtatim adſcripta, an vero ab Eſdra demum inventa & ſuperaddita* ſint PFEIFF. Cr. S. p. 112.

Poſterius aperte defendit B. SCHICKARD. &, quem plane ὁμόψηφον habet, Clar. ANDREAS SENNERTUS, in Philol. Exercit. C. II. p. m. 20. qui tamen caute diſtinguunt inter *Coævitatem* ratione *Scriptionis* & *Pronunciationis*, ſive ut Sennerto placet, ratione *Signi vel Characteris*, & ratione *ſoni & ſenſus*. Quamvis vero Dn. O. ab horum partibus ſteterit, nondum tamen nobis palmam præripuit: Siquidem Noſtrates perſpicue demonſtrarunt, rationes ipſorum, utut ſpeciem quandam veritatis referant, ruinoſo tamen niti fundamento: Ex multis vid. CALOVIUM in A. C. pag. 564. Dum vero Dn. O. putat, vocales in voce *Schualim* modo ablatas, modo additas, quid? quod τὸ :]: a Judæis eſſe inſertum, luculenter indicat, quod illorum ſit ſententiæ, *qui θεοπνευστίαν vocalibus derogant*, ac proinde, nullo licet freti fundamento, perhibent, puncta vocalia, ante hos mille fere annos a Maſorethis quibusdam Tiberienſibus

Poſt-Talmudianis, eſſe addita, cujus periculoſæ ſententiæ Anteſignanus ille ipſe LUDOVICUS CAPELLUS eſt, edoctus, aut potius ſeductus ab Anteambulone ſuo ELIA LEVITA, mitiore tamen diſcipulo Capello, puncta, omni Cabbala (quam admiſit Elias) rejecta, pro mero hominum invento habente, eaque pro re nata deſcri mutarive poſſe, audacter aſſerente. A Judæo iſto, ea tempeſtate florente, etiam B. noſter Lutherus, ut cum B. D. KROMAYERO in Polim. p. m. 31. loquar, eſt deceptus.

Non dubito, quin Dn. O. ad unguem omnem hanc calleat controverſiam, quæ cum Capello imprimis & Buxtorfio interceſſit; variasque de hac ſententias eruditorum, quorum permulti coævitatem punctorum, minimum r. tione *pronunciationis*, plurimi vero ex Noſtratibus & Reformatis, numeroſa etiam Judæorum conſentientium manu ſtipati, ratione *Scriptionis* defendunt; nec non quod Evangelici præ R. Eccleſia inde tulerint commodum; Neque tamen eo devenit, ut omnes illos, qui Capello, ipſiusque ſequacibus, cornua veritati obvertentibus, contraivere, impudentiæ inſimularet.

B. Lutheri teſtimonium hic iterum intempeſtive vocatum eſt in ſubſidium: Bibliomaſtyges eo ipſo non humiles, quid? quod Lutheromaſtyges ferociores redduntur, quippe qui plagas ejusmodi, ab ipſis Lutheranis Luthero inflictas, egregie in commodum ſuum vertere ſolent. Satis

eſto,

eſto, quod Romana Philiſtæa Cataphractis abundet Goliathis, qui Jehovæ Exercitui probrum inferunt, ejusdemque Primipilos linguis ſuis, ceu toxicis ſagittis, furioſe impetunt, & nos ad eorundem internecionem arma miniſtremus? Hoc acerbum poſt fata fatum experiuntur venerabilis Patris manes, ut ab omnibus, quos novaturiendi pruritus occupavit, modo parum cum ipſis faciat ac ſentiat, quam creberrime citetur, & venerandus Pater *Vigilantius* quaſi ſalutetur; quod ſi vero ab illis diſſenſerit, cum in Verſione tum in Interpretatione dormiviſſe dicatur, & *Dormitantius* appelletur.

§. XIII.

Sed quia juxta illud Sapientum, *Vocis ambiguitas adjectione alius vocis perit*, litem hanc vocabulum לכד, quod in Textu habetur, dirimet ac oſtendet, num לכד (ſi quæ adeſſet ambiguitas) *Vulpem* an *Pugillum* denotet. Atque licet in hoc ejusdem cum Dn. O. ſententiæ ſim, quod *non a Verſionibus, ſed fontibus ipſis*, neque, addo & hæc, ab Interpretatione ex proprio arbitrio, humanove vel ſagaciſſimo ingenio profecta, (ita enim Scriptura S. contra effatum Divinum ἰδίας ἐπιλύσεως eſſet) neque a Viris præjudicio faſcinatis, qui ſenſum ſuum, etiam corruptum, in Scripturam S. inferunt, ſed ex Scriptura S. ſeipſam explicante, verus & genuinus ſenſus expectandus ſit: Diffiteri tamen nequeo, viam, ad illum aſſequendum,

 dum,

dum, tutiſſimam ſternere Conſenſum Patrum & puriorum Eccleſiæ hodiernæ Doctorum: Communes enim opiniones, a viris vera pietate & eruditione gravibus receptæ, in interpretatione ſunt tutiſſimæ; Proxime autem & ſecundum Divini Numinis auxilium, riteque adhibitis mediis hermeneuticis, Concordantiæ Linguarum Originalium, & Commentarii, ad mentem Spiritus Sancti exarati, certiores nos reddere poſſunt.

Cum itaque Dn. O. hoc in loco Verſionem Lutheri Germanicam rejicit, ſuamque contra, quæ hujus tenoris eſt: Und Simſon gieng hin, und nahm 300. Strohwiſche, ſupponit, non ægre feret, ſi mentem ipſius verbis expoſiturus dixero: *Inſpecto vocabulo Hebraico, Translatio Dn. Obſervatoris in nihilum redigitur.* Ac mirum omnino videtur, cur tanta cum fiducia, ad Concordantias & Lexica provocet, quæ tamen hoc in negotio, admodum ei contrariantur.

Secundum effatum incomparabilis BUXTORFII, cui major, quam Rabbino illi Anonymo, fides eſt habenda, ſignificat τὸ לכר *capere, deprehendere, continere, concreſcere.* In ſignificatione autem aſſumendi & arripiendi לקח quidem, nullibi vero לכר inventum a me fuit. Cumque centum propemodum loca Scripturæ S. allegentur, in quibus notionem capiendi, occupandi, capturæ & decipulæ infert, confirmatur magis noſtra Explicatio. EDUARDUS LEIGH in Critica S. hæc de vocabulo iſto habet, לכר ſcribit,

bit, *cepit, comprehendit*, de loco & urbe, *expugnavit*: LXX utuntur καταλαμβάνειν (recte & συλλαμβάνειν addidiſſet) pro hoc verbo, quod pro Urbium inopinata expugnatione uſurpatur.

Licet autem verbum hoc in fontibus *ſemel tantum*, hoc in loco ſcil. *de illaqueatione* uſurparetur, nihilominus tamen firmo ſtat noſtra ſententia talo: Quod enim ad hoc attinet, idem, quod Dn. O. p. 380. de quibusdam vocibus ἅπαξ λεγομένοις, in noſtrum ſubſidium vertere poſſumus. Quod vero ad illud pertinet, pugnant pro nobis verba *capere, occupare* &c. Siquidem inter venationes, quæ belli quaſi ſunt crepundia, & occupationes Urbium & Imperiorum, ut & capturam hominum, percommoda datur comparatio. Sicut enim beſtiis, ita hominibus in bello inſidiæ ſtruuntur, neque cum his captis ſecus, ac cum beſtiis, ſæpiſſime agitur. De Datame refert NEPOS in ejus vita Cap. III. „ quod Thyum, Dy„naſtem Paphlagoniæ victum & vinctum, optima „texerit veſte, ipſe vero, gerens in capite galeam „venatoriam, dextra manu clavam, ſiniſtra co„pulam, qua vinctum ante ſe Thyum egerit, ac ſi „feram beſtiam captam duceret.

Atque hæc quoque cauſa eſt, cur Geneſ. X. Nimrodus dicatur *robuſtus venator*: Namque eo ipſo, non potentia, exercita in feras beſtias venando, ſed in homines perſequendo, indicatur, ut PFEIFF. judicat, in Dub. Vexatis. Vi & armis, inquit PELARGUS, Comment. h. l. conſtituit

Nimrodus imperium, & ſicut Venator feras cogit, & retibus implicat; ita homines ille venatus eſt, ut omnes uni parerent. Sed cur natemus, cum flumen vadare liceat? manifeſtum enim eſt, quod τὸ לכר idem ſit ac *illaqueare*. Audiamus B. D. GEIERUM, Theologum & Philologum, omnium Confeſſione exactiſſimum, quem Britannia admirata, & Batavia venerata eſt,
„ in Pſ. IX. v. 16. ita loquentem: „ לכר *proprie*
„ *eſt e re venatoria, ut patet ex Cohel. VII. quod Pſ.*
„ *XXXV. 8. repetit.* Pro *captura* quando ſumitur Prov. III. 16. legi meretur idem Geierus in Comment. Pro *decipula* juxta ſemitam poſita, Job. 18. 10. uſurpatam hanc vocem explicat conſummatiſſimus Theologus B. D. SEB. SCHMI-
„ DIUS in fabrefacto Comment. *Deſcribitur*, in-
„ quit, *quomodo greſſus impii arctentur, & cum*
„ *aliqua de laqueis hactenus dicta ſunt, nunc addi-*
„ *tur, quod laqueus* (ſeu, ut PISCATOR vult, re-
„ te, quo aviculæ decipiuntur) *ipſum etiam expe-*
„ *ctet, in terra plana & aperta.*

Quin imo, cum de comprehenſione in Scriptura S. accipitur, quod aliquoties fieri videmus, innuitur tamen nihilominus *phraſis aucupatoria & militaria*, e. g. cum Joſuæ V. 16. & 1. Sam. 10. 20. dicitur, & deprehenſa eſt tribus Benjaminis; eum in modum explicat ſuam mentem B. D. SCHMIDIUS: לכר ſumptum a re aucupatoria vel venatoria, in qua beſtia vel avis dicitur laqueo capi, quando inſcia in eum incidit, in

Com-

Comment. in Joſ. p. 890. Et licet verbum hoc ſignificatione *conſtringendi* Job. 38. p. 30. & *continendi* Cap. 41. 8. occurrat, neque tamen non per Phraſin quandam venatoriam & militarem idem D. SCHMIDIUS id commode expoſuit; ut legenti & attendenti patebit.

Cum vero Dn. O. noſtram ſententiam per vocabulum συλλαμβάνειν; quod LXX. Interpretes uſurparunt, infirmare contendit, non video, quæ cogitationes in animo ipſius verſatæ fuerint, quia illa potius eo ipſo confirmatur. Evolvas licet Vetus æque ac N. Teſtamentum, in utroque tamen videbis, quam amiciſſime verbum hoc cum noſtra explicatione conſpiret, dum multoties *capturam* ſeu *comprehenſionem* denotet: Gaudet enim hac ſignificatione, vel, cum homines ſibimet invicem inſidias ſtruunt, & alter eorum alterum capit, ut Joſua Regem Haji Joſ. 8. 23. Saulus Agagum, 1. Sam. 15. Iſraelitæ ſacrificulos Bahalis 1. Reg. 18. 40. Principes Jeremiam, Cap. 38. 5. Et quando comprehenſus dicitur noſter Salvator, tanquam Cerva auroræ, Matth. 26. 53. confer & lege Pſ. 35. v. 8. Vel, cum homines feris avibusque inſidiantur, illasque capiunt. Sic aves in tendicula Jer. 5. 26. & leones Juvenes in fovea, Ezech. 19. 4.-8. piſces in reti capiuntur; Vel beſtiarum altera alteri imminet, ſeque invicem illæ perdunt; ſicuti Leones inhiant præ-

dam

dam Amoſ. 3. 4. Multa alia loca taceo, quia ex hiſce ſatis apparet, vocabulum hoc συλλαμβάνειν pariter ac Hebraicum לכד, *illaqueandi*, *capiendi*, & *captum comprehendendi* ſignificationem in ſacro codice obtinuiſſe: Unde verba Dn. O. aliquantum mutata ipſi redduntur: Tantum abeſt, ut h. l. לכד pro *arripere* & *aſſumere* reddi debeat, ut, cum LXX. per συλλαμβάνειν verterint, pro *capere* potius & *illaqueare* accipiendum ſit.

Neque ipſum quid juvabit, quando in loco Jud. 8. 24. ejusque verſione græca ſuffugium quærit: Cum enim LXX Interpretes vocabulum, de quo ſermo eſt, in loco iſto per καταλαμβάνειν & προκαταλαμβάνειν, Vulgata per *occupare* & *præoccupare* reddiderint, & B. LUTHERUS inſuper ita id ipſum tranſtulerit: Und ſie verlieſſen ihnen das Waſſer/ex facili colligere licet, omnes has tres Verſiones indicare *capturam hominum, & viam*, ut milites loquuntur, *interclуſam*, ſ. *iter impeditum*. Proinde hunc in modum locus iſte explicandus eſt: Iſraelitæ viam intercludebant Midianitis, verrenneten ihnen den Paß, ut cum fugere vellent, non liceret; Deinceps, ut in votis habebant Iſraëlitæ, ſequebatur egregia captura: καὶ συνελάβοντο τοὺς ἄρχοντας Μαδιάμ, Lutherus: Und ſie fiengen zween Fürſten der Midianiter; quam capturam excipiebat internecio: καὶ ἀπέκτεινεν ὠρήβ. Ecquis non cognoſcit, quam bene hæc omnia cohæreant, quam

concinne omnia fluant, & quam egregia omnia, cum explicatione noſtra conveniant; Quocirca non video, quare Dn. O. ad hunc ipſum locum provocaverit.

§. XIV.

Manipulis igitur ſtraminis in cinerem redactis, hem! Vulpeculæ, auſpicato a Simſone captæ, denuo proſiliunt. Sed quid monſtri alunt? caudas ſuas, utut prolixas admodum, oculis tamen Dn. Obſervatoris ſubduxerunt. Neque mirum, qui id fieri poſſit, cum juxta adagium, *cauda de vulpe teſtetur*: Ratio in promptu eſt: Remoto toro, removentur partes. Cumque Dn. O. omnia, quæ de Vulpeculis Simſonis Scriptura S. refert, non niſi improprie accipere, & animalcula vere talia ab Heroë iſto capta negare inſtituerit: quid mirum? ſi vel prolixiſſimas caudas cernere nequeat, quippe cum eas quoque improprie ut ſumat, inſtituti ipſius ratio jubeat. Maximam quidem Controverſiæ hujus partem verſari in voce שׁועל, non nego: quæritur enim, num proprie an improprie illa accipienda ſit? Num vero citra veritatis jacturam cum Dn. O. poſterius quis poſſit urgere, eſt, de quo maxime dubito.

Argumenta ſane, quæ partim a genio & uſu linguarum elegantiorum, partim ab Authoritate Dn. Obſ. deſumſit, arenoſo omnino nituntur fundamento: Nequaquam enim, prout decet, uſus

uſus Græcæ, Latinæ, & Germanicæ Linguæ probat, *eandem* propriè ſignificare alicujus rei *finem, oram*, & *marginem*. Hoc ipſum eſt τὸ κρασ-πεδον. COCCEJUS, quem gregariorum Lexicographorum numero eximit, laude utique ſua eſt dignus, & ampliori forſan, modo non eruditioni & viribus ſuis nimium confiſus, Hermeneutica & Philologia ſacra abuſus, & novitatis ſtudium cupidiſſime amplexus eſſet. Qua de cauſa neque noſtratibus Theologis, qui Cochii hujus ſcripta quaſi recoquenda, & cum judicio legenda, ne quis ſpecioſa Analyſi capiatur, ſuadent, neque cordatioribus etiam Reformatorum Theologis, civibus ſuis, per omnia eſt probatus.

Placet HULSII, Leydenſium Theologi eximii, in novitatis ſtudioſos invehentis, candor & juſtus zelus. *Videbam*, inquit, - - - *Controverſiarum ſtudium, uti nunc in Eccleſia, minus neceſſarium, contemni*, - - - *Annotationes Bibliorum Belgicorum paſſim carpi, iisque novas Coccejanas juvenili levitate & impetu ſubſtitui*. Theologos, qui ante Coccejum ſcripſiſſent pro Grolliſtis &c. in Theol. Hyp. P. II. p. 15. Quid quæſo, (ſtante præterea Coccejana hypotheſi; *Verba Scripturæ S. id omne ſignificare ex intentione Spiritus S. quod ſignificare poſſunt*,) certi, firmi, verive a Viro hoc, alias celeberrimo, expectandum eſt? Cothurnus ejusmodi utrique pedi eſt aptiſſimus.

Auto-

Autoritati Coccejanæ opponimus Buxtorfianam זנב inquit Vir iſte celeberrimus in Lexico, *generaliter ſignificat alicujus rei extremam partem, ſpecialiter, caudas cujusque animalis, præter ſolius ovis:* Quæ clarius paulo exprimit LEIGH in Crit. Sac. זנב inquiens, *cauda animalis & penis,* Job. 40. 12. Jud. 15. 4. Metaphorice *extremitas alicujus rei.* Cum quibus conſentit SCHINDLERUS, dum dicit זנב *Cauda, Metaphorice, extremitas cujusque rei, ad ſimilitudinem corporis brutorum animalium, in his enim cauda eſt pars corporis extrema.* Adſtipulatur inſuper huic explicationi claſſicus GLASSIUS in Rhetor. S. p. 313. Quum vero Dn. Obſ. dubitat, an unicus ex Scriptura S. locus in medium produci poſſit, ubi זנב *caudam* proprie denotet, in ſubſidium quidem provocat, hujus oppoſitum vocabulum ſcilicet τὸ ראש, aſt entia præter neceſſitatem multiplicat; Et quot quæſo in amplo figurarum campo naſcentur flores: Quod ſi enim, ex omnium interpretum Confeſſione, omniumque, paucis modernis exceptis, novitatis ſtudio illectis, conſenſu, in loco Deut. 28. v. 13. allegato, Metaphora non in verbis, *Caput & Cauda,* ſed in ſubjuncta explicatione, *eris in ſupremis nec in extremis* lateat; jam, inverſo ordine, voces *Caput & Cauda,* metaphorice ſecundum Dn. Obſervatoris ſententiam acceptæ, coguntur metaphoram deſtitutam ſcilicet

aſſi-

a ſupremo aut extremo, ſive, uti GLASSIUS vult, a *Dominio & ſubjectione*, pati:

Ita Metaphoram per Metaphoram explicet neceſſum eſt, quod certe rationi æque ac experientiæ repugnat; ſiquidem multo tempore ante, quam Princeps, Principatus, Dominium aut ſuperioritas politica, ſubjectio & ſervitus, mortalibus innotuere, homines capitibus fuerunt prædici, caudisque bruta: Metaphoram vero a non exiſtentibus petere, præpoſterum quid eſt. Quod vocem זנב attinet, unicum produxiſſe locum ſufficiat: Exod. IV. v. 3. ubi Moſes dicitur a Deo juſſus, *virgam in terram projicere, eamque in ſerpentem mutatam*, בזנבו *in cauda apprehendere.* Ecquid igitur impedit, quominus זנב hoc in loco propriam obtineat ſignificationem? cum *radix* præterea, ſeu *ortus* nobis faveat, & vocabulum זנב a Syr. *cauda præditus eſt*, deſcendat. Quid? quod *Uſus* quoque jubeat: Commode enim huc referri poteſt locus Jobi 40. 12. Cauda ejus ſicut Cedrus: Namque licet, cenſente B. D. SCHMIDIO, conſentiente D. PFEIFFERO, caſtiſſima hac Scripturæ phraſi, cauda hoc loco genitalia ſignificet, proprie tamen pro ejusdem extrema corporis parte accipitur, quæ eſt proprie dicta cauda. Cum igitur Beemothi & Leviathanis, reliqua membra, corporisque vaſti partes, Naſus, inquam, oculi, nervi, Venter, Lumbi &c. nec non animalium, quæ cultu Levitico adhuc florente, immolaban-

tur,

tur, viſcera & membra, proprie denominantur; quare caput & cauda propriam denominationem non obtineant, cum non ſint conditionis deterioris?

Differentia *inter vocabulum* זנב, *&* אליה, *quorum hoc* caudam *proprie dictam, illud vero extremitatem quamcunque ſignificare dicitur,* & Scripturæ Sacræ, & ejusdem doctioribus Interpretibus, plane eſt ignota. Atque licet hoc, ut Dn. O. putat, Virorum emunctioris naris commune ſit judicium; ad veſtigia tamen, quæ ad verum & genuinum ſenſum eos perducere potuiſſent, nondum pervenerunt: Scriptura quidem Sacra differentiam quandam admittit, ſed non inter caudam & extremitatem aliquam, ſed inter *caudam hujus vel illius animalis*, hoc modo, ut *Aljeh*, quod quinquies in ſacro Codice offenditur, caudam tantum agni, ovis aut arietis, vid. Buxtorf. in Lexic. *Sanab* vero caudam, cujusvis animalis denotet. Addatur CL. BURCKLINGIUS in Lexic. Hebr. Mnemon. qui hæc habet אליה *cauda*, pecul. *ovilla* grandis & adipoſa, qualem oves in Oriente habent, Sanab eſt generale. Iisdem ferme verbis utitur OPITIUS.

§. XV.

In evolvendo vocabulo שלח, non occupatum videmus Dn. O. Certiſſime enim credit, *projiciendi* ſignificationem id ipſum obti- nuiſſe.

nuiſſe. Brevitatis itaque & ego ſtudioſus, peto, ut evolvat Buxtorfii Concordant. Bibl. qui quatuor tantum hujus vocis adducit ſignificata, nulla mentione facta ſignificationis projiciendi; Forſitan per ignorantiam aut oſcitantiam Buxtorfii factum eſt, ut in enodatione τὸ שלח hæc ſignificatio omiſſa, & iis, quæ de שלך habet, inſerta? Sed abſit, ut de accuratiſſimo illo Philologo hæc dicam. Velim ſaltem, quod ad vocem שלח attinet, quæ in textu exſtat, evolvat Gen. 8. & Exod. 8. 21. Levit. 16. 10. 21. ubi de Hirco emiſſario, ejusque ejectione, cum violentia quadam peracta, intelligi poteſt. In Conjugatione Piel coactionem quidem quandam importat, ſed non eandem quam Dn. O. intendit. „ Emphatice „ hoc loco in Piel ponitur, *emiſit, ejecit*, quaſi, *ex„ pulit, detruſit*, ad denotandam tum celeritatem, „ tum coactionem, quam in dimittendis vulpecu„ lis adhibuit Simſon, ſunt Schindleri verba.

§. XVI.

Atque hæc eſt ſpecioſa in oculis Dn. O. & loquacium Helena, quæ, ut baſiatores alliciat, elogiorum purpuriſſo eſt illita, atque a venuſtate, maxime his verbis, commendata: *Et o quam pulchra ſit contextus noſtri ἀλληλουχία, ſi vocem Sand h. l. per extremitatem explicueris, --- & tota narratio evadet probabilior, ſi eam ita explicueris:* **Und Simſon gieng hin, und nahm 300. Strohwiſche, und kehret ein Ende gegen**

gen das andere (das Stertz-Ende, Caudam, κέρκον, Sanab, gegen das Aehren-Ende) und leget einen Brand zwiſchen zweyen Enden, und zündet die an mit Feuer, und warff ſie unter das Korn der Philiſter.

Hæc, inquam, Amaſia antiquas & quietas ſedes deſeruit, Veronamque prætervehendo, Athenis, ubi frequentiſſima, *quid Novi*? quæſtio, appulit: Placentiæ demum, Novi & male-curioſi Orbis Metropoli, domicilium ſibi conſtituit fixum; & ut quam commoda ibi eſſet ſedes, hem, qui ſapientia doctrinaque, ſua quidem opinione, alios præſtant, domum eidem ædificarunt magnificam, columnis ſuffultam ſuis, conductis in id operis ex Palæſtina, Italia, &, quod mireris, Teutonia, Architectis ſolertiſſimis. Utut vero in ædificando Orbi literato multum profuerint, Chriſti tamen Regno Tros Rutilusve fuat, ſive in Germania, ſive Florentiæ floruerint artifices inſigniores, dexteritatem haud probarunt ſuam. Tota enim machina eodem fundamento, quo *Africanum illud palatium*, (ſi fides habenda hiſtoricis) in ruinam ex ſale foſſili aptatum nititur, quæ rivulis, ex puriſſimis Iſraelis fontibus in eam derivatis, liqueſcat & corruat neceſſum eſt.

§. XVII.

Paragrapho XI. & ultimo, Paraphraſtæ Chal-

daici, Septuaginta Virorum, Vulgatæ, & B. Lutheri Verſionis Germanicæ Autoritas dejicitur, ut ſua ſuorumque extollatur. Lutherus noſter, a Deo excitatus, *quandoque dormiſſe* dicitur, ac aliquid laudis & gloriæ de vigilantia pro veritate, Lege & Grege Chriſti, novellis, vel ipſius Themidos Sacerdotibus, Scripturæ S. interpretibus, decedat. Pro infallibili expoſitionem ſuam venditare abnuit, eandem tamen ut probam, ingenuam, nitidam, & recentem exponit mercem; noſtram vero, ab Eccleſia receptam, & in ſacro codice firmatam, * pro falſa, fucoſa, mucida, quæ omni careat nitore, proclamando.

Malo interim B. LUTHERI, Viri Dei, ſpiritu fortitudinis & ſapientiæ præditi, Herois magnamini, Confeſſionis, Verſionis, adeoque ejus doctrinæ ſectator & æſtimator vel infimæ eſſe fortis: quam eminere inter eos, qui acumine judicii, dotibusque ingenii egregiis, ſub ſpecie vindicandæ veritatis, abutuntur, applicato Rabbinorum Apophthegmate: *Eſto cauda Leonum, & ne eſto Caput vulpium.*

* In Palæſtina frequentes fuiſſe vulpes elucet ex Cantic. II. 15. Pſal. LXIII. 11. Nehem. IV. 3. Thren. V. 18. Ezech. XIII. 4. Matth. IIX. 20. Luc. IX. 58. Unde terra vulpis, 1. Sam. XIII. 17. & caſtrum vulpis, Ioſuæ XV. 28.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.

JOHANN. MATTHIÆ HASII, AUGUSTANI,

exhibens

Solutionem Problematis Algebraici, a R. P. Auguſt. Thom, a S. Joſepho propoſiti.

ALTERUM (*) problema ſtylo Autoris, R. P. *Auguſtini Thomæ a S. Joſepho*, Clericorum Regularium pauperum Matris Dei & Scholarum piarum Sacerdotis, & Collegii Curtiani Hornæ in Auſtria Vice-Rectoris; conceptum, & in DIARIO VIENNENSI propoſitum, ita ſe habebat: *Datam rectam ſecare in quatuor Partes rationales inæquales, ut ſumma 4. ſolidorum a tribus quibusvis parti-*

 bus

* Prius Problema ſuperius Obſervatione LXXVI. hujus Tomi IV. p. 69. ſqq. ſolutum eſt.

bus productorum (manente proportione Imæ ad IIam, & IIIæ ad IVam) ſit omnium maxima.

Ubi ex ſuperioribus planum eſt, quid ab eo hic exigatur. Obſervari autem etiam hic poteſt, ſi partes quæſitæ forent tales, ut ſumma ſolidorum ex tribus quibusvis factorum ſit omnium ejusmodi ſummarum abſolute maxima, neceſſario futurum fuiſſe, ut partes ipſæ exiſterent æquales. Cæterum cum inæquales placuerint, liceat omnes quantitates denominare ut in priori problemate; eruntque $\frac{a^2py - 2ampy^2 + m^2py^3}{n^2}$ factum I. II. & III. factum ſive ſolidum ex II. III. & IV. $\frac{anpqy^2 - mnpqy^3}{2}$ Factum ex I. III. & IV $\frac{anqy^2 - mnqy^3}{n^2}$ Itemque factum ex I. II. & IV. $\frac{a^2pqy - 2ampqy^2 + m^2pqy^3}{n^2}$ Ex quorum ſumma differentiata, nihiloq; æquata, deducitur hæc æquatio

$$-a^2mp = \left.\begin{matrix} -4am^2p \\ +2an^2q \end{matrix}\right\} y \quad \left.\begin{matrix} +3m^3p \\ -3mn^2q \end{matrix}\right\} y^2:$$

Et hanc reducendo valor iſte ipſius $y =$

$$\frac{\sqrt{a^2n^4q^2 - pqm^2n^2 + m^4p^2} - an^2q + 2am^2p}{3m^2p - 3mn^2q}$$

unde

Unde etiam exiſtit $x = \frac{2m^2p - 2mn^2q - \sqrt{4n^4q^2 - pqm^2n^2 + m^4p^2}}{3m^3p - 3mn^2q}$

Ex qua reſolutione evidens eſt, problema fore determinatum rationibus quomodolibet aſſumtis. Sed ut inſuper ſolutio rationalis evadat, quantitatem ſub ſigno radicali, ad quam res omnis redit, ita per ſubſtitutionem ipſius $m - 1$ pro q reformatam, ut habeatur $\sqrt{4m^2n^4 - 2mn^4 + n^4 - m^3n^2p + m^2n^2p + m\ p^2}$ quadrato æqualem ſtatuemus, cujus radix eſt $pm^2 + \frac{n^2}{2} - \frac{n^2m}{2} + \frac{3n^4}{8p}$. Unde fiet reductione facta $= m \frac{8n^2p + 3n^4 - 16p^2}{8n^2p - 32p}$ itemque $q = \frac{3n^4 + 16p^2}{8n^2p - 32p^2}$ Ex quo apparet, ipſo quidem p plane arbitrario aſſumto, quomodo q eligi debeat, ut dicto modo valor ipſius y atque x ſit totus rationalis.

OBSER-

OBSERVATIO XCII.

Ex Litteris

JOHANN. MARTINI SCHAMELII,

Numburgi ad D. Wenzeslai Paſtoris Primarii,

de

B. Lutheri verſione Bibliorum latina.

Ad C. F. P.

LAtet penes me VERSIO BIBLIORUM LATINA a B. Megalandro noſtro LUTHERO olim adornata, atque A. 1529. Wittebergæ in fol. minori (uti loquuntur) excuſa. Rariſſimam eſſe hodie teſtantur Viri in re literaria verſatiſſimi. *Dn. Frickius* in *Hiſtor. Luth. Germ.* pag. 2723. hæc habet: Auſſer der deutſchen Uberſetzung hat Lutherus die Bibel auch in das Lateiniſche, wiewohl nicht völlig, überſetzet, geſtalten Herr Zeidler in ſeinen Vorbericht über den Hälliſchen Theil meldet, daß ſolche Lateini-

teiniſche, wiewohl nicht vollſtändige Überſetzung Anno 1529. in fol. heraus kommen. Ich muß bekennen, NB. daß ich ſolche nie geſehen, , , , und wäre wohl werth, daß ſie wieder aufgeleget würde. *Dn. Kraſſtius* in *Prodrom. Hiſt. Verſ. Luth. Germ. p.* 20. prolixus admodum eſt in commendanda ac vindicanda iſta Verſione, atque tria ſaltem in Germania loca, ſibi quidem nota, ſupereſſe perhibet, ubi deliteſcat. Oſtendi tamen etiam Pariſiis, ex *P. le Long. Bibl. P. I. pag.* 672. & *P. II. p.* 467. didici. Forte divina providentia factum eſt, ut hic Lutheri labor flammis atrociſſimis, quibus eheu! ædes meæ parochiales præterlapſo menſe Aprili conflagrarunt, ſpolii inſtar adhuc eriperetur. Cum itaque leviſſimas etiam Lutheri ſchedas a multis exquiri videam, æquum eſſe judicavi, ut publice innoteſcat, opus illud longe præſtantius apud me quoque adhuc commorari. Quodſi eſſet, qui impenſas faceret, paratus eſſem, uſui atque bono publico relinquere. Annotavi jamjam nonnulla, ex quibus liquet, quid in hac verſione Architheologus noſter illuminatiſſimus præſtiterit, quæque præfa-

tionis loco præmitti aliquando poſſent. Sane tempori maxime commodo huncce laborem reſervari crediderim, anno nempe Eccleſiæ noſtræ Lutheranæ Jubilæo majori. Hoc ipſo vero anno protrahere in publicum fœtum Lutheri, tenebris propemodum huc usque ſepultum, Eccleſiæ tamen utilem, quid quæſo e re magis eſſe poſſet?

OBSERVATIO XCIII.
CHRIST. GRUNDMANNI,
Paſt. Heuckevv.
exhibens
Urnas defunctorum,
in Republica inprimis Literaria, per ſemeſtre poſterius
An. M.DCCXIV.
collectas.

I. Perſonæ Sereniſſimæ,
quarum quinque Tomo III. relatæ ſunt:

6. CAROLUS, Dux Bituricenſis (Duc de Berry,) *Ludovici XV*. Galliarum Delphini,

phini, filius tertio genitus, totius regni delicium, †. d. 4. Maj. æt. 28.

7. FRIDERICUS ERDMANNUS, Dux Saxo-Martisburg. †Cœthenæ paulo poſt tædas eheu! nuptiales d. 2. Jun. æt. 23.

8. FRIDERICUS WILHELMUS, Dux Holſato-Sunderburgicus, Capituli Hamburgenſis Præpoſitus, † Hamburgi d. 3. Jun. æt. 46.

9. SOPHIA, *Erneſti Auguſti*, Elect. Brunſvic. &Luneb. vidua, *Friderici V.* Elect. *Palatini*, & Electi Bohemorum Regis, filia, & exinde hæres Regnorum M. Britanniae, † in Horto Arcis Herrenhauſen apoplexia inter exſpatiandum ſubito correpta d. 8. Jun. æt. 84.

Princeps erat prudentiſſima, doctiſſima, & inprimis eloquentiſſima, in Studiis Theologicis, Hiſtoricis, Geographicis, variisque linguis, v. g. Latina, Gallica, Britannica, Italica, Hiſpanica, Belgica &c. exercitatiſſima, Sophia vere Σοφωτάτη, Seculi Sexusque ſui Miraculum.

10. CHARLOTTA ALBERTINA, *Friderici Wilhelmi*, Boruſſ. Reg. & Elect. Brandenb. filia Princeps † Berolini d. 10. Jun. æt. 1. ann. & 4. hebd.

11.

11. ANNA, M. Britanniæ Regina, *Jacobi II.* Exulis filia, GEORGII, Regii Danorum Principis vidua, opportuno extincta fato, d. 12. Aug. æt. 50. Regim. 13.

12. ELEONORA DOROTHEA, Princeps Haſſo-Darmſtadina, *Georgii III.* Landgravii Haſſo-Darmſtadienſis filia, Princeps Virgo pientiſſima, † d. 4. Sept. æt. 45.

13. ERNESTINA CHARLOTTA, *Wilhelmi Mauritii*, Principis Naſſovio-Siegenſis vidua, Stemmatis ſui Naſſovio-Schaumburgici ultima, † d. 19. Octobr. æt. 52.

14. PETRUS CAROLUS, Regius Braſiliæ Princeps, *Johannis*, Luſitaniæ Regis filius primo-genitus, † d. 1. Novembr. æt. 2. ann.

15. ALEXANDER BENEDICTUS, Princeps Sobieski, *Johannis III.* Poloniarum Regis filius natu-medius, † Romæ d. 19. Nov. æt. 37.

II. Perſonæ Reverendiſſimæ Literatæ,

quarum tres Tomo III. inſertæ:

4. JOHANNES BADOUARO, Venetus,

netus, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Breſcianus, † d. 17. Maj.

5. D. HAQUINUS SPEGELIUS, totius Sueciæ Regni Primas, atque Archi-Epiſcopus, Academiæ Upſalienſis Pro-Cancellarius, necnon Conſiſtorii Eccleſiaſtici Præſes, D. Erici Benzelii 1709. ſucceſſor † Upſaliæ M. Majo.

6. D. HENRICUS COMPTON, Epiſcopus Londinenſis in Anglia, Regii Templi Decanus, & Sanctioris Conſilii Regii Aſſeſſor, † Londini d. 7. Jul. æt. 81. dignitatis Epiſcopalis 40.

a) Juvenis caſtra ſecutus vexilliferi officio ſtrenue functus eſt.

b) Reginas, *Mariam* & *Annam*, ſuccesſive regnantes, Conjugibus ſuis, *Wilhelmo* & *Georgio*, matrimoniali copula ſociavit.

c) Regi *Wilhelmo III.* Regiæque Conjugi Mariæ d. 11. Apr. 1689. Coronam impoſuit.

d) Regnante *Jacobo* adverſa fata fuit expertus, dum ex Senatu Sanctiore diſcedere, & Decanatu etiam Sacelli Regii cedere juſſus eſt, tandemque ab Epiſcopatu, ac omnis Iurisdictionis ac functionum Epiſcopalium exercitio ſe ſuſpenſum vidit, eo quod Pontificiis favere nolebat. Interea temporis curioſus Rerum Botanicarum æſtimator in

Horto

Horto ſuo ſolatium quæſivit, donec mutata rerum facie, auctoritate Parliamenti ab aula fuerit reſtitutus.

7. ADELBERTUS L. B. de SCHLEIFFRAS, Fuldenſis, Eccleſiæ patriæ confirmatus Abbas, S. R. I. Princeps, Auguſtæ Archi-Cancellarius, antea in Senatu Conſilii Aulici Imperialis Cæſ. Præſes, † Fuldæ d. 4. Octobr. Regim. 15.

8. CÆSAR, COMES d'ETREES, Gallus, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Senior, & Dux Laudunenſis (Laon,) Par Franciæ, Ordinum Regiorum Commendator, S. *C*ollegii *C*amerarius, plurium *M*onaſteriorum, in primis in Fano S. Germani de *Prez* Abbas, Sorbonnæ Doctor, Regiæque Scientiarum Sueſſionenſis *P*rotector, † *P*ariſiis d. 19. Dec. æt. 88.

9. JOHANNES MORUS, Epiſcopus in Anglia Elienſis, Vir profundæ eruditionis, & communis omnium Literatorum Patronus, † 1714.

Ampliſſima *Mori* Bibliotheca, & MSptis præſertim codd. abundans, commune quoddam Angliæ oraculum erat, ex quo reſponſa ex Literatura tum Romana, tum Græca petierunt & Angli & Exteri. Hanc poſt fata

fata poſſeſſoris Rex Georgius ſuis ſumtibus (30000. imperialium pretio) redemtam Academiæ Cantabrigienſi dono dedit. 1715.

III. Perſonæ Arte & Marte Illuſtres,

quarum ſeptem Tomo III. ſunt prolatæ:

8. CAR. FRANCISC. de PFEFFERSHOFEN, S. C. M. Generalis Rei Tormentariæ Præfectus, & Præſidii Budenſis in Hungaria Commendator, † Budæ d. 10. Maj. 50. annorum miles Cæſareus.

9. JACOBUS de WASSENAER, Dominus de Waſſenaar, Obdam &c. in Suprema Curia Ordin. Fœderati Belgii Senator Prim. Ordinis Elephantini Eques, Generalis Copiarum Equeſtrium Præfectus, & Gubernator Sylvæ Ducis, † Hagæ Comitum d. 24. Maj.

10. NICOLAUS MENAGER, COMES de S. JEAN, Gallus, S. R. Maj. Conſiliarius Status Int. Eq. Ord. Regii S. Mich. & in Pacificatione Trajectina 1712 Legatus cum plena poteſtate tertius, † Pariſiis forti apoplexia enecatus d. 15. Jun. æt. 55. ἄγαμος.

11. JOH. ADAMUS, L. B. de TANNER, Nobilis Dominus de Reichersdorff, Circuli

Franco-

Franconici in Rebus bellicis Conſil. Int. nec non Sereniſſ. Marchioni Brandenb. Baruthino a Conſiliis Secretioribus, † Norimbergæ d. 11. Jul.

12. CHRISTIANUS FRIDERICUS, L. B. de BARTHOLDI, Pot. Boruſſ. Regis Conſiliarius Status Int. in Supremo Provocationum Senatu Præſes, & Proto-Synedrii, quod Galli *habent* Berolini, Director, † Berolini d. 28. Auguſt, æt. 46.

JCtus erat conſummatiſſimus, qui An. 1688. nondum 20. annos natus, Francof. ad Viadrum de Neceſſitate edendi Titulum Poſſesſionis pro Gradu doctorali ſumma cum laude diſputavit. vid. *D. J. C. Becmanni* Notit. Univerſ. Francof. p. 176.

13. CAROLUS COLONNA, Dux de Palliano & Tagliacozza, Comes d' Albi, Magnus Regni Neapolitani Præfectus, (Groß-Connestable,) Romanus Baro Primarius, & Eques aurei velleris, † Romæ d. 6. Nov. æt. 52.

14. JOHANNA FRIDERICA a MORDEISEN, Domina a Stenſchüz, Virgo Latine, Græce, Gallice, & Italice doctiſſima, † d. 1. Nov. æt. 19. ann.

* M. Hanitſch Latino Panegyrico eruditionem ejus & virtutes prolixe prædicavit.

IV. Varii Eruditi.

(A.) Ex Ordine Theologorum, quibus octo Tomo III. recenſitis ſequentes accedunt:

M. GO-

9. M. GODOFREDUS WEISIUS, Thorunenſis, Eccleſiaſtes ad D. Mariæ in patria Teutonicus, vir doctus, ampliſſimæ Bibliothecæ, & inſignis Numophylacii poſſeſſor, † Thorunii d. 4. Maj. æt. 55.

10. JO. ESDRAS EZARDI, Hamburg. Celeb. Ezardi fil. Eccleſiaſtes Londini in Anglia Evangel. Lutheranus, † Londini d. 10. Maj.

11. M. CHRISTOPHORUS WAGNERUS, Ulmenſis, Rev. in patria Miniſterii Senior, Gymnaſii Pro-Director, & Conſiſtorii Matrimonialis Aſſeſſor † d. 11. Maj. ætat. 69. Miniſt. 35.

12. GEORGIUS NIEHENCK, Luneb. Paſt. Prim. ad D. Mariæ Roſtochienſis, & Rev. ibid. Miniſterii Senior, † Roſtochii d. 25. Maj. æt. 86. Piiſſimus Senex ſingulis diebus mane & veſperi mortalitatis ſuæ memor, hymnum decantavit: Wenn mein Stündlein vorhanden iſt &c.

13. M. GODOFREDUS ARNOLDUS, Annaberga-Miſnicus, (1) Hiſtor. Prof. Publ. in Acad. Giſſenſi A. 1697. (2) Ser. viduæ Saxo-Iſenacenſis Conc. aul. Alſtedienſis A. 1702. (3) Paſtor & Inſpector Werbenſis in Marchia veteri Anno 1705. (4) Paſtor Prim. ad D. Jacobi Perlebergenſis & vicinarum Eccleſiarum Inſpector, nec non Reg. Boruſſorum Regis Hiſtoriographus, † Perlebergæ d. 30. Maj. æt. 48. vidua ſed prole nulla ſuperſtite relicta.

* Anno 1698. Profeſſionem Hiſtoriarum in Acad.

Ludov. ſponte deſeruit, expoſitis publico ſcripto hujus facti cauſis 1699. darinnen er bezeuget, wie er alles eitele Studieren, v. g. in der Philologie, Antiquität und Hiſtoria Civili zu unterlaſſen, auch alle ſeine Bücher, biß auf wenige zu verkauffen, durch eine hefftige Beängſtigung ſeines Hertzens gedrungen worden. Scripta Arnoldi (in quibus eminet famoſa illa Hæreſium ac Hæreticorum Hiſtoria in fol.) recenſuit Cl. Dn. Reimannus in der Einleitung P. V. p. 688. ſeqq.

Curriculum Vitæ Arnoldinæ geminum extat Gardelebiæ impreſſum 1716. in 4. pl. 3.

14. M. JO. HENR. LANGIUS, Paſtor ad D. Crucis Hannoveranus, & Rev. ibid. Miniſterii oppidani Senior, deſignatus & jam vocatus Ser. Marrisburgenſium Ducis Concionator Aulicus, & Conſil. Conſiſtorialis &c. † Hannoveræ in ipſo itineris apparatu M. Majo, æt. 56.

15. JO. WILHELM PFORRIUS, Wolfhagenſis Haſſus, Eccleſiæ Ref. Smalcaldienſis Paſtor. Prim. & vicinarum Eccleſiarum Inſpector, † M. Junio.

16. M. CASPAR DÖRINGIUS, Trebnicio-Sileſius ad D. Joh. Archi-Diaconus Olsnenſis in Sileſia, & Conſiſtorii Aſſeſſor † Olsnæ d. 15 Jun.

Variis ſcriptis inclaruit vir doctiſſimus, inter quæ (1.) die Göttliche und höchſt nützli-

che Lehre von dem hohen Geheimnüß der Einwohnung des dreyeinigen Gottes in den gerechtfertigten Chriſten, Olsnæ 1706. 8vo (2.) Gläubiger Seelen heilige und andächtige Verträge mit GOtt in Ausübung der vortreflichen Tugend der Gedult in gar ſonderbaren Fällen, Olsnæ 1709. 8. (3.) Vermerckung der wunderbaren Gerichte und Wege Gottes, ſo ſich nach dem Mittel des Monats Junii 1707. in Oelß unter wütender Peſt ereignet, ibid. 1710. 4. &c.

17. R. P. DANIEL PAPEBROCHIUS, Antwerpienſis, Presbyter, Theologus & Hagiographus, S. J. † Antwerpiæ d. 28. Jun. æt. 87. Quod Rosweidus præpararat, Joh. Bollandus inchoarat, Godofr. Henſchenius formarat, perfecit Papebrochius Semeſtre Primum de Actis Sanctorum 1709. plus quam triginta voll. in fol. Hodie ſtupendum hoc opus magna cum induſtria pertexunt R. P. Conrad. Janingus, P. Franc. Baertius, Sollier &c. omnes in eod. Collegio Jeſuitarum Antwerpienſi Collegæ &c.

Præterea luci publicæ expoſuit doctiſſimus Papebrochius (1.) Acta Ferdinandi III. Reg. Hiſpan. cum Comment. & Annotationibus, Antwerpiæ 1684. 8. (2.) Reſponſionum ad Exhibitionem Errorum per Sebaſt. a S. Paulo evulgatam P. I. Antw. 1696. P. II.

ibi 1697. P. III. cum Synopſi Quæſt. Curioſarum ib. 1698. 2. voll. (3.) Examen Divinitatis, quam in Carmelo Veſpaſianus conſuluit, Dan. Papebrochio interpr. Antw. 1698. 4. (4.) Ej. Elucidatio Hiſtorica Actorum in Controverſia ſuper origine ordin. S. M. de Monte Carmelo, ſ. Reſponſionum P. III. ib. 1698. (5.) Caſp. de Mendoza Exam. Divinitatis, quam in Carmelo Veſpaſianus conſuluit, Papebrochio interpr. Antw. 1698. 4. &c.

18. R. P. LUDOVICUS SANLUQUE, Canonicus Regularis S. Auguſtini, & Prior in Monaſterio Charney prope Drocum (Dreux in Territorio Parisienſi) † d. 14. Jul.

Theologus erat inter ſuos non incelebris; inprimis vero Poëta venuſtiſſimus, cujus etiam Poëmata Pariſiis impreſſa extant.

19. ANDREAS JAHNIUS, Ratisbonenſis, Paſtor, & Rev. in Patria Miniſterii Senior, † Ratisbonæ d. 1. Aug. æt. 69.

20. ANDREAS SEUMIUS, Nordhuſ. Paſt. Ædis Petrinæ in patria urbe Prim. Conſiſtorii Aſſeſſor, Scholæque Virginalis Inſpector, † d. 20. Auguſt. æt. 82. Miniſt. 50.

21. M. JOH. WILH. KNAUERUS, Coburgenſis, ad D. Mauritii in Patria Archi-Diac. & Ser. Viduæ Saxo-Coburgenſi a Confeſſionibus Sacris, † d. 22. Aug. æt. 63.

22. GODO-

27. GODOFREDUS FUCHSIUS, Vratislav. Eccleſiæ Ev. Luth. in Sileſia Suidnicenſis ad Ædem SS. Trinit. Paſtor, & Inſpector Rev. Miniſterii Prim. necnon Scholarcha, † d. 2. Sept. ætat. 64. nachdem er dieſes Jahr über von der Ruh im Grabe geprediget.

28. D. JOH. RIEMERUS, Hala-Saxo, (1) Prof. Eloqu. in Auguſteo Weiſſenfelſæ, (2.) Paſtor Eccleſiæ Oſterwicenſis, (3.) Conſiſtorialis & Superint. Hildeſienſis, tandem (4.) 1704 Hamburgi Paſtor Jacobitanus, & Scholarcha, Orator ac Poëta egregius. † Hamburgi d. 10. Septembr. æt. 67.

Inter Scripta ejus numerantur (1.) Centum Arcana Politica, Mersburgi 1678. 12. (2.) Amor, der Tyrann, curieuſen Gemüthern vorgeſtellet, ib. 1685. 12. (3.) Verbeſſerter Luſt-Redner, ib. 1689. (4.) Apophthegmatiſcher Vormund, oder oratoriſches Lexicon, ibid. 1687. 8. (5) Neu aufgehende Stern-Redner, Lipſiæ 1689. 8. (6) Schatzmeiſter aller Leyd- und Freuden-Complimenten, Lipſiæ 1690. 8. (7) Der Kinder Gottes Haupt-Schlüſſel zum Himmel und Hertzen Gottes, darunter das Heil. Vater Unſer erkläret, Hamb. 1702. 8. (8) Verblühmtes Chriſtenthum, aus dem Grunde der Apoſtel- Feſt- und Sonntags-Epiſteln erkläret, Norimb. 1694. (9) Blaſſe Furcht und grünende

Hoffnung bey ſchlafloſen Nächten, oder Erklährung aller Sonn- und Feſt- tägli- chen Evangelien durchs gantze Jahr, 1700. 4. &c.

24. D. CHRISTOPH. DAN. SCHREITERUS, Wurcena-Misnicus, Epiſcopatus Miſenenſis Superintendens, Conſiſtorii Epiſcopalis Aſſeſſor, Eccleſiæ Collegiatæ Præpoſitus, & Paſtor Eccleſiæ patriæ Primarius, totius Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ per Saxoniam Theologus Senior, & plus quam Semiſecularis, † Wurcenæ d. 27. Octobr. æt. 91. dignitatis Ephoralis 56.

25. D. PETRUS JESPERSONIUS, S. R. Maj. Dan. & Norweg. a Confesſionibus Sacris, Concionibus Aul. Prim. & Conſiliis Conſiſtorialibus † Hafniæ d. 3. Nov.

26. M. PETRUS HERTELIUS, Eccleſiæ Schmöllenſis Paſtor, & Generalis Ephoriæ Altenburg. Adjunctus Primarius † d. 26. Nov. æt. 72. Miniſt. 36.

27. MELCHIOR CHRISTIANUS STüVENIUS, Ditfurtenſis, Paſtor ad D. Blaſii Quedlinburgenſis † d. 28. Nov.

28. EMANUEL SEBASTIANUS HARDER, Holſatus, in Templo Arcis, & Spir. S. Paſtor Solitarius Lubecenſis, † d. 14. Nov. æt. 52.

Symbolum ejus fuit: *Erigit Salvator Humiles*, quod ipſum Celeb. & πολυμαθέςατος Lubecenſium Præſul, D. Georg. Henr. Gœzius, in

in uſum Studioſæ Juventutis peculiari ſchediaſmate explicavit 1715.

29. PETRUS BECKERUS, Eccleſiarum Ev. Luth. Marpurgenſium Ephorus † 1714.

30. D. JOH. JUSTUS KISKERUS, Prof. Theol. & Matheſ. in Acad. Rintelenſi Ordin. nec non Eccleſiarum in Comitatu Schaumburgico Superintendens, † 1714.

31. JOHANNES WEINGÆRTNERUS, dictus *Vinitor*, Lemgovienſis, Conſil. Conſiſt. Superintendens per Comitatum Lippiacum Generalis, & Paſtor Dethmoldæ Senior, ven. Senex, † 1714.

32. AUGUSTINUS GOTTLIEB BURMEISTERUS, Paſtor in Templo S. Joh. Sedinenſis, † 1714. Orator ſvaviter-diſertiſſimus.

33. RUDOLPHUS LODEMANNUS, Eccleſiæ Walsrodenſis in Sax. Inf. Paſtor, & Superintendens † Walsrodæ 1714. Miniſt. 50.

34. JOHANN. NICOLAUS SCHLOSSERUS, Eccleſiæ Weilburgenſis in Naſſovia Paſtor, & Scholæ ſimul ibid. Rector, Theologus ac Polyhiſtor inſignis, † Weilburgi 1714.

(B.) Ex Ordine JCtorum:

Unicus D. TITIUS Tomo III. p. 376. ſq. occurrit.

2. D. ANDREAS HOMBORGIUS, JCtus Prof. Cod. in Academia Julia Primarius, & Du-

calis Dicaſterii Guelphici. Aſſeſſor † Helmſtadii d. 21. Jun. æt. 59. ἄγαμος.

Extant Ejus Conſilia, ſv. Reſponſa Helmſtadienſia Francof. 1713. fol. & quædam forte alia.

3. D. GEORGIUS BEIERUS, Lipſienſis, Pandect. in Acad. Viteberg. Prof. Ordin. & Collegiorum Juridicorum Aſſeſſor, † d. 16. Auguſt. æt. 49.

A fori ſtrepitu, & quæſtu ex trahendis aliorum litibus ſemper abhorruit, tranquilliorem vivendi rationem pio ſecutus. Totum igitur ſtudioſæ Juventuti ſe deſtinavit, explicando Jura, totumque vitæ ſpatium innocenti huic & amœno nec inutili vitæ generi impendit. In communi conſuetudine facilis & jucundus erat; ſed, quemadmodum in ſeriis gravitatem ab acerbitate; ita, cum remitteret animum, comitatem a levitate ſejungebat, & in omnibus actionibus honeſtatis decus ſervabat. In omni fortuna animum eundem retinuit, quem neque res ſecundæ efferrent, nec adverſæ frangerent, aut ſtatu ſuo dimoverent.

Ex Scriptis doctiſſimi pariter ac pientiſſimi JCti potiora ſunt: (1) Volckmannus Emendatus ſive Manuale Advocatorum & Notariorum Lipſiæ 1701. fol. (2) Schediasma de utili & neceſſaria Auctorum Juridicorum & Juris Arti inſervientium notitia &c. Lipſiæ

1698.

1698. 8. (3) Unvorgreifliches Bedencken vom Rechte des Sabbaths, und der üblichen Kirchen-Ceremonien etc. Lipſiæ 1703. (4) Thematum ex vario Jure ſelectorum Centuria, Lipſ. 1713. 4. (5) Franc. Hottomanni, JCti, Anti-Tribonianus &c. Lipſiæ 1704. 8. (6) Ordnung des peinlichen Gerichts von Kayſer Carolo V. und des Heil. Röm. Reichs Churfürſten, Fürſten und Ständen aufgerichtet cum Præfat. Lipſiæ 1711. 8. (7) Caſp.Ziegleri, JCti Viteb. Diſceptationes Selectæ, Lipſiæ 1712. 4. (8) Brummeriana, ſv. Opuſcula quædam Juridico-Hiſtorico-Philologica Frid. Brummeri, cum Præfatione Lipſiæ 1712. 8. (9) Delineatio Juris Divini Naturalis & Poſitivi univerſalis ad fundamenta ſua revocati &c. Viteb. 1712. 4. (10) Delineatio Juris Civilis ſec. Inſtitutiones & Pandectas, atque Feudal. ad fundamenta ſua revocati &c. Lipſiæ 1711. 4. (11) Delineatio Juris Criminalis ſec. Conſtitut. Carolinam &c. Lipſiæ 1714. 4. Inter ea, quæ morte impeditus, inchoata reliquit, inprimis commendari meretur opus, de Jure Germano, cujus rationem ipſe cum in Præf. ad Delineat. Jur. Civ. tum ſingulari Programmate expoſuit.

4. D. JOHANNES SCHACKIUS, Wolliensis, Pandectarum in Acad. Gryphica Prof. Publ.

Publ. Ordin. Conſiſt. Aſſeſſor. & Facult. Jurid. t. t. Decanus † Gryphiswaldiæ d. 19. Aug. æt. 53.

5. DANIEL ESKEN, Thorunenſis, JCtus, & in Regia Civitate patria Thorunenſi Conſul, † d. 20. Auguſt.

6. D. HENRICUS GüNTHER THULEMARIUS, JCtus, (1) Prof. Juris Heidelbergenſis S.C. M. diverſorumque Imperii Rom. Electorum & Statuum Conſiliarius, (2) Francofurti poſt cladem Academiæ Heidelb. per Gallos *illatam* privatam agens vitam, † Françof. d. 9. Sept. æt. 72. unica relicta filia.

Reformatis ſacris addictus erat, JCtus ac Polyhiſtor ſummus, ſed infelicibus annumerandus Literatis. Ob æra enim aliena fraudulenter contracta &c. An. 1713. Francofurti ad Moen. carceri mandatus fuit, in quo etiam miſere exſpiravit, opportuna hac morte majori adhuc opprobrio ſubtractus.

Varia doctiſſimi Viri Scripta proſtant, (1) Octoviratus, ſv. de S. R. I. Electoribus, eorundemque Origine &c. Tractatus Juris Publ. &c. Francof. 1688. 4. (2) Virorum Cl. & doctorum ad Melch. Goldaſtum Epiſtolæ ex Thulemarii Bibliotheca. Accedit Mantiſſa Forſtnerianarum Epiſtolarum, Francof. 1688. (3) Relationum, Deciſionum, & Votorum Cameræ Imperialis, opus in duas partes diviſum, Francof.

coſ. 1696. 4. (4) Tract. daß eine der Evangeliſchen Religion zugethane Abbatiſſin bey ihrer Verheyrathung nicht Urſache habe zu reſigniren &c.

7. D. SIMOM NICOL. ORTHIUS, Profeſſ. Juris in Acad. Gieſſenſi Ordin. & Conſiliarius Haſſo-Darmſtadienſis, † d. 19. Sept. æt. 72.

8. JOH. MAXIMIL. ab HUMBRACHT, JCtus, Reipubl. patriæ Francofurtenſis Senator doctiſſimus, inque ſtudiis præſertim Hiſtorico-Genealogico-Heraldicis verſatiſſimus † d. 4. Octobr. æt. 61.

Prodiit ejus ſtudio opus Genealogicum, ſub tit. Die höchſte Zierde Deutſchlandes, und Vortrefflichkeit des deutſchen Adels in der Reichs-freyen Rheiniſchen Ritterſchafft &c. Francof. ad Moen. 1707. fol. alph. 13.

9. D. JOHANNES EBERHARDUS SCHWELINGIUS, Bremenſis, JCtus, (1) Phyſicus & Philoſ. Practicæ, (2) Jurium Prof. in Gymnaſio patrio Celeberrimus, † Bremæ d. 6. Octobr. æt. 69.

Edidit (1) Tres Libros de Phyſica Carteſiana, Bremæ 1676. 8. (2) Tr. ſub tit. Mens Immortalis, ibid. 1683. (3) Exercitationes Cathedrarias contra Huetium, ibid. 1690. (4) Philoſophiam Practicam & Theoreticam 1694. 8. (5) Proluſiones Juris ad Inſtitutiones 1688. (6) Juſtinianum Controverſum 1698. (7) Recenſionem Philoſophiæ univerſæ &c.

10.

10. D. FERDINANDUS CHRISTOPH. HARPPRECTUS, Tubing. JCtus & Anteceſſor in Acad. Tubing. Com. Pal. Cæſ. Diverſorum Imperii Principum & Statuum Conſiliarius, & in ſupremo Ducatus Würtenb. Dicaſterio Aſſeſſor, † Tubingæ d. 7. Nov. æt. 65.

Pater erat 15. liberorum, & totidem ferme librorum auctor. Hos inter numerantur (1) Juris Communis & Provincialis Marchico-Badenſis differentiæ Principes in materia contractuum, Succeſſionis, ut & in Criminalibus, Tubingæ 1691. 4. (2) Diſputationum Juridic. Vol. Tub. 1692. 4. (3) Tractatus 12. Academici de Succeſſionibus, cum annexis Reſponſis, Ulmæ 1698. 3. voll. in 4. (4) Tr. de Renunciatione quæſtus Conjugalis, Tub. 1699. 4. (5) Commentarius ad Inſtituta, in Libros 4. diſtributa, Francof. 1708. fol. edit. 3. (6) Reſponſorum Juris Criminalium & Civilium voll. IV. Stuttgardiæ 1701. fol. (7) Conſiliorum Tubingenſium Volumina IV, cum Indice, Tub. 1701. fol. (8) Tr. Jurid. vom Recht der Fuhrleute, Cellis 1703. 4. (9) Volumen Novum Conſultationum Criminalium & Civilium &c. Tubingæ P. 1710. fol. P. II. ib. 1712. fol. P. III. ib. 1713. fol. &c.

10. D. SAMUEL REIHERUS, Gothanus Saxo, JCtus, Ser. Ducis Saxo-Gothani Conſiliarius, Anteceſſor in Acad. Kilonienſi, Codicis nec

non

non Mathematum Super. & Infer. Prof. Ordin. totius Academiæ Senior, Regiæque Scientiarum Acad. Berolin. Collega, † Kilonii d. 12. Novemb. æt. 74.

Ex Summi Viri Scriptis innotuere (1) Diſſertatio de tribus argenteis Nummis, iisque uncialibus antiquiſſimis, Kilon. 1695. 4. (2.) Experimentum Novum de aquæ marinæ dulcedine, ib. 1697. (3) der in deutſchen Sprache vorgeſtellte Euclides, ibid. 1699. 4. (4.) Kurtz-gefaſſte allgemeine Rechts-Geſchichte, ibid. 1702. 8.

12. D. JOH. CAROLUS NÆVIUS, JCtus in Acad. Viteberg. Prof. Juris Extraordinarius & Facult. Jurid. Aſſeſſor, † d. 31. Dec.

Inter alia ipſi debemus, Tr. de Jure Patrum, vom Vater-Recht, Chemnitii 1700. 8. it. Tr. de Jure Clericorum, vom Prieſter-Recht, Viteb. 1708. 8.

(C.) Ex Ordine Medicorum.

1. D. CHRISTIANUS MAXIMILIANUS SPENERUS, Francof. Pot. Boruſſorum Reg. Conſil. Aul. & Archiater, in Academia Equeſtri Prof. Heraldices, Ord. Aquilæ Nigræ Genealogus, Collegii Medici, quod Berolini floret, Secretarius, Cæſ. Acad. Leopold. Nat. Curioſ. Regiæque Scient. Societ. Boruſſ. Berolin. Collega, † Berolini d. 9. Maj. æt. 37.

Filius erat Magni quondam Theologi, D. Phil.

Jac.

Jac. Speneri, Studiisque Heraldico-Genealogico-Hiſtoricis ad exemplum Patris probe imbutus, inſignis etiam Muſei, variis Naturæ Curioſis refertiſſimi, poſſeſſor.

2. D. CHRISTOPH. HELWIGIUS, Gryphiswaldenſis, in Acad. patria Prof. Medicinæ Primarius, Facultatis Medicæ t. t. Decanus, † Gryphiswaldiæ d. 16. Jul. æt. 35.

3. D. JOH. CHRISTOPH. PFAUZIUS, Lipſienſis, Med. Pract. Grimmenſis in Miſnia, & Phyſicus ib. Provincialis, † Grimmæ d. 20. Aug. æt. 28. Diſp. de *Tormentis & panis ſuſtinendis*. it. de *Sudoriferis*.

4. D. PHILIPPUS JACOBUS ARNOLDUS, Francofurt. Med. Practicus in patria urbe feliciſſimus, † Francof. ad Moen. d. 17. Sept. æt. 37.

5. D. JOH. RADCLIFF, Medicus Londinenſis in Anglia celeberrimus & opulentiſſimus, † d. 1. Nov. ἄγαμος æt. 64.

Reliquit plus quam ducenta Sterling. librarum millia, piis tamen cauſis maximam partem dicata. (1) Academiæ Oxonienſi 40000. libros legavit pro adornanda nova ſui nominis Bibliotheca, ita, ut conſtituto ejus ædificio, ex annuis legati redditibus 150. Libræ Bibliothecæ Præfecto, & 100. libræ pro comparanda & augenda quotannis Bibliotheca exſolverentur. (2) Aliud Legatum conſtituit, ex cujus cenſu duo Magiſtri Oxonienſes, Medicinæ Studioſi, per decenni-

tennium ſuſtentari debent; & quidem ita, ut quilibet eorum ſingulis annis 600. libras accipiat, quinque annos in Acad. Oxon. ſtudiis tribuat, reliquos vero itineribus ad extera Europæ Regna pro conſummandis Medicinæ ſtudiis impendat. (3) Noſocomio S. Bartholomæi Londinenſi inſignem quoque argenti ſummam ordinavit, cujus annui 600. librarum reditus pro ſuſtentandis commode pauperibus ſunt deſtinati. (4) Vita Radcliffi Anglico idiomate Londini prodiit 1715. 8vo pl. 6.

6. D. BERNARDUS RAMAZZINI, Modenenſis, in Acad. Patavina Med. Practicæ Prof. Prim. Regiæ Scient. Societ. Boruſſ. quæ Berolini eſt, Collega, † Patavii d. 8. Nov. æt. 81.

Prodire fecit inter alia (1) Annotationes in Librum Ludovici Cornelii de Vitæ Sobriæ Commodis, Patavii 1714. 4. (2) Tract. de Conſtitutione Epidemica Agri Mutinenſis Anno 1690. Mutinæ 1690. (3) De admiranda Fontium Mutinenſium Scaturigine, Mutinæ 1691. Opera Ejus omnia Medica & Phyſica junctim edita Genevæ prodierunt 1716. alph. 4. pl. 21.

7. D. MICHAEL ANGELLUS MOLINETTUS, Italus Prof. in Acad. Patavina Anatom. Prim. † Patavii d. 6. Decembr.

8. D. JOH. FRIDERICUS a CAPELN,

Bre-

Bremenſis, in Gymnaſio patrio Prof. Med. Ordin. & Phyſicus Reipubl. celeberrimus, † Bremæ d. 15. Dec. æt. 65.

9. D. GEORG. THEOD. BARTHOLDUS, Prof. Med. Ordin. in Acad. Gieſſenſi. † 1714.

10. D. CONRADUS BURCARDUS VOGTHERUS, Reipubl. Ulmenſis Phyſicus † 1714.

Edidit Schediaſma de Morbillis, earundemque curatione, Ulmæ 1712. 4.

(D.) Ex Ordine Philoſophorum.

1. M. CHRIST. JUNCKERUS, Dresdenſis, (1) Gymnaſii Schleuſingenſis Con-Rector 1696. (2) Gymnaſii Iſenacenſis Rector 1707. & tandem (3) Altenburgenſis Gymnaſii Director, Sereniſſ. Saxoniæ Ducum Hiſtoriographus, & Regiæ Scientiarum Societatis Boruſſicæ Collega, † Altenburgi d. 19. Jun. æt. 46.

a) Vir erat eleganter doctus, a Pædantiſmo alienus, inque Philoſophia, Literatura Politiori, Hiſtoria inprimis & Antiquitatibus Saxon. it. Re nummaria &c. verſatiſſimus. Præter linguam Græcam & Latinam, Italicæ quoque, Gallicæ, Anglicæ, Hiſpanicæ peritus erat.

b) Auditu difficili laborabat, inſigni tamen pollens judicio, Cæterum ipſi ingenium

nium erat exercitatum, vox ſedata, & ſuaviter diſtincta, mores ad omnem elegantiam & modeſtiam compoſiti, ſtatura corporis mediocris, facies pallore flavens, frons elata, inceſſus gravis, in converſatione affabilis, nec a joco alienus &c.

c) Binas uxores triſti admodum fato ad Cœleſtia præmiſit, (1) Schadæam, quam An. 1700. d. 3. Maj. ſomno evigilans ad latus ſuum in lecto apoplexia extinctam vidit, (2) Wagneriam, quæ 1714. inopinato felis inſultu territa in febrim petechialem acutam incidit, & gravida d. 14. ejusd. menſis maritum exſpirando prædesſit.

d) Vita Ejus Germanice ſcripta prodiit 1716. 8. Conf. Cl. Gellii Epiſtola ad Celeb. D. Fabricium de obitu Junckeri 1714. in 4. it. neue Hälliſche Bibliothec, P. 46. pag. 528. ubi & vita & ſcripta Junckeri fuſius recenſentur.

2. NICOLAUS VALETTA, Eq. Neapolitanus, & JCtus doctiſſimus, communis Literatorum Mecœnas, & genuinus ævi ſui Peireſcius, † Neapoli d. 7. Maj. æt. 78. lenta febri exhauſtus.

a) Suis ſumtibus Græcæ Linguæ Profeſſionem in Acad. Neapolit. fundavit, quia hujus

Bremenſis, in Gymnaſio patrio Prof. Med. Ordin. & Phyſicus Reipubl. celeberrimus, † Bremæ d. 15. Dec. æt. 65.

9. D. GEORG. THEOD. BARTHOLDUS, Prof. Med. Ordin. in Acad. Gieſſenſi. † 1714.

10. D. CONRADUS BURCARDUS VOGTHERUS, Reipubl. Ulmenſis Phyſicus † 1714.

Edidit Schediaſma de Morbillis, earundemque curatione, Ulmæ 1712. 4.

(D.) Ex Ordine Philoſophorum.

1. M. CHRIST. JUNCKERUS, Dresdenſis, (1) Gymnaſii Schleuſingenſis Con-Rector 1696. (2) Gymnaſii Iſenacenſis Rector 1707. & tandem (3) Altenburgenſis Gymnaſii Director, Sereniſſ. Saxoniæ Ducum Hiſtoriographus, & Regiæ Scientiarum Societatis Boruſſicæ Collega. † Altenburgi d. 19. Jun. æt. 46.

a) Vir erat eleganter doctus, a Pædantiſmo alienus, inque Philoſophia, Literatura Politiori, Hiſtoria inprimis & Antiquitatibus Saxon. it. Re nummaria &c. verſatiſſimus. Præter linguam Græcam & Latinam, Italicæ quoque, Gallicæ, Anglicæ, Hiſpanicæ peritus erat.

b) Auditu difficili laborabat, inſigni tamen pollens judicio. Cæterum ipſi ingenium

nium erat exercitatum, vox ſedata, & ſuaviter diſtincta, mores ad omnem elegantiam & modeſtiam compoſiti, ſtatura corporis mediocris, facies pallore flavens, frons elata, inceſſus gravis, in converſatione affabilis, nec a joco alienus &c.

c) Binas uxores triſti admodum fato ad Cœleſtia præmiſit, (1) Schadæam, quam An. 1700. d. 3. Maj. ſomno evigilans ad latus ſuum in lecto apoplexia extinctam vidit, (2) Wagneriam, quæ 1714. inopinato felis inſultu territa in febrim petechialem acutam incidit, & gravida d. 14. ejusd. menſis maritum exſpirando præceſſit.

d) Vita Ejus Germanice ſcripta prodiit 1716. 8. Conf. Cl. Gellii Epiſtola ad Celeb. D. Fabricium de obitu Junckeri 1714. in 4. it. neue Hälliſche Bibliothec, P. 46. pag. 528. ubi & vita & ſcripta Junckeri fuſius recenſentur.

2. NICOLAUS VALETTA, Eq. Neapolitanus, & JCtus doctiſſimus, communis Litteratorum Mecœnas, & genuinus ævi ſui Peireſcius, † Neapoli d. 7. Maj. æt. 78. lenta febri exhauſtus.

a) Suis ſumtibus Græcæ Linguæ Profeſſionem in Acad. Neapolit. fundavit, quia hu-

Jac. Speneri, Studiiſque Heraldico-Genealogico-Hiſtoricis ad exemplum Patris probe imbutus, inſignis etiam Muſei, variis Naturæ Curioſis refertiſſimi, poſſeſſor.

2. D. CHRISTOPH. HELWIGIUS, Gryphiswaldenſis, in Acad. patria Prof. Medicinæ Primarius, Facultatis Medicæ t. t. Decanus, † Gryphiswaldæ d. 16. Jul. æt. 35.

3. D. JOH. CHRISTOPH. PFAUZIUS, Lipſienſis, Med. Pract. Grimmenſis in Miſnia, & Phyſicus ib. Provincialis, † Grimmæ d. 20. Aug. æt. 28. Diſp. de *Tormentis & pœnis ſuſtinendis*. it. de *Sudoriferis*.

4. D. PHILIPPUS JACOBUS ARNOLDUS, Francofurt. Med. Practicus in patria urbe feliciſſimus, † Francof. ad Moen. d. 17. Sept. æt. 37.

5. D. JOH. RADCLIFF, Medicus Londinenſis in Anglia celeberrimus & opulentiſſimus, † d. 1. Nov. ἄγαμος æt. 64.

Reliquit plus quam ducenta Sterling. librarum millia, piis tamen cauſis maximam partem dicata. (1) Academiæ Oxonienſi 4000. libros legavit pro adornanda nova ſui nominis Bibliotheca, ita, ut conſtituto ejus ædificio, ex annuis legati reditibus 150. Libræ Bibliothecæ Præfecto, & 100. libræ pro comparanda & augenda quotannis Bibliotheca exſolverentur. (2) Aliud Legatum conſtituit, ex cujus cenſu duo Magiſtri Oxonienſes, Medicinæ Studioſi, per decenni-

tennium ſuſtentari debent; & quidem ita, ut quilibet eorum ſingulis annis 600. libras accipiat, quinque annos in Acad. Oxon. ſtudiis tribuat, reliquos vero itineribus ad extera Europæ Regna pro conſummandis Medicinæ ſtudiis impendat. (3) Noſocomio S. Bartholomæi Londinenſi inſignem quoque argenti ſummam ordinavit, cujus annui 600. librarum reditus pro ſuſtentandis commode pauperibus ſunt deſtinati. (4) Vita Radcliffi Anglico idiomate Londini prodiit 1715. 8vo pl. 6.

6. D. BERNARDUS RAMAZZINI, Mo- denenſis, in Acad. Patavina Med. Practicæ Prof. Prim. Regiæ Scient. Societ. Boruſſ. quæ Berolini eſt, Collega, † Patavii d. 8. Nov. æt. 81.

Prodire fecit inter alia (1) Annotationes in Librum Ludovici Cornelii de Vitæ Sobriæ Commodis, Patavii 1714. 4. (2) Tract. de Conſtitutione Epidemica Agri Mutinenſis Anno 1690. Mutinæ 1690. (3) De admiranda Fontium Mutinenſium Scaturigine, Mutinæ 1691. Opera Ejus omnia Medica & Phyſica junctim edita Genevæ prodierunt 1716. alph. 4. pl. 21.

7. D. MICHAEL ANGELLUS MOLINETTUS, Italus Prof. in Acad. Patavina Anatom. Prim. † Patavii d. 6. Decembr.

8. D. JOH. FRIDERICUS a CAPELN, Bre-

Bremenſis, in Gymnaſio patrio Prof. Med. Ordin. & Phyſicus Reipubl. celeberrimus † Bremæ d. 15. Dec. æt. 65.

9. D. GEORG. THEOD. BARTHOLDUS, Prof. Med. Ordin. in Acad. Gieſſenſi. † 1714.

10. D. CONRADUS BURCARDUS VOGTHERUS, Reipubl. Ulmenſis Phyſicus † 1714.

Edidit Schediaſma de Morbillis, earundemque curatione, Ulmæ 1712. 4.

(D.) Ex Ordine Philoſophorum.

1. M. CHRIST. JUNCKERUS, Dresdenſis, (1) Gymnaſii Schleuſingenſis Con-Rector 1696. (2) Gymnaſii Iſenacenſis Rector 1707. & tandem (3) Altenburgenſis Gymnaſii Director, Sereniſſ. Saxoniæ Ducum Hiſtoriographus, & Regiæ Scientiarum Societatis Boruſſicæ Collega. † Altenburgi d. 19. Jun. æt. 46.

a) Vir erat eleganter doctus, a Pædantiſmo alienus, inque Philoſophia, Literatura Politiori, Hiſtoria inprimis & Antiquitatibus Saxon. it. Re nummaria &c. verſatiſſimus. Præter linguam Græcam & Latinam, Italicæ quoque, Gallicæ, Anglicæ, Hiſpanicæ peritus erat.

b) Auditu difficili laborabat, inſigni tamen pollens judicio, Cæterum ipſi inge-

nium

nium erat exercitatum, vox ſedata, & ſuaviter diſtincta, mores ad omnem elegantiam & modeſtiam compoſiti, ſtatura corporis mediocris, facies pallore flavens, frons elata, inceſſus gravis, in converſatione affabilis, nec a joco alienus &c.

c) Binas uxores triſti admodum fato ad Cœleſtia præmiſit, (1) Schadeam, quam An. 1700. d. 3. Maj. ſomno evigilans ad latus ſuum in lecto apoplexia extinctam vidit, (2) Wagneriam, quæ 1714. inopinato felis inſultu territa in febrim petechialem acutam incidit, & gravida d. 14. ejusd. menſis maritum exſpirando prædesſit.

d) Vita Ejus Germanice ſcripta prodiit 1716. 8. Conf. Cl. Gellii Epiſtola ad Celeb. D. Fabricium de obitu Junckeri 1714. in 4. it. neue Hälliſche Bibliothec, P. 46. pag. 528. ubi & vita & ſcripta Junckeri fuſius recenſentur.

2. NICOLAUS VALETTA, Eq. Neapolitanus, & JCtus doctisſimus, communis Litteratorum Mecœnas, & genuinus ævi ſui Peireſcius, † Neapoli d. 7. Maj. æt. 78. lenta febri exhauſtus.

a) Suis ſumtibus Græcæ Linguæ Profesſionem in Acad. Neapolit. fundavit, quia hu-

jus ipſius linguæ erat & amantiſſimus, & ſcientiſſimus.

β) Bibliothecam poſſedit ſelectiſſimam, una cum Muſeo pretioſiſſimis picturis, ſtatuis, numiſmatibus, aliisque curioſis refertisſimo.

γ) Palatium Valettæ perpetua quaſi Academia, & Concilium erat Eruditorum, qui in eo propterea confluebant, ut p. inſtructiſſima ejus Bibliotheca, p. doctiſſimis ipſius ſermonibus fruerentur.

δ) Elogium Viri Summi una cum catalogo Scriptorum vid. Tom. XXIV. Giornale de Letterati d'Italia &c.

3. ANTONIUS MAGLIABECHIUS, Florentinus, Coſmi III. Magni Hetruriæ Ducis, Laurentianæ ac Palatinæ Bibliothecis Præfectus, † Florentiæ d. 4. Jul. æt. 81.

Hunc Virum incredibilis induſtria ex aurifabro Bibliopolam, ex Bibliopola Polyhiſtorem fecerat conſummatiſſimum.

Statura ipſi mediocris erat, vis ingenii peracuta, & memoria plane ſtupenda. Humanus, præterea, affabilis, & ad inſerviendum aliis promtiſſimus. Omnem corporis cultum, veſtiumque elegantiam negligere videbatur. Parcius cibare, & pauciores ſomno horulas tribuere ſolebat, ut eo plures, easque aptiores ſtudiis ſuis reſervaret. Non molli ſtrato, ſed ipſis libris ſuis (quibus

(quibus quaſi circumvallatus in Muſeo latebat) ſuaviter inſidere, imò incubare dormiturienß conſueverat. Peregrinis ipſum in Muſeo inviſentibus pariter non ſellis, ſed craſſioribus librorum voluminibus incumbendum erat. Et ſic vita Magliabechii vere Literaria fuit, & prorſus Philoſophica.

Omne tempus ſtudiis, converſationi Literatæ, & ampliſſimo Literarum commercio tribuebat. Quando ipſi Clariſſ. Virorum literæ afferebantur, ſæpe oſculo illas venerari prius, quam vincula earum ſolvere malebat.

Nimio Pulveris errhini (Schnupſtobacf) uſu, more multis conſueto, abuti videbatur; hinc Magnus Dux Hetruriæ provida tandem cura civibus ſuis interdixit, ne hujus quicquam Magliabechio vel venderent, vel donarent. Sed facilis erat hæc jactura, dum peregre adventantes has ipſi delicias largiſſime propinabant.

Ampliſſima Magliabechii Bibliotheca, cui omnes ſuos nummulos impendit, Bibliothecæ Ducali Florentinæ poſt obitum fuit illata.

Symbolum Ejus fuit: Scire noſtrum Reminiſci.

Succeſſorem in Bibliotheca Medicea accepit P. Anſhelmum Banduri, Raguſinum, Ord.

Bened. Monachum, Pariſiis evocatum, Virum in Antiquitate Græcanica, Reique veterum numeriæ ſtudio exercitatiſſimum, cui Imperium Orientale, ſive Antiquitates Conſtantinopolitanas, 2. in fol. Tomis Pariſiis 1711. ſplendidiſſime impreſſum, Orbis debet Literatus.

4. M. LAURENTIUS ALBERTUS DELIUS, Gaderslebia Halberſtad. Rector Scholæ Cellenſis in Ducatu Lüneburg. per 30. annos literatiſſimus, † Cellis Sax. d. 19. Jul. æt. 64.

Edidit Fontes & Rivulos omnium vocum Novi Teſt. Hannoveræ 1715. 12. ed. noviſſ.

5. JUSTUS a DRANSFELD, Göttingenſis, Gymnaſii patrii Director, & SS. Theol. Prof. Publ. nec non Eccleſiæ Alexandrinæ Capituli Canonicus, † 8. Aug. æt. 81.

Monumenta ejus literaria ſunt (1) Didactica, ſive Ratio docendi Juventutem ex Sturmio, Göttingæ 1685. (2) Epiſtolographia, ſive Ratio epiſtolas Lat. accurate ſcribendi Eraſmi, J. Lipſii, & C. Schraderii &c. Oſterodæ 1692. 12. (3) Notæ in Ciceronis Epiſtolas ad Familiares, Goslariæ 1697. 8. (4) Prodromus Monumentorum Göttingenſium, complectentium ſuccinctiorem Hiſtoriam Sacrorum inprimis Virorum, quos Göttinga tulit, aluitque, qui olim curarunt, quæ ad Sacrorum Religionem pertinent, Göttingæ

1702.

1702. 4. (5) Allocutiones & Programmata, Oſterodæ 1704. 4to.

6. JOH. PAULUS MAZZUCHELLI, Mediolanenſis, paſſim in Italia Eloquentiæ & Philoſophiæ Prof. tandem vero Presbyter & Confeſſionarius, † Venetiis d. 13. Aug. æt. 42.

Varia Mazzuchelli Schediaſmata ſub ficto nomine Juſti Vice-Comitis prodierunt v. g. Mediolanum, Secunda Roma, Diſſertatio Apologetica ad Anton. Gattum, A. 1711. 8. Pro Bernardino Corio, Mediolanenſi Hiſtorico, Diſſertatio ad Joh. Sitonum, 1712. 8. Coloniæ Ticiniæ Romanæ Commentum exſufflatorii adverſus Anti-Gattum, 1712. 8. Novaria in Tribu Claudia, 1713. 8vo.

7. JOH. ANDREAS PLANERUS, Strela-Miſnicus, Mathem. Superior. in Acad. Viteberg. Prof. Publ. Ordin. † Vitenbergæ d. 2 Sept.

Publicæ luci donavit (1) Hiſtoriam Variſciæ, ſigillatim urbis Curiæ, Vitenb. 1701. 4. (2) Schediaſma de Epiſtola enthymematica, ſive extemporali, ib. 1706. 8. (3) Novam de Animæ Humanæ propagatione ſententiam, Viteb. 1712. 4.

8. ALEXANDER de MARCHETTIS, Italus, Regiæ Celſitudinis, Ferdinandi, Hetruriæ Principis, quondam Mathematicus, & in Piſana Univerſitate Scientiarum Mathematicarum Prof.

Petri Borelli ſucceſſor, † in Caſtello Veteri, Pontormo, d. 6. Sept. æt. 81.

Inter ſubtiliſſimi ingénii fœtûs apparent (1) Exercitationes Mechanicæ, Piſis 1669. 4. (2) Differt. de Reſiſtentia Solidorum, Florentiæ 1669. 4. (3) Fundamenta univerſæ Scientiæ de motu univerſaliter accelerato, Piſis 1672. 4. (4) Septem Problematum Geometricorum & Trigonometricorum Reſolutio, ibid. 1672. 12. (5) della Natura delle Comete, Florentiæ 1684. 4.

9. M. JOH. LAURENTIUS HASFURTER, Barutho-Francus, Linguæ S. in Gymnaſio Illuſtri Chriſtian-Erneſtino Prof. Publ. † Baruthi d. 15. Sept. æt. 31.

10. MATTHÆUS NORIS, Italus, Poëta venuſtiſſimus, plurium operum & operarum artifex, † Trevigi d. 6. Octobr.

11. SEBASTIANUS LE CLERC, Metenſis, Eques Romanus, Delineator ac Sculptor Regius, (Königl. Zeichner und Kupfferſtecher,) Geometra Celeberrimus, Academiæ Pictorum & Sculptorum ſocius, & Geometriæ Prof. † Pariſiis d. 27. Octobr. æt. 77.

Prodire juſſit Tract. de Architectura, Pariſiis 1714. 4to, voll. 2.

Elogium Clerici deſcripſit doctiſſ. Abbas de Vallemont, Pariſiis 1715. 12.

12. SAMUEL PITISCUS, Gymnaſii Hieronymi-

nymiani, quod Trajecti ad Rhenum floret, Rector celeberrimus, † 1714. æt. 75.

Eruditiſſimo huic Viro poſt Curtium, Suetonium, Aurelium Victorem &c. multa cura expolitos, debemus Lexicon Antiquitatum Romanarum, ex J. G. Grævii Theſauro collectum, & Leowardiæ 1713. in fol. 2. voll. magnifice impreſſum, opus X. annorum laborioſiſſimum &c.

13. GEORGIUS FRIDER. MAGNUS, Auguſtanus, Rector quondam Annæi in patria urbe Gymnaſii, & Bibliothecarius Auguſtanus, poſtea vero ob nimium erga Pontificios affectum ab officio miſſus, ſibi vivens, in ſumma tandem paupertate † 1714.

Inprimis laudatur ab incredibili, qua polluit, memoria. Minor tamen fuit in eo vis judicii.

Index Obſervationum:

Quarum TRES & SEPTUAGINTA Tomis tribus prioribus occurrunt:

Tomi IV. Obſervatio LXXIV. De Horis Paſſionis Jeſu; Cum ſchemate Horarum, quod frontiſpicium hujus Tomi exhibet, *Dn. D. Frider. Erneſti Kettneri.*

LXXV. De Muſica, Præexercitamento Ebræorum,

rum, quibus ad Sapientiam diviniorem ſe præparabant, *Dn. Jo. Henr. Bocriſii, P. P.*

LXXVI. Solutio prioris Problematis Algebraici, a R. P. Aug. Thom. a S. Joſepho in Diario Viennenſi propoſiti, inſerta a *Dn. M. Joh. Matthia Haſio.*

LXXVII. De duabus Scholarum peſtibus Pædantiſmo & Galantiſmo, *Dn. Jo. Hübneri.*

LXXIIX. De Eruditis, de quorum morte falſus rumor, *Dn. M. Chriſtophori Pylii.*

LXXIX. De Equo fictili, locum Hippoc. L. IV. Epidem. p. m. 1129. edit. Foëſian. corruptum priſtinæ lectioni reſtituens, *Dn. D. Sigismundi Schmiederi.*

LXXX. De vera herbae Verbenae denominatione Germanica, qua Eiſen-Kraut appellatur, *Dn. D. Sig. Schmiederi.*

LXXXI. De Aelianorum, quorum monumenta ſuperſunt, aetatibus, *Dn. Valentini Hermanni Thryllitii.*

LXXXII. De Intellectu Puro, *Dn. Gottfr. Chriſtiani Banckeri.*

LXXXIII. Quatuor mendæ ex primo Horatianarum Odarum libro ſublatæ a *Dn. Chriſtophoro Auguſto Heumanno.*

LXXXIV. Hiſtoria de morte magni Panis, apud Plutarchum de Oraculorum defectu, ſub examen revocata a *Dn. M. Georgio Chriſtiano Wagnero.*

LXXXV.

LXXXV. De Abſtinentia carnis Pythagorica; *Dn. Jo. Michael Weinrichii.*

LXXXVI. De quæſtione: Num S. Cœna poſſit vocari medicina corporis? *Dn. M. Jo. Chriſtiani Kochii.*

